Applis. S. Coll. Rom.

PETRI DE ALLIACO,

EPISCOPI CAMERACENSIS, ET S. R. E. CARDINALIS,

IN THEOLOGIA SCHOLASTICA SIMVL ET MYSTICA DOCTORIS EXERCITATISSIMI

OPVSCVLA SPIRITVALIA.

Annis ab hinc 140. nimirum, anno 1500. Parisijs impressa: nunc autem distinctius, & emendatius, & elegantius recusa, & in formam hanc enchiridij redacta.

DVACI.
Apud Viduam MARCI WYON, sub signo Phœnicis, Anno 1634.

LECTORI BENEVOLO ET DEVOTO.

MAximi viri, Petri Alliacensis, opuſcula ſpiritualia, in quibus eſt totius Theologiæ myſticæ pro diuino amore conſequendo breuiſsi-

 mum,

mũ, ac facillimũ cõpendiũ offerimus. Permagni ea facere debes, Lector deuote, siue autoris pręstãtiam, siue doctrinæ sanctitatem consideras. Autor fuit natione Gallus, Compendij natus; quamuis Hispanus origine à plerisq; existimetur. Primum quidem Archidiaconus Cameracensis Ecclesiæ, & Academiæ Parisiensis Cãcellarius, quẽ magistratum magno discipulo,

cipulo, amicissimoq; (vt ipse vocare solebat) socio suo Ioanni Gersoni relinquens, Episcopus Aniciensis siue Podiensis sub Archiepiscopatu Bituricensi factus est. Deinde Cameracẽsibus suis redditus ipsorũq; Episcopus renunciatus, eam Ecclesiam maxime dilexit & ornauit, præsertim chori reparatione, bibliotheca nobili, & horologio mathematicæ peritiæ simul;

ac deuoti ſpectaculi laude conſpicuo, ad ipſius deſcriptionem facto: in quo ad ſingulas horas cōparet aliquod Paſsionis Dominicæ myſteriū contemplandū. Poſt quinque annos in Epiſcopatu Cameracenſi exactos Cardinalis S. R. E. titulo S. Chryſogoni decoratus, concilio generali contra Huſsitas, & pro reformatione Eccleſiæ habito ita interfuit, vt anima ipſa

con-

concilij ferè existimatus fuerit. Vir integerrimæ vitæ, Theologiæ Scholasticæ Doctor subtilissimus, sicut ex lecturis eius constat, Theologiæ affectiuę seu mysticæ peritissimus, vt hæc eius docent opuscula; Mathematicis in disciplinis præstantissimus, de quibus multa scripsit egregia, maximè de reformatione Calendarij suscipiēda. E sęculo ad cælū recessit in Ger-

mania moriēs anno 1424. die 9. Augusti. Corpus eius ad dilectā Ecclesiam Cameracensem relatum pone altare maius in nobili ac deuoto tumulo collocatur. Talis est horum opusculorum autor: doctrina vero medullā ipsam Theologiæ mysticæ continet absque vllis difficultatū recessibus. Præterea vtilissimam habent psalterij, & canticorum Ecclesiasticorum expositionem

tionem, quam qui ſibi velit familiarem reddere, poterit officium canonicum deuote & ſapienter vt pſalmiſta monet, perſoluere. Fruere, bone Lector, & non te pœnitebit. Vale.

AP-

APPROBATIO.

Opuscula hæc spiritualia D. Petri de Alliaco Doctoris excellentis, Episcopi Cameracensis, & Cardinalis, dignissima sunt lecta, & per omnia conformia sacræ fidei Catholicæ, bonis moribus, & regulis Ecclesiasticis 4. Febr. 1634. Duaci.

F. LEANDER DE S. MARTINO
Benedictinus Congregationis Angliæ sacræ Theologiæ Doctor & Hebreæ linguæ in Alma Academia Professor Regius.

PETRI DE ALLIACO S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI CAMERACENSIS, DOCTORIS CELEBERRIMI, Et in Theologia ſcholaſtica & myſtica exercitatiſſimi,

SPECVLVM CONSIDERATIONIS.

PRÆFATIO.

QVISQVIS es, qui à mundi ſolicitudine elongaſti fugiens, &, iuxta verbum prophetæ, manens in ſolitudine, ad tranquillitatem vitæ quietioris migraſti : vt propoſitum tuum firmiùs ſtabilies, ſtabiliuſque confirmes, teipſum ad quid veneris diligenter interroga, & aſſidua meditatione per ea, quæ in hoc conſiderationis ſpeculo perſpexeris, tibi ipſi reſpondeas.

Consideratio triplex.

2. Purgatio vitiorum. Periculum vitæ sæcularis. 3. Præsertim pastoralis. 4. Ob peccata aliena. 5. Et propria. 6. Securitas vitæ claustralis. 7 Quanam iuuent ad purgationem vitiorum. 8. Consideratio nouissimorum.

Caput I.

1. Imprimis igitur considera, te principaliter ad tria, ad quæ omnis humanæ vitæ tendere debet intentio, hoc est, ad vitiorum purgationem, ad virtutum plantationem, & per hæc ad præmiorum qualemcunque prægustationem, venisse. Nam verè sic est, quod quicunque ab exteriori temporalium turbatione ad interiorem vacationem per diuinam vocationem, quasi de schola vanitatis per scalam veritatis attrahuntur: non nisi prius expurgatis vitiis, & complantatis virtutibus, ad illam æternorum præmiorum suauitatem, quantùm in hac transitoria vita conceditur, videndam, & vtcunque prægustandam subleuantur. Talibus enim per prophetam dicitur, *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.*

2. Quantùm ad huius considerationis principium, id est, ad purgationem vitiorum pertinet, audi, & diligenter attende terribilem diuinæ Scripturæ sententiam: *Omne,* (inquit) *quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* O vitiorum

rum voraginem! ô nimiùm infœlicem, & male securum, qui in tanta tamque periculosa tempestate sese fœliciter aut securè stare fallaciter seductus existimat! Quid ergo aliud restat, nisi vt ab huius mundi turbido mari, in portum quietæ salutis euadas: vbi non solùm tuorum, sed & alienorum vitiorum Charybdim & Scyllam effugias?

3. Sed vbi hunc portum quæras, aut vbi inuenias, considera. Profectò si experientiæ credis, illum quærere securiùs & faciliùs inuenire poteris in claustrali solitudine, quàm in solicitudine pastorali. Quæris cur ita sit? Quia illa suorum tantùm, ista & suorum, & alienorum peccatorum curam gerit. Vin' scire quorum? Certe ouium & agnorum; certè hædorum, & quod terribiliùs est, luporum. Si enim Pastor es, curam habes ouium & agnorum, hoc est simplicium subditorum maiorum, & mediocrium: curam hædorum & luporum, hoc est, peruersorum & sæuientium. Quot enim tales lupos, sæculares & Ecclesiasticos, hodie Christi patiatur ouile, quibus pastoralis curæ solicitudo iugiter perturbatur, quis enumerare sufficiat? Et tamen tuum est officium, pusillum gregem ab huiusmodi luporum sæuitia defendere: tuum est officium ecclesiasticum ouile nunc verbo prædicationis, nunc exemplo conuersationis, nunc subsidio temporalis sustentationis suauiter pascere: quandoque verò baculo spiritualis correctionis salubriter percutere; & nonnunquam gladio seuerioris excommunicationis sæuientium contumaciam coercendo ferire. Tuum ergo est officium, sic

omnium peccata quodammodo tuis humeris supportare. Heu quàm insuaue iugum, & verè onus grauissimum, etiam angelicis humeris formidandum!

4. Certe huius oneris pondus expertus erat sanctus ille Rex & Propheta Dauid, qui ad Deum lachrymabiliter exclamabat, *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines* (id est, hominum peccata) *super capita nostra.* O qualis & quantus, quàm fortis & multiplex tribulationum laqueus! ô te fœlicem, si de illorum numero fueris, in quorum persona per psalmistam canitur, *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus!* Quid ergo dicemus? An pastoralem solicitudinem condemnamus? Absit. Sed eam laudantes & venerantes, onera eius pertimescimus fragiles & infirmi: eius pericula formidamus debiles & multum imperfecti. Qui fortes & perfecti sunt cum Dauide, hanc, à Deo tamen sibi impositam, sarcinam patienter sustineant: & tamen cum Dauide eam lamentabiliter defleant. Qui autem debilis & imperfectus est, eam à dorso suo excutiat, ac tam oneroso periculo & periculoso oneri libens cedat. Quod si hoc facere superioris sui non sinat autoritas; tunc ille sic oneris obedientiam reuerenter ferat, vt honoris reuerentiam non arroganter suscipiat; nec sibi, sed Deo eam tribuens, illud Dauidicum memoriter teneat, *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

5. Sed hactenus de alienis peccatis, nunc de propriis videamus. Considera ergo in solicitudine pastorali quot & quàm variæ occurrant

rant

rant tentationes, & occasiones peccatorum. Ibi quippe deliciæ, ibi diuitiæ, ibi populares honores: ex quibus triplex illa, quam suprà meminimus, vitiorum vorago nascitur; ex deliciis scilicet, concupiscentia carnis; ex diuitiis, concupiscentia oculorum; ex honoribus, superbia vitæ. Et quis nesciat, nimis esse difficile, non dicam vincere, sed fugere, in deliciis gulæ & luxuriæ, voluptatem; in diuitiis inordinatæ auaritię, cupiditatem; in honoribus, superbæ gloriæ vanitatem? Quis præterea in hac procella enatare poterit, sine multiplici perturbatione vitæ, læsione famæ, ac perplexitate conscientiæ? Nunc vita in sua virtute concutitur, nunc fama in suo honore scandalizatur; nunc conscientia in sua pace molestatur, imò penè deiicitur. Quis enim perplexos conscientiæ nodos euoluat, quibus iste status inuoluitur, nunc in gubernatione domus ac familiæ, officiariorum quoque ac literalium ministrorum? nunc in acquisitione, conseruatione ac dispensatione temporalium; nunc in defensione iurium, in discussione litium; in administratione spiritualium, in correctione morum; in vana quoque ambiguitate, ac ambigua fluctuatione casuum dubiorum incessanter emergentium, animum lacerantium, ac in diuersa & aduersa trahentium? Hæc sunt igitur, aliaque innumera, magis deflenda lachrymis, quàm literis describenda, quæ in pastorali solicitudine mentis quietam, & spiritualem tranquillitatem perturbant: quæ cum miris & inenarrabilibus modis vitiorum occasionem præbeant, minimè ad eorum purgationem proficiunt, sed officiunt maximè.

6. E contra vero claustralis solitudo ab huiuscemodi perturbationibus quieta, ad purganda peccata liberiùs poterit intendere, & ad corrigenda præterita, fugienda præsentia, & præcauenda futura. Cur ita? Quia cum tres sint aduersarij, mundus, caro, diabolus, quibus impugnatur humanum genus, & ad peccata atque vitia prouocatur: illa solitaria & spiritualis tranquillitas est velut castrum munitissimum, vbi eorum insidiis & machinamentis resistitur. Ibi quippe mundi vanitas contemnitur, carnis vilitas despicitur, & fallax diaboli malignitas faciliùs euitatur. Ibi contra horum aduersariorum insultus tres turres fortissimæ firmiter stabilitæ, ac stabiliter firmatæ sunt: contra mundi auaritiam, voluntaria paupertas; contra carnis concupiscentiam, munditia, & castitas; contra diaboli superbiam, obedientia & humilitas. Quid plura? Ibi aduersus huiusmodi hostium ictus & iacula, ieiuniis, vigiliis, orationibus, aliisque regularibus disciplinis, tanquam armis spiritualibus, humana fragilitas pugnando ac resistendo protegitur. Quid dico, pugnando ac resistendo protegitur? Imo verò ibi non sufficit, peccatis & vitiis pugnando resistere: sed ea deuota religio satagit vincendo repellere, repellendo purgare, purgando radicitus extirpare.

7. Sed quomodo, inquies, hoc potest humana fragilitas efficere? Sanè, cum hoc non posit virtute propria, sed Dei specialiter auxiliante gratia: ipsa tamen ad hoc ex sua erga Deum humiliatione roboretur, & ab humili conditionis suæ meditatione iuuetur. Hoc est, si

 humi-

humiliter meditetur ſuæ generationis ingreſſum miſerabilem, ſuæ conuerſationis progreſſum culpabilem; ſuæ diſſolutionis egreſſum damnabilem. Si diligenter conſideret ſuæ carnalis originis vilitatem, vitæ præſentis labilitatem, futuræ mortis neceſsitatem. Vilitas originis humanæ oſtenditur, quia homo de humo, imo de humore ſpermatico formatur, in culpa concipitur; in pœna naſcitur. Labilitas præſentis vitæ declaratur ex infirmitate corporis, ex debilitate ſenectutis, ex inſtabilitate temporis. Neceſsitas mortis futuræ demonſtratur, ab originali culpa, à temporali pœna, à corporali miſeria. Sed heu, cum mors iſta ſit ineuitabilis, ac irreuocabilis: tamen incerta eſt mortis hora, & indeterminabilis. Cumque eam multa & magna mala præcedant, & maiora plerumque comitentur: maxima tamen ſubſequuntur, videlicet, terribilitas iudicij, acerbitas purgatorij, vel horrenda pænalitas inferni.

8. Hæc ſunt nouiſsima noſtra, ad quæ ſapienter intelligenda, & iugiter memoranda, ſcriptura diuina nos excitat: *Vtinam* (inquit) *ſaperent, & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent.* Et iterum, *memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.* Sane vbi frequens ac feruens horum meditatio mentem occupat, non ibi peccatorum & vitiorum radix pullulat; non ibi gula carnis concupiſcentiam prouocat; non luxuria maculat, non ſuperbia inflat, non inuidia murmurat, non ira inflammat, non auaritia ſtimulat, non acedia inquietat. Ac ideo quum ſeptiformis huius nequitiæ radix extirpatur, omnis plantatio vitioſa purgatur.

Plantatio virtutum.

1. Facilior in claustro, quam in sæculo. 2. Tres virtutes theologicæ. 3. Quatuor cardinales. 4. Et earum officia 5. Gradusque varij. 6. Diuisio Aristotelica.

CAPVT II.

1. DIximus ergo breuiter de prima consideratione, hoc est, de *purgatione vitiorum*: nunc, quod ad secundam attinet, de *plantatione virtutum*, prosequamur. Hæc autem adeo connexa sunt, vt vnum ad aliud inseparabiliter consequatur. Est quippe humanus animus velut ager spiritualis, in quo dum purgantur vitiorum spinæ, consequens est vt in eo virtutum plantulæ inserantur. Sicut ergo primum, sic & secundum, facilius in solitudine religionis, quam in prælationis solicitudine operamur. Qua in re illud considerandum nobis est, quod religio est quasi schola virtutis acquirendæ & conseruandæ: Prælatio vero quasi scala virtutis iam acquisitæ & perfectæ, ac non solum in se, sed & in alios exercendæ. Illa ergo inferior, ista superior: illa suauior, ista sublimior; illa quietior, ideo facilior: ista communior, ideo fertilior. Quapropter summoperè cauendum, ne vel religiosus prælationis solicitudinem, velut infructuosam despiciat: vel Prælatus religionis solitudinem velut inutilem contemnat; sed ille prælationi honorem,

rem, iste religioni amorem exhibeat. Qui vero pastoralem curam habet, ac ideò vitam Claustralem, ac solitariam tranquillitatem non omnino sequi valet, hanc tamen suspirans desideret, & eam, vtcumque potest, imitari studeat: atque in animo suo claustrum sibi & spiritualem solitudinem constituat, vbi sese viresque suas recolligat, vt sic faciliùs vel virtutes acquirat, vel acquisitas custodiat.

2. Sed iam de virtutum plantatione loquamur: & earum numerum atque ordinem describamus. Sunt itaque septem virtutes, quasi plantæ septem principales in horto spirituali, ex quibus cæterarum virtutum rami nascuntur. Harum tres primæ ac præcipuæ sunt, Fides, Spes, Charitas, quæ *Theologicæ*, id est, diuinæ nominantur, quia principaliter animam ordinant ad finem supremum, qui Deus est; virtutes autem aliæ, circa ea, quæ ad finem sunt, versantur. Fide ergo bonitatem finis agnoscimus, charitate desideramus, spe vero fiduciam obtinendi habemus. Fide agnoscimus, quo debeamus tendere, charitate ad illud amamus peruenire, spe confidimus pertingere. Cumque animæ nostræ vires imperfectè in suis viribus ac diminutæ sint, vis rationalis in cognoscendo, vis concupiscibilis in volendo, vis irascibilis in exequendo: Fides est directio cognitionis in rationali, charitas est ordinatio volitionis in concupiscibili, spes est fortificatio exequutionis in irascibili. Quia vero ardua est via, qua in Deum tenditur, & animæ viribus inaccessibilis, nisi diuina virtute iuuetur: ideo fides diuinæ veritati, spes diuinæ potestati,

charitas diuinę bonitati penitus innititur. Per fidem Deus suæ veritatis lumine animam dirigit; per spem suę potestatis iuuamine erigit; per charitatem suæ bonitatis dulcedine trahit, trahendo suauiter allicit, alliciendo secum eam spiritualiter vnit, & tanquam virginem castam sibi desponsando coniungit: virginitas enim mentis in hoc consistit, vt fides sit integra, spes solida, charitas syncera.

3. Sunt autem alię quatuor virtutes, Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Iustitia, quę *cardinales* communiter nominantur: vel propter earum prçeminentiam, aut principalitatem, qua cęteris virtutibus moralibus prçeferantur, vt aliç ad eas quodammodo reducantur; vel quia sicut ostium cardini, sic moralis conuersatio iis innititur; vel quia, sicut cardo stabilis manet in quo ostium vertitur: sic hę virtutes stabiles sunt, licet ea, circa quæ versantur, illa videlicet, quibus ad vltimum finem vtendum est, continua mutabilitate voluantur.

4. *Prudentia* igitur animam tenet in rationabili veritate, ne ab ea per ignorantiam, errorem, aut curiositatem recedat. *Temperantia* eam tenet in mediocri necessitate, ne per superfluitatem aut diminutionem excedat. *Fortitudo* tenet in animi ęqualitate, & quadam ęquabili stabilitate, ne aduersitas eam deiiciat. *Iustitia* in proximi vtilitate, ne ei noceat, sed vtiliter proficiat. Hæ itaque virtutes in homine motus virium animæ dirigunt: Prudentia actum rationis, qui est bonum & malum discernere. Temperantia actum concupiscibilis, qui est

velle

velle bonum delectabile, Fortitudo actum irascibilis, qui est aggredi arduum, & sustinere difficile; Iustitia vero actus hominis, quos aliæ virtutes dirigunt respectu sui, vires omnes circuiendo dirigit respectu proximi. Harum quoque numerus & sufficientia ex earum officiis declaratur. Prudentia quasi lumen præferens, intellectum dirigit: triplex autem alia virtus, eam quasi lucernam sequens, affectum perficit; videlicet, temperantia, respectu eius, quod infrà nos est; fortitudo, respectu eius, quod contrà nos est; Iustitia vero respectu eius, quod iuxta nos est, id est, proximi & Dei. Prudentia ergo est in eligendis, temperantia in vtendis, fortitudo in tolerandis, iustitia in distribuendis. Harum præterea virtutum effectus contrà quatuor originales defectus militant: contra ignorantiam, prudentiæ cognitio; contra concupiscentiam, temperantiæ moderatio; contra infirmitatem, fortitudinis roboratio; contrà malignitatem, iustitiæ rectitudo. His denique quatuor virtutibus, velut quatuor lapidibus pretiosis Christi sponsæ corona, quasi totidem stellis rutilans decoratur: Prudentiam habet à parte anteriori, vt caueat à malis futuris; iustitiam à parte posteriori, vt satisfaciat de præteritis; temperantiam à dextris, ne eleuetur in prosperis; fortitudinem à sinistris, ne succumbat in aduersis.

5. Quidam autem Philosophi prædictas virtutes variis gradibus distinxerunt; dicentes, quatuor esse quaternarum genera virtutum: ex his primæ, *politicæ* nominantur; secundæ, *purgatoriæ*; tertiæ, *animi iam purgati*; quartæ,

exemplares. *Politica*, sunt hominis, in quantum sociale animal est. His boni viri reipublicæ consulunt, & vrbes tuentur. His parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt. Prudentiæ ergo hominis politici officium est, vniuersa quæ cogitat vel agit, ad rationis normam dirigere, ac nihil præter rectum, velle, vel facere. Temperantiæ autem, nihil appetere pœnitendum, in nullo moderationis legem excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Fortitudinis, est animum suprà periculi metum erigere, nihilque nisi turpia timere; tolerare fortiter vel aduersa, vel prospera. Iustitiæ vero, seruare vnicuique quod suum est. Secundæ virtutes, quas *purgatorias* vocant, sunt hominis inquantum diuinitatis capax est, solumque animum eius expediunt, qui decernit se à corporis contagione purgare, & quadam humanorum fuga, solis se ingerere diuinis. Hæ sunt otiosorum, qui à rerum publicarum artibus se sequestrant: eas quidam *virtutes philosophantium* nominant, apud quos virtutum officium sic dispensant. Prudentiæ esse dicunt, mundum istum, & omnia quæ in mundo sunt pro diuinorum contemplatione despicere, omnemque animi cogitationem in sola diuina dirigere. Temperantiæ, omnia relinquere, in quantum natura patitur, quæ corporis vsus requirit. Fortitudinis, non terreri, animâ à corpore quodammodo ductu philosophiæ recedente, nec altitudinem perfectæ ad superna ascensionis horrere. Iustitiæ, ad vnam propositi huius consentire viam, & in hanc dirigere vniuscuiusque virtutis obsequium. Tertiæ virtutes

sunt

sunt *purgati* defæcatique *animi*, & ab omni mundi huius aspergine detersi. Illic prudentiæ est, diuina, non quasi in electione præferre, sed sola nosse, & hæc sola, tanquam nihil aliud sit, intueri. Temperantiæ, terrenas cupiditates, non reprimere, sed penitus obliuisci. Fortitudinis, non pasiones reprimere, sed ignorare, vt nesciat irasci, cupiat nihil. Iustitiæ, ita cum superna & diuina mente sociari, vt imitando perpetuum cum ea fœdus seruet. Quartæ virtutes *exemplares* dicuntur, quæ in ipsa diuina mente consistunt, à quarum exemplo idæali reliquæ omnes per ordinem defluant. Illic prudentia est mens ipsa diuina; temperantia quoque, quæ in se perpetua intentione conuersa est, fortitudo etiam, quia semper eadem manet, nec aliquando mutatur; Iustitia denique quod perenni lege à sempiterna operis sui continuatione non flectitur. O quam fœlices illos philosophos dixerim, qui præmissos virtuosæ sublimitatis gradus, non tam verbis eloqui, quam factis assequi, meruerint? At non est hæc infidelium, sed Christianorum philosophorum perfectio: nec humanæ industriæ opus, sed diuinæ gratiæ. Vtinam tamen philosophi Christiani, vtinam Theologi, vtinam religiosi & prælati, hæc, quæ à gentilibus philosophis dicta & scripta sunt, memoriter teneant: & ea, quæ illi propria virtute superbe præsumere ausi sunt, humiliter perficere Deo auxiliante studeant.

6. Sed & Peripateticorum Princeps Aristoteles quandam virtutem heroicam somniauit, quam velut diuinam supra humanitatis

vires

vires posuit: hanc tamen parum prosequutus, de virtutibus solum quantum naturalis ratio patitur, loquutus est; eas in ethicis suis in intellectuales & affectuales diuidens. Quarum numerum & officia breuiter ita colligimus. Intellectuales enim virtutes dicuntur, quæ intellectum perficiunt. Et hæ quinque sunt, Ars, Prudentia, Scientia, Intellectus, & Sapientia. Omnis enim virtus intellectualis, aut est circà contingens, aut circa necessarium. Si circa contingens factibile, est ars; si circa contingens agibile, est prudentia. Est autem actio, operatio manens in ipso operante; factio vero est operatio extra operantem transiens. Si autem virtus intellectualis sit circa necessarium in essendo, sicut sunt Deus & intelligentiæ, sic est sapientia; si circa necessarium, quod est conclusio demonstrationis, est scientia; si circa necessarium, quod est demonstrationis principium, sic vocatur intellectus. Virtutes autem affectuales sunt quæ affectum seu appetitum, & præcipuè voluntatem perficiunt: & hæ morales vocantur, quia ex more, id est ex assuefactione & boni operis consuetudine generantur. Quarum distinctio sic assignatur. Quia omnis moralis virtus respicit aliquod bonum tanquam obiectum prosequendum, vel eius oppositum tanquam fugiendum. Omne autem bonum, circa quod versantur mores hominum, aut est vtile, aut honorabile, aut delectabile. Siquis ergo virtuose se habeat circa vtilia: aut ea sunt communia, & sic est iustitia, maximè commutatiua, (quia capiendo large iustitiam ad multa alia se extendit;) vel sint

vtilia

vtilia propria, vt ſunt diuitiæ propriæ; & hoc contingit dupliciter, quia vel abſolutè & ſimpliciter & eſt liberalitas; vel cum quadam excellentia & arduitate, vt circa magnos ſumptus, & ſic eſt magnificentia. Siquis vero ſe habet virtuoſe circa honorabile, hoc accidit vel circa honores mediocres, & vocatur philotimia; vel circa honores magnos & magnas dignitates, & eſt magnanimitas. Si autem circa delectabile quis verſetur virtuoſe, hoc etiam contingit dupliciter, vel priuatiuè, videlicet, oppoſita delectabilium, hoc eſt triſtabilia & terribilia aggrediendo, & ſic eſt fortitudo; vel poſitiuè, delectabilia proſequendo, idque vel circa delectabilia ad vitam neceſſaria vel valde requiſita, & ſic eſt temperantia; vel circa delectabilia ad mutuam conuerſationem decenter pertinentia, vel ſecundum actum potentiæ concupiſcibilis, & ſic eſt amicitia, quæ alio nomine vocatur ſodalitas; vel ſecundum actum potentiæ iraſcibilis, & ſic eſt manſuetudo; vel ſecundum actum potentiæ rationalis; & hoc etiam tripliciter, vel ſecundum quod virtuoſus delactabiliter & rationabiliter ſe habet cum aliis in colloquiis, & eſt affabilitas; vel ex eo quod ſe aliis non exhibet fallaciter, ſed qualis eſt, talem ſe oſtendit in factis & dictis, & hæc virtus vocatur veritas; Vel in hoc quod complacenter ſe habet in ludis & iocis, & hæc dicitur eutrapolia, ab *eu*, quod eſt bonum, & *tropos* conuerſio, quaſi omnia conuertens in bonum.

Reductio

Reductio omnium virtutum moralium ad 4. cardinales.

1 Virtutes sub prudentia comprahensa. 2. sub temperantia. 3. sub fortitudine. 4. sub iustitia. 5. quæ debeantur superiori. 6. inferiori. 7. Pari.

CAPVT III.

1. QVamuis autem Peripatetici, aliique gentiles philoſophi de virtutibus multa ſubtiliter diſputauerint: plura tamen,& magis ſalubriter de eis tractauerunt Theologi & Philoſophi Chriſtiani, earum ſcrutatores peritiſsimi, & perfectiſsimi ſectatores. Ad illas tamen Cardinales virtutes, quas prænominauimus, ſingulas alias quidam ſatis vtiliter reducere ſunt conati. Ad prudentiam quidem, illas, quæ ſunt circa conſiliabilia; ad temperantiam, illas, quæ ſunt circa delectabilia; ad fortitudinem, illas, quæ ſunt circa terribilia; ad iuſtitiam, illas, quæ ſunt circa communicabilia. Hæc autem qualiter efficere curauerint, breuiter diſcurrere tentabimus. Ad Prudentiam igitur pertinent, Ratio ſiue Diſcretio, Memoria, Intelligentia, Prouidentia, Circumſpectio, Cautio, Docilitas.

Rationis ſeu *diſcretionis* eſt, inter bonum & malum, vel inter duo bona, quid melius, vel inter duo mala, quid peius ſit, rationis iudicio diſcernere. *Memoria* eſt oportunè recordari præterita. *Intelligentia*, perſpicere præſentia.

Pro-

Prouidentia præmeditari futura. Nam prudentis animus tribus temporibus dispensatur; præterita reminiscitur, præsentia ordinat, futura prouidet. Prouidentia enim dicitur quasi procul videns, cuius officium est ex præteritis & præsentibus futura perpendere. *Circumspectionis* est inter contraria vitia medium tenere, & inter duo mala minus eligere, vnde dicta est circumspectio, quasi circumquaque inspectio. *Cautionis* est à virtutibus vitia, quæ virtutum speciem præferunt discernere, ac discernendo cauere. Nam illa vitia perniciosius decipiunt, quæ sub velamine virtutis teguntur: quia tanto sunt nequiora, quanto esse vitia minimè cognoscuntur. *Docilitatis* est, quid aut qualiter docendum vel discendum sit, erudire. Hac Doctor efficit, vt docendo instruat, instruendo placeat, placendo alliciat, & ad bene agendum promoueat. Hæc discipulum cauere facit in inquirendo vanam curiositatem, in studendo vanam instabilitatem, in transcurrendo nimiam velocitatem: sicque eum dirigit, vt diligenter quærat vtilia, stabiliter studeat salubria, perseueranter teneat, quæ esse didicerit virtuosa.

2. Ad *Temperantiam* pertinent, Continentia, Clementia, Modestia, Sobrietas seu Abstinentia, Castitas seu Pudicitia. *Continentia* regit animam, quantum ad appetitum boni proprij. *Clementia* quantum ad appetitum mali alieni. *Modestia*, quantum ad gestum exterioris modi, est enim quasi modi temperantia. Modus siquidem ordinatus seruandus est exteriùs secundum personæ dignitatem vel conditionem; secundum temporis oportunitatem; secundum loci

loci congruitatem. Seruandus est modus in verbo, in risu, in corporis motu, in membrorum situ, in gestu, in habitu, in cultu, in occupatione, in otio, in quiete, denique in omni virtutis actu. *Sobrietas*, quæ etiam abstinentia, & quandoque parcitas dicitur, animam regit circa delectationes, quæ sunt circa gustum. *Castitas* vero, quæ quandoque Pudicitia nominatur, circa delectationes circà tactum, & maxime circà carnalem congressum, & sic appropriatè *Continentia* dici solet: licet Continentiæ nomen extendatur, non solum ad temperantiam inordinati appetitus delectandi, verum etiam inordinati appetitus habendi; nec solùm ad voluptatem carnalium deliciarum, sed etiam ad cupiditatem temporalium diuitiarum moderationis gubernatione frænandam. Magis communiter tamen Continentia sumitur pro castitate seu abstinentia ab omni coitu illicito. Et hæc multifariam diuiditur. Nam inter continentes quidam sic ab illicito coitu abstinent, vt tamen licito vtantur, quorum continentia dicitur castitas coniugalis. Quidam verò abstinent ab vtroque; & hoc in duplici statu potest contingere, vel in eis qui habent integritatem carnis, & propositum seruandæ perpetuæ incorruptionis, quorum continentia dicitur castitas virginalis; vel est in eis, qui carnis integritatem non habent, quorum continentia, quoad eas personas quæ in matrimonio quandoque fuerunt, dicitur castitas vidualis; quoad alias vero personas non est ei speciali nomen impositum. Licet autem Continentia specialiter respiciat delectationem coitus, quia illa

præcipua

præcipua est inter delectationes tactus: tamen etiam alias voluptates, quæ tactum alliciunt, moderatur; vt in suauitate vestium, lectorum, vnguentorum, balneorum, carnaliumque contactuum, non solum genitalium, sed & aliorum membrorum. Temperantia insuper adhibenda est, non solum circa delectationes sensuum gustus & tactus, verum etiam visus, auditus & olfactus: sed non sunt vsitata nomina virtutum, quæ his tribus appropriantur sensibus.

3. Ad *fortitudinem* pertinent, Magnanimitas, Fiducia, Securitas, Patientia, Constantia, Magnificentia. Quarum partium sufficientia sic accipitur: quia Fortitudo, & animi debilitatem expellit, & eius magnitudinem efficit. Inquantum vero Fortitudo debilitati opponitur, triplex per eam animi debilitas expellitur: Prima est nimia passibilitas à malo futuro, quæ timiditas vocatur, & contrà hanc est *securitas*. Secunda est nimia passibilitas à præsenti malo, quæ teneritudo, vel animi mollicies dicitur, & contra hanc est *patientia*. Tertia est nimia instabilitas in proposito, quæ similis vento debili, aut arundini vento agitatæ, faciliter in omnem partem flectitur, & contra hanc est *Constantia*. In quantùm vero Fortitudo animi magnitudinem efficit, tribus partibus distinguitur: habet enim eius actus principium, medium, & finem. Quantum ad principium, ad eam pertinet *magnanimitas*, quæ est rationabilis terribilium aggressio. Quantùm ad medium, *Fiducia*, quæ est rei inchoatio secura, prosequutio, eamque ad finem perducendi firma spes & expectatio. Quantùm ad finem, est

Magni-

Magnificentia, quæ est rerum gestarum fœlix consummatio.

4. Ad *Iustitiam* pertinent multæ virtutes, quas varij variè assignant: nam quidam eam diuidunt, in seueritatem & liberalitatem. Est autem *seueritas* virtus debito supplicio coercens iniuriam. *Liberalitas* vero, virtus beneficiorum erogatrix; quam pro affectu, *benignitatem*; pro effectu *beneficentiam* vocant; & hæc tota consistit in tribuendo & retribuendo: quam in septem partes diuidunt, Religionem, Pietatem, Innocentiam, Amicitiam, Reuerentiam, Concordiam, Misericordiam. Quidam vero Iustitiam in quinque partes distribuunt: videlicet, Obedientiam, quæ est respectu superiorum; Disciplinam, quæ est respectu inferiorum; Æquitatem, quæ est respectu paris; Veritatem, & Fidelitatem, quæ ad omnes pertinent. Quidam autem duo ad iustitiam pertinere dicunt: scilicet, velle omnibus prodesse, & nulli nocere; quæ duobus præceptis legis naturalis conueniunt.

Sed generalior & perfectior Iustitiæ diuisio hoc modo poterit assignari. Nam cum sit officium iustitiæ, vnicuique reddere, quod suum est: quædam debemus omnibus, vt dilectionem, charitatem, & fidem; quædam verò non omnibus generaliter, sed specialiter quibusdam debemus: vt quædam superioribus, quædam inferioribus, quædam æqualibus, vt prætactum est. Sed & aliquid speciale debemus nobis specialiter coniunctis, vt parentibus, & patriæ, beneuolis ac consanguineis, pietatem. His autem, qui beneficia conferunt, gratiam; his, qui mala inferunt,

inferunt, vindicationem; his qui miserabiliter mala ferunt, misericordiam.

5. Amplius, inter ea, quæ superiora debentur, Aliquid est, quod soli Deo debetur, vt *Latria*, quæ à quibusdam vocatur Religio. Aliud quod soli debetur creaturæ, vt *Dulia*, quod græcum nomen est, & latinè seruitus dicitur. Et licet seruitus communis Deo & cuicunque alteri quandoque Dulia vocatur: tamen sicut Latria dicitur cultus soli Deo debitus & exhibitus; (vide & idololatria, est qua, id, quod soli Deo debetur, idolis datur;) sic Dulia appropriatè nuncupatur honor seu cultus debitus & exhibitus creaturæ. Aliud autem est, quod & Creatori & creaturæ debetur, & vtrique licet secundum magis & minus, exhibetur, vt Reuerentia & obedientia. De prædictis vero, & iis quæ ad ea pertinent, multa essent dicenda, quæ maius opus requirerent.

6. Amplius inter ea quæ inferiori debentur, specialiter est *Correctio* seu Disciplina, & hæc est multiplex: vna est omnibus communis, quam debemus corpori proprio, vt ipsum castigando subiiciamus spiritui, quod fit abstinentia ieiuniorum, asperitate vestium, duricie lectorum, labore vigiliarum, peregrinationum, verberum, & siquæ sunt similia. Alia est etiam generalis, quam debemus proximo, videlicet, fraterna correctio, quisquis enim peccat, in hoc, quodammodo, proximo subiicitur, vt ab eo secreta disciplina fraternaliter corrigatur. Alia est specialis, quam Maiores debent populo sibi subdito: & hæc est duplex; vna spiritualis pertinens specialiter ad Prælatos ecclesiasticos,

sticos, vt est contumacium excommunicatio. Alia est temporalis, magis pertinens ad principes terrenos, & malefactorum punitio, quæ fit materiali gladio.

7. Ampliùs inter ea, quæ pari seu æquali debemus, specialiter est *æquitas*, quæ est ęqualitatis amor in his, in quibus debet esse ęqualitas: & hęc valde necessaria est dispensatoribus in rerum administratione, mercatoribus in venalium commutatione, iudicibus in causarum examinatione. De singulis autem iustitiæ, aliarumque virtutum præmissarum partibus prosequi pręsentis operis breuitas non patitur: sed solùm earum distinctionem hic superficialiter collegimus, vt deuotus quisque in horto spirituali animæ suæ consideret quantum earum plantatio fructificet; & ex earum fructu quantum degustatio mentem eius vel reficiat, vel ad ęternorum pręmiorum suauitatem pręgustandam alliciat.

Tertia consideratio.

1. Vitæ actiuæ & contemplatiuæ comparatio. 2. Dispositiones ad contemplationem, præuenientes. 3. Promouentes. 4. Consummantes, & perficientes.

CAPVT IV.

EXpeditis itaque duabus considerationibus prioribus, iam tertiam aggrediamur, quam de *prægustatione præmiorum* intitulauimus. Expurgatis enim vitiis, & plantatis virtutibus, dignum

dignum eſt, vt ex horto ſpirituali fructus bonorum operum & virtuoſorum meritorum in hac vita colligamus, & in futura ęternorum pręmiorum ſuauitatem guſtemus. Sunt autem nonnulli, qui hanc ſuauitatem fructuoſiſsimam etiam in vita pręſenti quodammodo pręguſtare merentur: in quibus illud propheticum impletur, *Guſtate quoniam ſuauis eſt Dominus.* Quod vtique hi faciliùs aſſequuntur in otio religionis, quam in pręlationis officio; facilius in ſolitudine ſpirituali, quam in temporali ſolicitudine; fęlicius in vacatione contemplatiuæ vitæ, quàm in occupatione actiuæ, dicente Domino per Prophetam, *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus.* Per vacationem igitur & ſpiritualem quietem, ad diuinam viſionem & contemplationem pertingimus: ac per hoc ad illam pręmiorum ſuauem pręguſtationem, quam hic inquirimus; & ideo de *contemplatione*, & quodammodo ad eam pertinentibus, agendum eſt.

1. Sunt igitur duodecim prærogatiuæ, quæ à Sapientibus aſsignantur, in quibus vita contemplatiua videtur actiuæ pręeminere. *Prima*, quia *perfectior*, eo quod rei perfectiori intendat, ſcilicet, Deo; actiua verò proximo: vnde inter hanc & illam hęc diſtantia eſt, quia actiua in operibus iuſtitiæ, & proximi vtilitate verſatur: contemplatiua autem vacans ab omni negotio, in ſola Dei dilectione defigitur. Illa mundanis rebus benè vtitur: iſta mundo renuncians, ſoli Deo viuere delectatur, dicens cum propheta, *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* *Secunda*, quia eſt in Dei cognitione *clarior*, quod

quod figuratum est in Lia, quæ lippis erat oculis. Mens enim quæ contemplando otia appetit, sicut Rachel meliùs & clariùs videt, sed pauciores filios Deo generat: quæ vero ad laborem actionis & prędicationis se dirigit, sicut Lia, minus videt, sed ampliùs parit. *Tertia*, quia est *mundior & pulchrior*; hinc de Rachel dicitur, quia erat decora facie, & venusto aspectu: & de contemplatione sapientiæ scriptum est, *via viuus, via pulchra. Quarta*, quia est *securior*: facile enim peccatorum laqueos euadit in terris, qui oculos habet in cęlis. Ideo de tali viro contemplatiuo legimus scriptum, *Amantissimus Domini habitabit confidenter. Quinta*, quia est *quietior*: ideò de Maria dicitur, quod sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Maria ergo sedet, quia contemplatiua pacatis vitiorum tumultibus optata iam in Christo mentis quiete fruitur. Martha stat, quia actiua laborioso desudat certamine, nam & solicita est, & turbata erga plurima. *Sexta*, quia est *iucundior*: Martha enim conuiuium parat Domino; Maria vero iam in conuiuio Domini iucundatur. Contemplatiua ergo vita merito maior est, quàm actiua: quia hæc in vsu præsentis operis laborat, illa vero sapore intimo venturam iam requiem degustat. *Septima*, quia est *permanentior*, ideò dictum est, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Contemplatiua enim incipit hic, & in cælesti patria perficitur: actiua vero cum corpore deficit, quia in ęterna vita panem esurienti non porrigit, vbi nullus esurit; nec cætera opera pietatis agit, quia eis ibi non opus erit. *Octaua* est, quia

deuotior:

deuotior: vnde Maria Christum vnxisse in Euangeliis legitur, in quo vnguento, deuotionis dulcedo, & in Maria contemplatio designatur. *Nona* est, quia *Deo familiarior*, propterea per Ioannem Euangelistam figuratur, qui in cœna supra pectus Domini recubuit, vbi cælestia secreta contemplando didicit. *Decima*, quia *pretiosior*, eo quod sit *rarior*. Actiua enim communis est multorum, contemplatiua vero est paucorum; quod in arca Noë figuratum est, quæ inferius valde lata, & in summitate erat stricta. *Vndecima*, quia est *cælesti vitæ similior*, similia enim opera ad Contemplatiuam pertinent, qualia ad vitam beatam: ibi namque vacabimus, & videbimus, amabimus, & laudabimus, quæ sunt opera contemplatiuæ. *Duodecima*, quia est *vltimo fini propinquior:* nam Actiua ad Contemplatiuam, Contẽplatiua verò in Deum immediatè ordinatur. Qui ergo prius in actiua vita proficit, bene ad contemplationem ascendit: quod in Iacob figuratur, ad quem Lia prius quam Rachel introducta legitur. In quo etiam designatur, quod Prælatus debet se prius in campo actionis exercere, deinde ad montem Contemplationis ascendere, sicut Moses fecisse scribitur. Sic enim vtrique vitæ debet intendere, vt quandoque cum Martha per actiuam in varietate curarum, quasi à se recedens, circà proximum solicitus laboret: quandoque vero cum Maria per contemplatiuam, quàsi ad se regrediens, erga Deum solitarius vacet; & in illud vnum omnes vires recolligat; de quo dicitur, *porro vnum est necessarium.*

2. Ad hanc autem Contemplationem,

quædam disponendo preueniunt, quædam adiuuando proficiunt, quædam consummando perficiunt: de quibus hic breuiter prosequemur. Imprimis ergo dicimus, quod sex sunt, quæ inter alia specialiter ad contemplationem disponendo preueniunt, & præueniendo disponunt; videlicet, Quies, Solitudo, Silentium, Lectio, Oratio, & Meditatio. In tribus primis hoc diligenter obseruandum est, vt non sint implicata terrenis affectionibus, non otiosa à meditationibus spiritualibus, non infructuosa in virtuosis operibus: & tunc implebitur, quod de his tribus breui verbo Ieremias ait, *Sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se suprà se.* Quid est leuare se suprà se, nisi per contemplationem superna ascendere? Ad hoc etiam aliis tribus adiuuamur. Nam lectione instruimur, oratione erigimur, meditatione dirigimur: his namque quasi tribus scalæ gradibus ad cælestia subleuamur. Nec ad hoc primus gradus sine aliorum connexione sufficit: quia ad sapientiæ cõtemplationem non attingit lectionis instructio, nisi adsit ad erectionem mentis orationis deuotio; quippe, cum etiam illa donum Dei sit, fatuus esse probatur qui sine diuino auxilio sua industria ad eam peruenire præsumit, dicente Scriptura, *Qui indiget sapientia postulet eam à Deo.* Licet tamen contemplatio sapientiæ principaliter procedit à diuina gratia, iuuari nihilominus potest humana industria, & ad hoc per meditationem, id est, intentam mentis considerationem dirigimur. Solet autem inter meditationem seu considerationem & contemplationem assignari distinctio, licet sæpe pro

inuicem

inuicem indifferenter vsurpentur: Meditatio enim seu consideratio propriè ad rerum inquisitionem: contemplatio verò ad earum certitudinem pertinet; vt consideratio sit intenta ad inuestigandum cogitatio, contemplatio autem sit indubia rei seu veri apprehensio siue intuitio.

3. Licet autem virtutes omnes generaliter, tamen specialiter dona spiritussancti ad contemplationem adiuuando proficiunt: hac videlicet ratione; quia animam iuuant ad operandum faciliter & expeditè. Cuius rei gratia sciendum est, quod cum septem principales virtutes sint, de quibus superiùs diximus: sunt etiam septem spiritussancti dona, quæ Isaias loquens enumerat. *Requiescet* (inquit) *super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini.* Sunt etiam octo beatitudines, quas Christus in monte discipulis suis prędicauit: Sunt pręterea duodecim fructus spiritussancti, quos Apostolus nominat, nimirum, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas. Et licet hæc omnia, tam dona, quàm beatitudines & fructus sint virtutes, aut virtutum effectus: tamen inter hęc quidam ita distinguunt, vt virtutes dicant, inquantum animam inclinant ad operandum rectè; dona inquantum eam adiuuant ad operandum faciliter & expedite; beatitudines inquantum eleuant ad operandum perfectè, fructus vero inquantum alliciunt & reficiunt ad operandum dele-

ctabiliter & iucundè. Sed quia prędicti fructus, cum virtutibus donis ac beatitudinibus manifestè conueniunt: de iis nihil; de aliis verò pauca dicemus. Et primum septem dona hoc modo distinguimus. Nam per ea spiritussanctus contrà septem tentamenta nos muniendo instruit: contra stultitiam sapientia, contrà hebetudinem intellectu, contrà pręcipitationem concilio, contrà malum timorem fortitudine, contrà ignorantiam scientia, contrà duritiem pietate, contra superbiam diuino timore. Quatuor autem prędictorum malorum ad intellectum, alia tria ad affectum videntur pertinere. Nam *stultitia*, siue insipientia est, quando intellectus sapore terrenorum impeditur à gustatione cęlestium & supernorum. *Hebetudo* est grossities intellectus qua impeditur ne in creaturis creatorem agnoscens penetret interna mysteriorum. *Pręcipitatio*, est defectus deliberationis in his quæ sunt ardua, & ad perfectionem salutis pertinent. *Ignorantia* est defectus discretionis in his quæ communiter agenda sunt. Contra primum, est donum *sapientia*, quo agnoscuntur superiora, contra secundum est donum *intellectus*, quo penetrantur interiora, vnde ab intus legendo dicitur, quasi intus lectio. Contra tertium est donum *consilij*, quo agnoscuntur periculosiora. Contrà quartum est donum *scientia*, quo agnoscuntur inferiora, & agibilia minora. Trium autem malorum quæ ad affectum pertinent, vnum est respectu Dei, scilicet, *superbia* quæ est inordinata excellentia animi, contra quam est donum *timoris*; aliud respectu proximi, scilicet *duricies*, contrà

quam

quam est donum *pietatis*; tertium respectu inimici, seu mali aduersi, videlicet, *pusillanimitas* timoris, contrà quam est donum *fortitudinis*. Horum quoque donorum tria pertinent ad diuina; Nam dono intellectus cognoscitur Dei veritas, Dono Sapientiæ gustatur eius suauitas, Dono timoris honoratur eius sublimitas. Alia autem pertinent ad humana: quæ diuiduntur in ea quæ agenda sunt communiter ab omnibus, & sic sunt sub præcepto quod pertinet ad salutis necessitatem, circa quæ est donum pietatis, cui in his lumen præstat donum scientiæ: vel in ea quæ specialia & ardua sunt, caduntque sub consilio, tanquam pertinentia ad salutis perfectionem, & circa illa est donum fortitudinis, cui in his lumen præstat donum consilij. Eorundem etiam donorum tria specialius pertinent ad intellectum, scilicet, donum scientiæ, consilij & intellectus: tria ad affectum, videlicet donum pietatis, fortitudinis & timoris; Donum vero sapientiæ quodammodo ad vtrumque videtur pertinere: quia eius proprium est non solum videre, sed etiam gustare, vnde & sapientia dicitur, quasi sapida & saporosa scientia. Horum denique donorum duo pertinent ad Contemplatiuam, videlicet sapientia & intellectus: quia dono sapientiæ Deum contemplamur in se, dono autem intellectus in creaturis; Alia quinque pertinent ad actiuam, quia timore declinamus mala, pietate autem & fortitudine adiuuante lumine scientiæ & consilij bona prosequimur. Licet tamen inter dona, sapientia primo loco & timor vltimo nominetur, nihilominus à dono timoris

contemplatio sapientiæ inchoatur, sicut scriptum est, *initium sapientiæ timor Domini*: donis vero mediis proficiendo ad perfectionem appropinquatur, sed dono sapientiæ contemplationis perfectio consummatur.

4. Inter illa vero, quæ Contemplationis perfectionem consummant, & consummationem perficiunt, seu efficiunt, specialiter ponendæ sunt octo beatitudines euangelicæ: ex eo videlicet, quia mentem eleuant ad operandum perfectè, vt suprà tetigimus. In illis enim octo doctrinæ suæ regulis expresśit Christus compendium totius euangelicæ legis, & Christianæ perfectionis, ex quibus alia dependent omnia: Vnde vt illius doctrinæ perfectionem & sublimitatem ostenderet, eam daturus ascendit in montem. Ideo autem beatitudines nominantur, quia in eis consistit beatitudo viæ quodammodo propinqua beatitudini patriæ: & ei in aliquibus consimilis. Nam huiusmodi beatitudo nobis in via præsentis vitæ posśibilis, in tribus consistere dicitur, in altitudine sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimitate. Has autem beatitudines ita possumus distinguere. Per illas enim anima ad bonum, & contrà malum perfecte ordinatur. Ad bonum quippe ordinatè se habet, si modica bona modicum diligat, si vera bona esuriat & sitiat, si eis ita adhæreat, vt nulla pœna ab eis separari valeat; ad primum pertinet, *Beati pauperes spiritu*; Ad secundum, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*; Ad tertium, *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam*; Ad malum vero quis ordinate se habet, si nulli malum inferat, sed

sibi

ſibi illatum vel gratis aſſumptum ęquanimiter ferat; ſi alteri illatum, pro poſſe, auferat; ſi ſtudioſe caueat, vt nec inquinetur à malo culpæ, nec perturbetur à malo pœnæ; Ad primum pertinet, *Beati mites* Ad ſecundum, *Beati qui lugent.* Ad tertium, *Beati miſericordes.* Ad quartum, *Beati mundo corde.* Ad quintum, *Beati Pacifici.* In prima Beatitudine eſt perfectionis inchoatio, ſcilicet in paupertate ſpiritus, ſeu humilitate, quia prima virtus Chriſtianorum eſt Humilitas; In beatitudinibus mediis eſt perfectionis conſummatio; In vltima vero perfectionis oſtenſio. Ad perfectionem itaque duo pertinent, purgari à noxiis, & repleri bonis. Primum ad paupertatem ſpiritus & ad manſuetudinem pertinet; quia Paupertas ſpiritus fugat mala quæ nobis proueniunt ab his quæ in nobis, vel circa nos ſunt, ſcilicet, amorem & ſolicitudinem ſęculi. Manſuetudo vero fugat mala quæ nobis eueniunt ab aduerſis quæ contra nos ſunt, videlicet perturbationes animi. Secundum vero, hoc eſt, Repletio boni, ad alias quinque beatitudines pertinet. Eſt enim duplex bonum: nempe bonum expediens ſecundum quid, vt medicina vel abſciſsio membri pro ſalute corporis: & bonum ſimpliciter & abſolutè expediens: Ad primum pertinent luctus pœnitentia, & perſequutionis patientia, quibus ſalubriter quis eligit hic cruciari, vt poſsit in futuro conſolari. Ad bonum autem ſimpliciter pertinent quatuor ſequentes beatitudines, duæ primæ ad actiuam, duæ aliæ ad contemplatiuam. Eſuries iuſtitiæ, reſpicit bonum quod debemus de neceſsitate, Miſericor-

dia vero bonum quod fecimus ex supererogatione. Aliarum duarum quæ pertinent ad contemplatiuam, prior spectat intellectum, nempe cordis munditia, cuius est videre Deum; posterior affatum, nempe pacis tranquillitas, cuius est, cuius est pręparare Deo mentis habitaculum: dicente propheta, *In pace factus est locus eius.* His itaque octo gradibus mirabilem perfectionis scalam Christus nobis erexit, cuius vtraque extremitas cęlum tangit: Ideo in commendatione primæ beatitudinis & vltimæ dicitur, quoniam ipsorum est regnum cęlorum, hic videlicet in spe, & finaliter in re ipsa, quam iam quodammodo possident in cęlestis suauitatis pręgustatione.

Obiecta Contemplationis.

1. Quæ sunt in nobis. 2. Quæ sunt iuxta nos. 3 Quæ contra nos. 4. Quæ pro nobis 5. Quæ suprà nos. 6. In sanctis animabus. 7. In Angelicis spiritibus. 8. In diuinis perfectionibus.

CAPVT V.

DIstinximus plura, quæ aliqualiter ad contemplationem pertinere videntur: nunc autem ea distinguamus, circa quæ Contemplationis consideratio versatur. Licet enim propriè & principaliter Contemplatio solùm respectu Dei sit: tamen eius consideratio quodammodo se extendit ad res alias, prout in Deum, & in eius cognitionem ac dilectionem refe-

referuntur. Tria sunt igitur, ad quæ huiusmodi consideratio extenditur; videlicet, ea, quæ nos sumus, vel quæ in nobis sunt: ea, quæ circa nos sunt; & ea, quæ supra nos sunt: de quibus breuiter est dicendum.

1. Igitur quantum ad ea, *quæ nos sumus*, vel, quæ in nobis sunt; tria considerare debemus: scilicet, mirabilem humani corporis compositionem, mirabiliorem corporis & spiritus connexionem; & mirabilissimam animæ rationalis conditionem. Circà *primum*, considerandum & admirandam est Dei artificium in debita vniuersorum membrorum proportione; in ordinata tam exteriorum quàm interiorum sensuum distinctione; in pulchra denique humani vultu decoratione: quem propterea sursum erectum formare voluit, vt hominem ad cęlestium diuinorumque contemplationem factum esse ostenderet. Ideo, vt poeta inquit;

Pronaque cum spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Circà *secundum* verò, in ipsa connexione animæ ad corpus illud singulari admiratione dignum est, quod non solùm ipsum ad vitam, & ad sensum animare potest; sed in hoc etiam quodammodo similem Deo habitudinem tenet. Nam quemadmodum Deus in omni creatura sua inuenitur vbique totus: sic anima, licet simplex sit & indiuisibilis, per omnia corporis membra diffusa est. Et sicut Deus in mundo omnia solo voluntatis nutu creauit, omnia mouet, omnia regit atque disponit: sic anima in toto corpore vbique tota, quasi in suo quo-

dam mundo, omnia membra mouens, eis vires influit, actiuitatem præstat, & sæpe sola voluntatis libertate agere imperat; vt ideo merito sapientes quidam hominem *microcosmum*, id est, minorem mundum nominare voluerint.

Circa *tertium* autem, ipsam conditionem rationalis animæ diligenter meditari, & vehementer mirari debemus: nam anima nihil rectum existimat, quæ seipsam ignorat; nescit, quòd sub pedibus suis omnis mundana gloria iacet, quæ conditionis suæ dignitatem non pensat; nescit omnino quid de spiritu angelico, quid de diuino sentire debeat, quæ seipsam prius non cogitat. Cogita, ô anima, naturæ tuæ excellentiam; quomodo te fecerit Deus ad imaginem & similitudinem suam; quomodo in triplici animæ potentia, memoratiua scilicet, intellectiua, & volitiua, in te sanctæ Trinitatis imaginem impresserit; quomodo in virtutibus variis in te similitudinem suam expresserit; quomodo te super omnem corpoream creaturam sublimauerit; quomodo in te omnium creaturarum perfectionem quodammodo in vnum collegerit: & sibi cum insensibilibus, esse; cum plantis, viuere; cum brutis, sentire; cum angelis, intellectualiter cognoscere, & libere velle contulerit; quomodo cum eis te indiuisibilem, ac perpetuam, & Dei capacem, atque in eo solo quietabilem, de nihilo creauerit.

Cogita etiam circa operationes animæ, volubilitatem cogitationis; agilitatem imaginationis; ingenij acumen; discretionis examen; capacitatem memoriæ; viuacitatem intelli-

gentiæ

gentiæ: & circà hęc alia plura stupenda, de quibus aliàs in tractatu de anima plura collegimus.

Sed ne tuæ naturalis dignitatis consideratio te extollat, tuæ etiam imperfectionis defectum considerare necesse est: vt vnum per aliud temperetur. Agnosce itaque quid fueris, quid sis, quid esse debueris, quid esse poteris; Quid fueris, per naturam; Quid sis, per culpam; Quid esse debueris, per tuam industriam; Quid adhuc esse possis, per diuinam gratiam. Nunc malorum tuorum reminiscens, considera vbi fueris; nunc diuinorum iudiciorum sententiam metuens, cogita vbi eris; nunc mala præsentis vitæ solerter merens, agnosce vbi sis; nunc bona supernæ patriæ contemplans, salubriter lugens, conspice vbi non sis. Considera denique, ô homo, definitionem tuam, quia animal es rationale mortale: vnde quia rationalis es cum Deo & Angelis participans, mentem in cęlum erigere: & quia mortalis es cum terrenis animalibus viuens, mortem meditari, & metuere finem debes. Hinc à quodam poeta dictum est,

O fælix mortale genus, si semper haberet
Æternum præ mente bonum, finemque timeret.

2. His consideratis, quæ nos sumus, aut quæ in nobis sunt: ad ea consideranda transeamus, quæ *circa nos* sunt. Et hęc trifariam distinguuntur, nam quędam iuxta, vel prope nos; quędam contrà nos; quędam pro nobis, seu propter nos sunt. *Primum* ergo, quantum ad ea quæ *iuxta*, vel *prope nos sunt*, id est, proximos nostros; consideranda sunt tam perfectorum, quàm imperfectorum bona & mala, vt inde

elucescat quid imitari, & quid vitari expediat: vt ex bonis discas vnde Deo gratias agere, ex malis verò quid corrigere debeas. Ad hanc considerationem pertinet bona proximorum meditari ad imitationis ęmulationem, & ad Dei laudem ac gratiarum actionem: mala vero, ad nostram eruditionem, & ipsorum proximorum ęmẽdationem & compassionem. Nam cum ex charitate proximos nostros, etiam inimicos, sicut nosipsos diligere, id est, eorum perfectionem & salutem eisque gratiam & gloriam optare debeamus: consequens est vt eorum bonis congaudere, & eorum malis condolere, sicut propriis, teneamur. Ideo dicit Apostolus: *Charitas non quærit, quæ sua sunt*: quæ sua reputat aliena; & quæ aliorum sunt, quęrit tanquam propria. Qui ergo eam habet, omnes propter Deum amat. Sic tamen in homine amat naturam, vt culpam odio habeat: nullum tamen propter culpam spernit, nullum contemnit, nullum iudicat, nullum se indigniorem quantum ad gratuitam Dei electionem aut finalem dilectionem reputat. Quia enim nemo scit, an amore vel odio dignus sit: ipse sua, & aliorum etiam peccata tanquam propria deflens, sibi & omnibus congruentia bona desiderat; In hoc autem desiderio ita debitum sapientiæ ordinem seruat, vt bona maiora minoribus pręferat, sicut, corpora rebus, animas corporibus, spiritualia temporalibus, æterna caducis.

3. Deinde, quantum ad ea, quæ *contra nos* sunt, id est, nobis aduersa, considerandum est, ea in triplici differentia consistere: nam quædam

dam sunt patienter toleranda, quædam patienter impugnanda, quędam prudenter formidanda. Ad *primam* differentiam pertinent aduersa tribulationis: quæ iterum triplex est, scilicet, diuinæ correctionis, humanæ persequutionis, & diabolicæ impugnationis. Et pro his non solum patienter, sed etiam gaudenter tolerandis, nos consolatur scriptura, dicens, *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* O magna tribulationis vtilitas! Cumque eius alias multiplex vtilitas assignetur, hęc vna sufficit, quod per eam cęlestis regni introitus aperitur, & nobis adhuc in terra iacentibus nostra mens diuinæ visionis cęlestiumque contemplatione subleuatur. Hinc Iacob ab Esau persequutionem patiens, vidit Dominum facie ad faciem. Hinc Stephanus in tribulatione positus vidit gloriam Dei. Hinc Ioannes in exilium relegatus reuelationes diuinas habuit, de quibus Apocalypsim conscripsit. Ad *secundam* differentiam pertinent triplicis hostis, mundi carnis & dęmonis prętia, quibus contra nos indesinenter insultantibus, potenter repugnare debemus: vt nec mundi turbatio, nec carnis inquinatio, nec dęmonis tentatio nobis pręualeant, nec eorum vitiis succumbamus, alioquin ad contemplationis scalam non resurgimus erecti, sed deiecti ab ea cadimus. Ad *tertiam* differentiam pertinent pręcipuè tria, quæ prudenter formidare, ac formidando cauere tenemur, videlicet peccati deformitas, inferni pœnalitas, purgatorij acerbitas. In deformitate peccati, consideremus Dei offensam inęstimabilem, propter infinitatem suæ excellentiæ; In pœna-

pœnalitate inferni, Dei furorem seu vindictam implacabilem, propter rigorem suæ iustitiæ; In acerbitate purgatorij, Dei iram mitigabilem, propter dulcorem suæ clementiæ. Hæc considerans Propheta orabat, dicens, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* Et ad hoc, non suorum meritorum iustitiam; sed suæ infirmitatis miseriam, & diuinæ bonitatis misericordiam allegauit: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, saluum me fac secundum misericordiam tuam;* Et iterum, *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Vbi sane magnam deplorat miseriam, qui magnam implorat misericordiam. Heu quàm formidandi, quàm cauendi sunt, furor iste, & ira ista Dei! Igitur ne in furore arguamur, & ne in ira corripiamur, implorata magna Dei misericordia, nos ipsos arguamus, & corripiamus. Arguamus nos de multiplici negligentia, de multiplici concupiscentia, de multiplici nequitia: de *negligentia*, in pœnitentia peccatorum; in resistentia tentationum; in profectu ac perseuerantia bonorum operum. Arguamus nos de *multiplici concupiscentia* voluptatis, vanitatis, & curiositatis: de concupiscentia voluptatis, in vestimentis deliciosis, in cibariis saporosis, in oblectamentis luxuriosis; De concupiscentia vanitatis, fauoris, laudis, & honoris; De concupiscentia curiositatis, ad sciendum occulta vel minus vtilia, ad videndum pulchra & nimis allectiua, ad habendum cara, & valde sumptuosa. Arguamus nos de *multiplici nequitia*, iracundiæ, inuidiæ, & acediæ. De his ergo, aliisque peccatis arguamus nos, &

corri-

corripiamus, per cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem: quia sine his tribus gradibus scalam contemplationis ascendere non valemus.

4. Postquam diximus de his, quæ *contra nos sunt*, etiam de his quæ *pro nobis*, seu propter nos sunt, dicendum est: nam sapientia considerat *pro & contrà*, hoc est, prospera & aduersa, bona & mala; Ipsa à fine vsque ad finem attingens, omnium habet notitiam, cęlestium, terrestrium, & infernorum; cęlestium, vt appetantur; terrestrium, vt contemnantur; infernorum, vt timeantur. Omnium quoque, tam bonorum, quàm malorum saporem habet: vnde sapientia, quasi sapida scientia dicta est, quia ipsi omnia sapiunt prout debent, scilicet mala culpæ, vt amara; mala pœnæ, vt insipida; bona temporalia, vt vilia; bona spiritualia, vt pretiosa; bona gratiæ, vt saporosa; bona gloriæ, vt fructuosa. Ideò bene dictum est, *Inuenisti sapientiam, si tibi sapiunt singula, prout sunt.* Per hanc igitur sapere debemus ea, quæ pro nobis sunt, seu propter nos, hoc est Dei auxilia & beneficia. Horum quædam sunt generalia, quædam specialia, quędam singularia. Et iterum *generalia* diuiduntur in beneficia creationis, reparationis, & glorificationis. Primò namque humana natura creatur, vt sit: secundo reparatur, seu iustificatur vt bona sit; tertio glorificatur, vt beata sit. Per creationem, ad bonum initiatur; per iustificationem, in bono dilatatur; per glorificationem, in bono confirmatur. In nullis autem aliis Dei operibus apparet, vel eius potentia sublimior, vel sapientia mirabilior, vel misericordia iucun-

iucundior. Insuper beneficia Dei *specialia* tria sunt: Primum est, expectationis, quo Deus peccatores patienter expectat ad pœnitentiam; Secundum, conuersionis, quo diu expectatos conuertens iustificat per gratiam; Tertium, conseruationis, quo conuersos à casu præseruat, & in bono statu conseruat per perseuerantiam. Ampliùs, quædam sunt Dei beneficia *singularia*, quæ vnicuique singulariter exhibentur, vel in bonis temporalibus, corporalibus, spiritualibus; vel in bonis naturæ, fortunæ, & gratiæ: quæ quisque diligenter considerans, non dicam remunerare, sed vix enumerare sufficiet; Hinc ait Propheta, *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Itaque in his omnibus Dei beneficiis, Benefactorem nostrum meditari, atque mirari, ipsumque pro qualicunque eorum retributione benedicere, ac laudare tenemur; at non minus pro generalibus, quam pro singularibus beneficiis, quas possumus gratias referre: quia non minus pro me fecit, qui mihi cum aliis benefecit; imo eo magis, quo bonum, quanto communius, tanto diuinius, vt ait philosophus.

5. Post hæc, ad ea tandem contemplanda, *quæ supra nos sunt*, corda leuemus. Vt enim ad eorum contemplationem Sapientia conscendere possit, alia omnia vndique circumspicit: intus scilicet, & extra, ante, & retrò; à dextris, & à sinistris; sursum & deorsum. *Intus* considerat cogitationes & affectiones; *extra*, loquutiones, & operationes; *retro*, peccata preterita; *ante*, præsentia & futura; *à dextris*, prospera; *à sinistris*, aduersa; vel, à dextris, exempla bono-

rum;

rūm; à finistris exempla malorum, seu merita, & demerita; *sursum*, bonorum præmia; *deorsum*, malorum supplicia; vel, superiùs, cæleste regnum; inferiùs, terrenum exilium. Sed quorsum hæc omnia? Sane vt per eorum considerationem finaliter sapientiæ contemplatio ad ea, quæ supra nos sunt, perueniat. *Suprà nos* autem dicimus, non cælum, non solem, vel lunam, aut stellas: quia etsi supra nos sint loci positione, sunt tamen infra nos pretij seu naturæ dignitate ac perfectione; cum & ea omnia, & omnia corporalia, quæ ab eis sunt, propter nos facta, nobis subsint. Sed supra nos sunt, Deus, Angelus, & spiritus beatus; Deus per naturam, Angelus per naturam & gratiam; spiritus beatus per gratiam & gloriam. Ideo de his tripartita nobis erit contemplationis consideratio: Prima de beatis animabus, secunda de angelicis spiritibus, tertia de diuinis perfectionibus; vt sic de minoribus ad maiora & altiora procedamus, & mirabilem Dei potentiam, sapientiam, & clementiam in sanctis suis contemplemur, psallentes cum propheta, *Mirabilis Deus in sanctis suis* Licet autem statum beatitudinis, & modum glorificationis hominum, vel angelorum sanctorum, propter mirabilem eius altitudinem, nec hominis sensus capere, nec ratio possit comprehendere; (propter quod humana auiditas, quod per experimentum, vel rationem non probat, quandoque pro modico, vel pene pro nihilo reputat;) mens tamen humana de futuræ beatitudinis certitudine fidei attestatione stabilita, illius magnitudinem per contemplationem meditando,

tando, atque mirando, tandem post plenam mundationem conscientiæ, post multa exercitia iustitiæ, sępe incipit sperare, & quodammodo sperando & amando prægustare, quod prius vix poterat credere. Et hoc est, ad quod debemus indesinenter tendere, donec futuræ illius plenitudinis, plenæ fœlicitatis, & fœlicis suauitatis quantulascunque primitias accipere valeamus.

6. Consideremus ergo in *beatis animabus* mirabilem earum gloriam, & inde in *angelicis* spiritibus mirabiliorem excellentiam, & ex his denique in *diuinis* perfectionibus mirabilissimam supereminentiam contemplemur. Igitur illa *animarum* beatifica gloria principaliter consistit in sanctæ & indiuiduę Trinitatis compręhensione, quæ tria complectitur: videlicet, clarissimam visionem, suauissimam fruitionem, & sacratissimam delectationem; ex visione, fruitio, siue dilectio; & ex his delectatio inseparabiliter consequitur. Ideoque in his tribus beatitudo essentialiter consistere dicitur; licet eam plura alia accidentaliter comitentur. Vnde Ioannes in Apocalypsi ipsam beatitudinis gloriam vidisse intelligitur sub figura coronæ duodecim stellarum, in quibus duodecim conditiones coronæ beatificæ designantur, videlicet, tres supradictæ dotes animæ, visio, fruitio, delectatio; & quatuor dotes corporis glorificandi, quæ sunt, pulchritudinis claritas, subtilitas, agilitas, impassibilitas; ac quinque sensuum perfecta satietas. Insuper etiam per duodecim fructus ligni vitæ, quos ibidem Ioannes commemorasse legitur, duodecim priuilegia beato-

rum,

rum, post generalem resurrectionem corporum, figurantur: videlicet, sanitas, sine infirmitate; iuuentus, sine senectute; impassibilitas, sine morte; pulchritudo, sine deformitate; libertas, sine seruitute, vel coactione; pax, sine turbatione; securitas, sine timore; satietas, sine fastidio vel esurie; abundantia, sine indigentia, vel paupertate; cognitio, sine ignorantia, vel errore; gloria, sine ignominia, vel dedecore; gaudium, sine tristitia, vel dolore. Licet autem verum & essentiale beatorum gaudium, principaliter sit in ipso creatore, & in ipsa beatissima Trinitate: tamen erit etiam accidentaliter de creatura, & in eius multiplici consideratione. Gaudebunt quippe de Christi humanitate, quam videbunt vnitam deitati. Gaudebunt de cęlesti habitatione, & loci amœnitate pulchritudine, & magnitudine, quam possidebunt. Gaudebunt de iucunda sanctorum tam hominum quam Angelorum societate, societatis multitudine, multitudinis vnitate, & charitate, cum qua regnabunt. Gaudebunt de corporum glorificatione, quam post resurrectionem habebunt. Gaudebunt de mundi periculis, quæ superauerunt. Gaudebunt denique de inferni suppliciis & pœnis, è quibus euaserunt, & in quibus Dei offensam iusta vltione puniri lętabuntur: quia, sicut per prophetam dicitur, *Latabitur iustus cum viderit vindictam.* Est prętere aliud speciale gaudium, seu præmium accidentale, quod respectu essentialis præmij dicitur *aureola*, id est, parua corona, quæ dabitur aliquibus sanctis, ratione alicuius meriti excellentis: & hæc tribus statibus hominum assignatur doctoribus: scilicet,

scilicet, virginibus, & martyribus. Hæc itaque pauca de præmiis gloriæ diximus; quæ omnino maiora sunt, quam cogitare aut dicere valeamus; quia, vt Apostolus ait, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.*

7. Sed iam ad *Angelicos* spiritus nostra consideratio dirigatur. Et vt de malis Angelis taceamus, quos superbia à cælestibus sedibus eiecit; de illis loquamur, quos fide tenemus in cælis esse gloriosos atque beatos, immortalitate perpetuos, intellectu perspicuos, affectu beneuolos, mundicia puros, sanctimonia integros, religione pios, pietate serenos, serenitate ac pace securos; & sicut à Deo conditos, sic diuinis laudibus atque obsequiis deditos; sicut ab initio stabiles, sic in perfectionis stabilitate perseuerantes; sicut in personis distinctos, sic in distinctis, ordinibus, gradibus, & officiis dispositos. Sunt enim *Angeli*, qui in ministerium missi, singuli singulis hominibus dati creduntur; Sunt *Archangeli*, qui minoribus Angelis præsunt, & diuinorum mysteriorum conscij, non nisi ob præcipuas & maximas causas mittuntur. Sunt *Virtutes*, quorum nutu & opera signa vel prodigia fiunt. Sunt *Potestates*, superiores istis, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, ne, quantum vult, noceat. Sunt *Principatus*, quorum moderamine omnis in terra principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, atque mutatur. Sunt *Dominationes* sic præfatis supereminentes ordinibus, vt horum respectu cæteri videantur omnes administratorij spiritus, & ad istos, tanquam ad

Do-

Dominos, referri regimina Principatuum, tutamina Poteſtatum, operationes Virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidentiam Angelorum. Sunt *Throni*, qui ex eo, quod altè ſedent, Throni dicuntur: & ideo Sedent, quia in eis ſedet Deus altiſsimus: quam Seſsionem, ſummam tranquillitatem, & tranquillam ſerenitatem ac pacem intelligimus. Sunt *Cherubim*, qui ex ore altiſsimi ſapientiam haurientes, in vniuerſis ciuibus cæleſtibus fontalis Sapientiæ fluenta refundunt. Sunt denique *Seraphim*, qui diuini amoris igne ſuccenſi, ſingulos illos ciues, lucernas ardentes charitate, & claritate lucentes efficiunt. In his autem contemplari Deum poſſumus. Nam cum præmiſſa omnia operentur Angelici ſpiritus: ea tamen in eis, & per eos operatur perfectiùs ille vnus atque idem ſpiritus, qui ſingulis diuidit prout vult. Nam illa faciunt Angeli, non bono quod ſunt, ſed bono quo Dei participes fiunt: Deus autem bono, quod ipſe eſt eſſentialiter, illa efficit ſupereminenter. Nam ſuper Angelos aſsiſtit, & cuſtodit, vt ſuprema pietas; ſuper Archangelos reuelat, erudit, vt intima claritas; ſuper virtutes operatur, vt ſumma virtus; ſuper poteſtates tuetur, vt vera ſalus; ſuper principatus regit, vt principium efficiens; ſuper dominationes præeſt, vt maieſtas omnipotens; ſuper thronos ſedet, vt ſereniſsima æquitas; ſuper Cherubim nouit, vt ſapientiſsima veritas; ſuper Seraphim amat & ardet, vt ſuauiſsima charitas. O quàm bonum & iucundum eſt, ibi cum cæli ciuibus habitare! & per mentis contemplationem, vtcunque poſſumus,

mus, illas circuire lucidissimas mansiones! & cum Propheta exclamare, *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

8. Verum multo melius est, atque iucundiùs, hos Angelicos, aliosque beatos spiritus pertransire, & ad *Dei* diuinarumque perfectionum contemplationem peruenire, & dicere cum Sponsa in canticis, *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* In hac itaque consideratione illud sciendum est, quod diuinarum perfectionum; quædam sunt non contrà, sed suprà rationem: quædam verò non præter, sed secundum rationem. Supra rationem sunt, quæ ad diuinam Trinitatem pertinent, vt trium hypostasium, seu suppositorum, aut personarum in vna deitate realis distinctio, illarum trium rerum essentialis circumincessio; earundem suppositalis emanatio: Patris principians productio, Filij æterna generatio, Spiritus sancti ab vtroque spiratio; & alia huiusmodi, quorum compræhensio magis haberi speranda est per beatitudinem patriæ, quàm per contemplationem viæ. Sed alia sunt secundum rationem, quæ ad diuinam pertinent vnitatem: vt quod vna sit Dei essentia, simplicissima, immensa, infinita, immobilis, omnipotens, liberrima, & generaliter perfectissima: quæ licet humanæ modum intelligentiæ excedant, rationi tamen consonant. In his verò fides rationem confortat, & ad eorum contemplationem adiuuat. Quidam autem omnem huiusmodi perfectionum considerationem in quadruplicem speciem colligunt. Prima est, Admiratio Maiestatis, & hæc maxima, quęque requi-

requirit cor purgatum, & à vitiis liberum, vt facile se ad superna leuet. Secunda huic necessaria, Intuitio iudiciorum Dei, quæ pauido aspectu, dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, seruat humilitatem. Tertia est, Memoria beneficiorum, quæ ne dimittat ingratum solicitat memorantem ad amorem benefactorum. Quarta est, Expectatio promissorum, & meditatio æternitatis: quia enim, quæ promittantur, æterna sunt, hæc longanimitatem alit, & perseuerantiæ dat vigorem. Ad hæc vero conuenienter adaptatur illud Pauli Apostoli, *Vt possitis comprahendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.* Longitudinem appræhendit meditatio promissorum; Latitudinem, recordatio beneficiorum; Sublimitatem, contemplatio maiestatis; Profundum, inspectio iudiciorum. Hæc in Deo vna res sunt: quæ longitudo dicitur, propter æternitatem; latitudo propter charitatem; sublimitas propter excellentiam; profunditas propter sapientiam. Hæc autem, disputatio non compræhendit, sed affectio sancta: & ipsa gemina, timor Domini sanctus, & sanctus amor; & timor quidem, sublimi & profundo, amor lato, longoque respondet. Quid tam timendum, quàm potestas, cui non potes resistere, quam sapientia, cui abscondi non potes? Quid tam amabile, quam amor ipse, quo amaris? amabiliorem tamen adiuncta æternitas facit. Stupenda itaque sublimitas maiestatis; pauenda abyssus iudiciorum; feruorem exigit charitas; æternitas perseuerantiam sustinendi.

Ad

Ad hos contemplationis modos reducere possumus, quidquid de diuinis perfectionibus meditamur & loquimur: vt, quod Deus est vnitas indiuisa, Trinitas inconfusa, fœcunditas immensa, fœlicitas infinita; maiestas imperscrutabilis, potestas imperturbabilis, firmitas immobilis, æternitas interminabilis; Veritas omnisciens, voluntas omnipotens, bonitas omnia communicans, charitas omnia amans; incommutabilis ratio, rationabilis dispositio, disposita prædestinatio, prædestinata beatitudo; beatorum gloria, peruersorum pœna; glorificandorum electio gratissima, puniendorum reprobatio iustissima; summa iustitiæ æquitas, summa misericordiæ pietas, summa beneuolentiæ largitas, summa beneficentiæ benignitas. Cuius beneuolentiæ atque beneficentiæ longissima & benignissima virtus creat mentes ad se participandum, viuificat ad sapiendum, afficit ad appetendum, dilatat ad capiendum, iustificat ad promerendum, beatificat ad comprahendendum; illuminat ad cognitionem, visitat ad consolationem, roborat ad virtutem, perpetuat ad immortalitatem, implet ad satietatem, circundat ad securitatem. Hinc rectè dictum est, *In ipso viuimus, mouemur, & sumus:* viuimus, vita naturæ & intelligentiæ rationalis; mouemur, vita gratiæ & meritoriæ actionis; sumus vita gloriæ ac stabilitæ confirmationis. Nec solum nos in ipso sic specialiter sumus, sed etiam in eo generaliter sunt omnia, dicente Apostolo, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*: ex quo omnia, non tanquam ex semine vel materia præiacente, sed vt ex

idæa

idæa vel exemplari precedente ; *Per quem* omnia, non tanquam alio artifice indigentem, sed per se, tanquam primum & vnicum omnium principium omnia producere sufficientem; *In quo* omnia, non quasi in loco continente, sed vt in virtute conseruante. Cumque omnia sint in eo, ipse quoque est omnia in omnibus, non realiter, sed virtualiter; nec in rebus localiter, sed in eis vbique est essentialiter: Ipse denique infrà omnia, & suprà omnia : infra omnia, non inclusus; suprà omnia, non exclusus. Sed cum dicat Euangelista, *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est* : antequam mundus fuerat, vbi erat ? Sanè in seipso semper est, & æternaliter erat. Sic ergo de Deo & diuinis perfectionibus, vt possumus, cogitantes, eum contemplando quærimus. Sed quantumcunque in altum nostra cogitatio proficiat, vltrà est : nec infrà id, quod humana meus potest cogitare, sed semper vltrà, supraque ipsa altissimus querendus est; quem pia oratione & deuotione, quàm nostra indagatione aut disputatione, & querimus digniùs, & inuenimus faciliùs.

De differentiis, & gradibus Contemplationis.

1. Tres gradus contemplationis. 2. Differentia cogitationis, meditationis, & contemplationis. 3. Sex genera contemplationis. 4. Triplex cælum animæ. 5. Varij modi & qualitates contemplationis. 6. Varij gradus prædictorum modorum.

CAPVT VI.

1. POstquam autem diximus de rebus contemplandis, restat vt dicamus de variis modis & speciebus Contemplationis. Et quia Consideratio est genus ad contemplationem strictè & propriè dictam, de tribus considerationis gradibus vel speciebus prius est agendum. Quarum specierum gradus quidam ita distinguunt, dicentes, illum magnum esse, qui vsum sensuum, velut quasdam ciuium opes, expendere satagit, disponendo in suam & multorum salutem; Illum verò non maiorem, qui hunc sibi gradum ad illa inuisibilia philosophando constituit: nisi quod hoc dulciùs, illud vtilius; hoc fœlicius, illud fortius esse constat. Illum autem maximum, qui spreto ipso rerum vsu & sensuum, quantum quidem humanæ fragilitati fas est, non ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus auolare interdum contemplando ad illa sublimia consueuit. Ad hoc vltimum pertinent excessus Pauli; *excessus*, non *ascensus*: nam potiùs raptum fuisse, quàm ascendisse ipse se perhibet. Has itaque considerationis species propriis distinguunt nominibus: primam vocant Dispensatiuam; secundam, Æstimatiuam; tertiam, Speculatiuam. *Dispensatiua*, est consideratio sensibus, sensibilibusque rebus ordinate & socialiter vtens ad promerendum Deum. *Æstimatiua*, est consideratio prudenter ac diligenter queque scrutans & ponderans ad inuestigandum Deum. *Speculatiua*, est consideratio se in se colligens, &, quantum

tum diuinitùs adiuuatur, rebus humanis eximens, ad contemplandum Deum. Quod prima optat, secunda adorat, tertia gustat: ad quem tamen gustum perducunt & cęteræ, licet tardiùs; sed prima laboriosiùs, secunda quietius peruenitur. Verùm quia ea, quæ suprà nos sunt, ad quorum contemplationem ascendere quærimus, non tam verbo docentur, quam spiritu reuelantur; dicente Apostolo, *Vobis reuelauit Deus per spiritum suum*: ideò, quod sermo non explicat, consideratio quęrat, oratio expetat, mereatur vita, puritas assequatur.

2. Adhuc autem quidam hanc materiam tractantes, subtilius inter cogitationem, meditationem, & contemplationem distinguunt. Nam eandem rem aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, aliter per contemplationem miramur. In cogitatione est euagatio, in meditatione inuestigatio, in contemplatione admiratio. Nam *cogitatio*, est improuidus animi aspectus, huc illucque ad euagandum pronus. *Meditatio* autem, est prouidus animi intuitus in veritatis inquisitione vehementer occupatus. *Contemplatio* vero, est perspicax & liber animi contuitus, in sapientiæ spectacula cum admiratione vsquequaque diffusus. Speculatio itaque & contemplatio, licet pro inuicem poni soleant, tamen quodammodo discernuntur: quia *speculationem* dicimus, quando per speculum cernimus; *Contemplationem*, quando sine inuolucro vmbrarumque velamine veritatem in sua puritate videmus; Et sic contemplatio valde strictè accipitur. Contemplationis verò formam in cæli volatilibus

considerare possumus : nam videmus alia & alia nunc ad inferiora, nunc ad superiora; nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum ; nunc in anteriora, nunc in posteriora; nunc in gyrum moueri; nunc celeriter, & quasi subito flecti, nunc in vno eodemque loco diutiùs suspendi,& mobili agitatione se quasi immobiliter figere,ac si operis exequutione videantur dicere , *Bonum est nos hic esse.* Iuxta huius similitudinis exemplar , nostræ contemplationis volatus etiam multipliciter variatur; vt ex dictis patet . Sic etiam sæpe cogitatio in meditationem, & meditatio in contemplationem transit, dum veritatem diu volitando quęsitam, mens solet per meditationem inuentam cum auiditate suscipere , & tandem per contemplationem mirari cum exultatione, eiusque admirationi diutiùs inhęrere . De contemplatione, quæ sursum & deorsum volitat , dicitur , *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos*; de illa, quæ quodammodo ante & retrò fieri solet , scriptum est in Ezechiele , *Animalia ibant , & reuertebantur*; de illa quæ fit quasi in gyrum, dicit propheta , *Leua in circuitu oculos tuos & vide.*

3. Illi verò qui contemplationis varietates ita discernunt, eam insuper in sex genera conuenienter distribuunt. Primum est in imaginatione, & secundum solam imaginationem. Secundum in imaginatione secundum rationem. Tertium in ratione secundum imaginationem. Quartum in ratione secundum rationem. Quintum supra rationem, sed non præter rationem. Sextum supra rationem est, sed videtur

tur esse præter rationem. Duo itaque sunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligentia. *Primum* genus est, cum attendimus corporalia ista, quæ sensu corporeo haurimus, quàm sint multa, quàm magna, quàm diuersa, quàm pulchra, vel iucunda: & in his omnibus creaturis, Creatoris potentiam, sapientiam, magnificentiam mirando veneramur, & in operibus suis eum mirabilem, laudabilem & amabilem recognoscimus. Hoc autem genus debet esse incipientium, & tamen in eo Propheta se exercuisse ostendit, dicens, *Meditatus sum in omnibus operibus tuis*; Et iterum, *Delectasti me, Domine, in factura tua*; Et rursus, *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in Sapientia fecisti*. *Secundum* genus est, quando ad ea, quæ ad primum genus pertinere diximus, rationem querimus, & inuenimus, imo inuentam in consideratione cum admiratione adducimus. In illo res ipsas, in isto, rerum ipsarum causas, rationem, ordinem, dispositionem, modum, & vtilitatem speculamur, atque miramur; & huic tota pene mundana philosophia subministrat. *Tertium* genus est, quando per rerum visibilium similitudines in rerum inuisibilium speculationem subleuamur: & ad hoc pertinent variæ similitudines quibus scriptura diuina vtitur, cum de rebus spiritualibus loquitur, vt est illud, *Spiritus meus super mel dulcis* & huiusmodi quàm plurima. *Quartum* genus est, quando semoto omnis imaginationis officio multo, illis solis animus intendit, quæ imaginatio non nouit, sed mens ex ratiocinatione colligit, vel per ratiocinationem com-

præhendit: vt quando inuisibilia nostra, quæ per experientiam nouimus, in considerationem adducimus; & ex eorum consideratione in cælestium & supernorum intellectuum contemplationem assurgimus. Et ad hoc valet, multumque prodest homini cognitio suiipsius, maximè quoad animam suam intellectiuam, in qua est multiplex thesaurus absconditus, vt suprà tetigimus. *Quintum* genus est, quando ea ex diuina reuelatione cognoscimus, quæ nulla humana ratione plenè inuestigare vel comprehendere sufficimus. Talia sunt illa, quæ de simplici essentia Dei credimus, & diuinarum auctoritate scripturarum probamus: quæ in his suprà rationem, nec tamen prętcr rationem censenda est; ad quæ plenè comprehendenda ratio non attingit, nec tamen eis penitus contradicit, sed potius facile acquiescit, & sua attestatione alludit. *Sextum* genus est, quando animus illa ex diuini luminis irradiatione cognoscit atque considerat, quibus omnis humana ratio reclamat: Talia sunt pene omnia, quæ de personarum Trinitate credere iubemur. *Prima* igitur considerationis proprium est, simpliciter, & sine vlla ratiocinatione visibilium admirationi inhærere; *secunda*, visibilium speculationi ratiocinando insistere; *tertia*, per visibilia ad inuisibilia ratiocinando ascendere; *quarta*, ex inuisibilibus inuisibilia ratiocinando colligere; *quinta*, in intellectualium intelligētia rationem admittere; *sexta*, in intellectualium intelligentia omnem humanam ratiocinationem transcendere. Ex his itaque contemplationis generibus, duo in imaginatione consistunt,

ſtunt, quia ſolis ſenſibilibus intendunt; duo in ratione, quia ſolis intelligibilibus inſiſtunt; duo in intelligentia, quia ſolis intellectualibus inſeruiunt. *Senſibilia* autem dicuntur, ſenſu corporeo perceptibilia; *Inuiſibilia* vero, ſiue inſenſibilia, ratione tantum comprehenſibilia. Sed *intellectualia*, illa inuiſibilia, quæ ſoli ſunt humanæ rationi incomprehenſibilia. Qui autem hæc contemplationis genera ſic diſtinguunt, ea inſuper in varios ſpecierum gradus ſubtiliter ac vtiliter ſubdiuidunt, de quibus proſequi, quia longum eſſet, ad eorum ſcripta remittimus: ex eis tamen aliqua ſub breuitate notare decreuimus.

4. Præmiſsis generibus contemplationis, velut ſex alis à terrenis ſuſpendimur, & ad cæleſtia leuamur: ſed antequam in cælumcælorum, id eſt, contemplationem ſupercæleſtium plene volare valeamus, & cum Apoſtolo dicere, *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*; habemus triplex animæ noſtræ cælum priùs tranſeundo penetrare. In corde enim hominis inuenire licet aliam quandam plenitudinem orbis terrarum: ibi ſua quædam terra, & ſuum cælum; nec vnum tantum, ſed ſecundum & tertium. Tenet imaginatio vicem primi, ratio ſecundi, intelligentia tertij. Oportet autem vt ſit tibi tranſitus per primum, ſi cupis euolare ad ſecundum vel tertium. Et horum quidem primum cælorum, comparatione aliorum cælorum craſſum eſt, atque corpulentum, eo quod ſit imaginarium, poſt ſe trahens, & in ſe retinens formas rerum corporalium: reliqua vero duo ſunt valde ſubtilia, & multum ab illius craſsitudine

 aliena.

aliena. Itaque duabus prioribus alis contemplationis possumus primum cælum transire, duabus mediis secundum ascendere, duabus vltimis tertium penetrare. Has tamen sex alas perfecti soli in hac vita vix habere possent: sed in futura electi eos etiam perfectiores habituri sunt; vt de vtraque natura veraciter dici possit, *Quia sex alæ vni, & sex alæ alteri*. Siquis ergo aliquibus illarum caret, citrà perfectum se esse non dubitet: bene tamen cum illo agitur, cui vnum ex his tribus alarum paribus datur. *Quis mihi*, inquit, *dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam!* Licet enim terrenum, & nondum cæleste animal sis, quamdiu iam duabus alis contentus fueris: habes tamen vnde corpus tuum velare, & vnde volare posſis. Corpus velare, est, mundanorum concupiscentiam ex mundanæ mutabilitatis consideratione temperare; imò in obliuionem adducere; Volare, est, ab amore mundi se elongare. Parum tamen tibi esse debet, has duas alas accepisse; sed vt probes te cæleste animal esse, stude & satage saltem duo paria habere: cælestia enim animalia erant, quæ vidit Ezechiel, *Quatuor*, inquit, *facies vni, & quatuor pennæ vni*. Veruntamen, si vsque ad tertium cælum penetrare desideras, nunquam id in duobus paribus alarum posse præsumas: oportet enim sex alas habere eum, qui cupit ad cælestia arcana euolare.

5. De prædictis sex generibus contemplationis, quibus alæ sex præassignatæ correspondent, hoc quoque sciendum est, quod in quatuor primis quasi domesticum est & pene singulare,

gulare, fine vlla animi alienatione in contemplationem affurgere: in duobus autem nouifsimis familiare eft, & quafi proprium, per mentis exceffum videre; quamuis tamen poffunt omnia vtroque modo contingere. Horum autem, qui in fuis contemplationibus fuprà femetipfos ducuntur, & vfque ad mentis exceffum rapiuntur, alij hoc expectant & accipiunt ex fola vocante gratia; alij vero, vt pofsint, fibi comparant, (cum gratiæ tamen cooperatione) ex magna animi induftria. Et illi quidem hoc donum quafi fortuitum habent, ifti verò iam quodammodo ex virtute pofsident. Tribus ergo modis in gratiam contemplationis proficimus: aliquando ex fola gratia, aliquando ex adiuncta induftria, aliquando ex aliena doctrina; nam fæpe ex aliena doctrina adiuuatur etiam propria induftria. Infuper, tribus modis videtur qualitas contemplationis variari: modo enim agitur mentis dilatatione, modo mentis fubleuatione, modo mentis alienatione. Mentis *dilatatio*, eft, quando animi acies latiùs expanditur, & vehementiùs acuitur, modum tamen humanæ induftriæ non fupergreditur. Mentis *fubleuatio* eft, quàndo intelligentiæ viuacitas diuinitus irradiata humanæ induftriæ metas tranfcendit, nec tamen in mentis alienationem tranfit: ita vt fupra fit, quod viderat, & tamen ab affuetis penitùs non recedat. Mentis *alienatio* eft, quando præfentium memoria menti excidit, & quafi peregrinando, humanæ induftriæ ftatum diuinæ operationis transfiguratione tranfit. Hos tres contemplationis modos experiuntur, qui vfque ad

summam huius gratiæ arcem sublimari merentur. Primus surgit ex industria humana; tertius ex sola gratia diuina, medius autem ex vtriusque permixtione. De primo legitur, *Leua in circuitu oculos tuos, & vide*: de secundo, *Qui sunt isti, qui vt nubes volant*; de tertio, *Ego dixi in excessu meo.*

6. Tres autem modi prædicti variis possunt gradibus subordinari. Nam ille modus, qui fit mentis *dilatatione*, tribus solet gradibus excrescere, arte, exercitatione, attentione; *Ars* est, quando quomodo aliquid agendum sit, veraci traditione, seu sagaci inuestigatione scimus; *exercitatio* est, quando id, quod arte percepimus, in vsum adducimus, & in eius officij exequutione nos ipsos promptos & expeditos efficimus; *Attentio* est, quando studio, quod exequimur summa diligentia insistimus. Ille vero modus contemplationis, qui in mentis *subleuatione* accidit, tribus etiam gradibus excrescit: intelligentia namque humana diuinitus inspirata, & illo cælesti lumine irradiata, aliquando subleuatur supra scientiam, aliquando etiam supra industriam, aliquando supra naturam; *Suprà scientiam*, quando aliquis tale quid ex diuina reuelatione cognoscit, quod modum propriæ scientiæ vel intelligentiæ excedit; *suprà industriam*, quando ad illud humana intelligentia diuinitùs illuminatur, ad quam nulla sufficit sua scientia, nec illa, quam habet; nec illa, quam sua industria comparare valet; *suprà naturam*, quando humana intelligentia diuina inspiratione afflata, non cuiuscunque hominis, sed generaliter totius humanæ naturæ

modum,

modum, induſtriæque metas tranſgreditur, ſicut videre de præteritis, quod iam non eſt; videre de futuris, quod nondum eſt; videre de præſentibus, quod ſenſibus abſens eſt; videre de alieni cordis ſecretis, quod nulli ſenſui ſubiectum eſt. Ille etiam modus, qui mentis *alienatione* fit, tribus gradibus diuiditur, quia tribus de cauſis in huiuſmodi alienationem abducimur. Nam modo præ magnitudine deuotionis, modo præ magnitudine admirationis, modo præ magnitudine exultationis, fit, vt mens ſeipſam non capiat, ſed ſuprà ſeipſam eleuata in alienationem tranſeat. Magnitudine *deuotionis*, quando tanto cæleſtis deſiderij igne ſuccenditur, vt amoris diuini flamma vltrà humanum modum excreſcat, quæ animam ad ceræ ſimilitudinem liquefactam, à priſtino ſtatu reſoluat, & ad inſtar fumi attenuatam, ad ſuperna emittat. Magnitudine *admirationis*, quando diuino lumine irradiata, & in ſummæ pulchritudinis admiratione ſuſpenſa, tam vehemente ſtupore concutitur, vt à ſuo ſtatu funditus excutiatur: & in modum fulguris coruſcantis, quanto profundius per deſpectum ſui reſpectu viſæ pulchritudinis in ima deiicitur, tanto ſublimiùs, tantoque celeriùs per ſummorum deſiderium ſuper ſemetipſam rapta in ſublimia eleuetur. Magnitudine *exultationis*, quando intima illa ſupernæ & æternæ ſuauitatis abundantia potata, imò plenè inebriata, quid ſit, quid fuerit, penitus obliuiſcitur & in ſupermundanum quendam affectum, ſub quodam miræ fœlicitatis ſtatu, raptim transformatur. Sed cum dictum ſit, quibus de cauſis mentis

alienatio accidere soleat, illud etiam adiiciendum videtur, quibus gradibus ascendat. Ascendit autem aliquando suprà sensum corporalem, aliquando supra imaginationem, aliquando vero suprà rationem. Quis duos primos ascensus negare audeat, quum illum, qui supra rationem est, Apostolica auctoritas conuincat? *Scio*, inquit, *hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit; raptum vsque ad tertium cælum* Ecce, quia humanam rationem mentis alienatione transierat, quid circa se ageretur discernere nequibat.

Vtiles quædam obseruationes circa contemplationem.

1. Sex documenta acquirendæ, & conseruandæ contemplationis 2 Quædam notanda de contemplationis perfectione. 3. Conclusiô speculi.

CAPVT VII.

1. NOs itaque, qui de tanta re nihil propria virtute sapimus, aliena dicta, & ex multis pauca, de contemplationis perfectione hic recitauimus. Sed iam de eius acquisitione ac conseruatione vtilia quædam documenta ponamus. *Primum* ergo est, *Mundificatio cordis*; Cum enim dicat Christus, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: constat quod ad Dei contemplationem proficiant cordis munditia, & omnia, quæ eam, cum diuina gratia cooperando efficiunt; hæc autem sunt, intima

veraque

veraque animi compunctio siue contritio, & lachrymarum effusio, quas comitari debet deuota oratio. Ideo orabat Propheta dicens, *Cor mundum crea in me Deus*. Est autem triplex aqua lachrymarum ad hoc nobis vtilis, scilicet, compunctionis, compassionis, & deuotionis: prima est pro peccatis propriis, secunda pro miseriis alienis, tertia pro timore iudicij finalis, pro horrore supplicij gehennalis, pro amore præmij æternalis, pro incolatu miseriæ præsentis, pro dilatione patriæ cælestis, pro desiderio diuinæ visionis, beatificæ fruitionis ac gaudiosæ dulcedinis. Qui sic seminant in lachrymis, teste propheta, in exultatione metent: &, vt à Christo promittitur, beati, qui sic lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Secundum* est *maceratio carnis*. Cum enim dicat Apostolus, *Caro concupiscit aduersus spiritum;* oportet quod ipsa sui maceratione castigata spiritui seruire cogatur, vt ille ad superiora contemplanda sublimetur. Ideo idem Apostolus ait, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*. Dum enim corpus sui castigatione debilitatur, animus in Dei contemplatione fortiùs roboratur: vnde fit, vt, cum animus magis in contemplationem ascendat, corpus in quandam infirmitatis debilitatem cadat. Hinc tres discipuli, visa transfiguratione Christi, in facies suas ceciderunt: hinc Paulus in lucis circumfulgentia excæcatus cecidisse legitur; Hinc Daniel ait, *Vidi visionem hanc grandem, & non remansit in me fortitudo*. Et Ezechiel, *Vidi*, inquit, *& cecidi in faciem meam*. Ex quo patet, in quantam miseriam cecidimus, qui ipsum bonum ferre non

possu-

possumus, ad quod creati sumus. Cum tamen de voluntaria carnis maceratione hic loquimur, eam *moderatam* esse intelligimus: nam tanta esse posset, quod contemplationem, & eius suauitatem suffocaret; Vnde in hac re quorundam sanctorum austeritatem magis admirandam, quam imitandam esse credimus: sicut de sanctissimo Confessore beato Petro Cœlestino quondam Papa, in libro, quem de eius vita scripsimus, aliqualiter tetigisse meminimus. *Tertium* est, *feruor diuinæ dilectionis*, in cuius figuram Aaron cum igne & thymiamate intrabat in sancta sanctorum. Si autem scire velis, an illum habeas charitatis feruorem, quem dicimus: cogita quid sit, quod in vita tua ardentiùs dilexisti, anxiùs concupisti, quod te profundiùs afficiebat, iocundiusque delectabat; considera, si eandem affectionis violentiam, dilectionisque abundantiam sentis, quando in summi dilectoris desiderium inardescis, quando in eius dilectione requiescis; nondum intimum illum affectionis tuæ sinum tenet, si intimæ dilectionis aculeus animam tuam in diuinis affectionibus minus penetrat, quàm in alienis affectibus aliquando penetrare solebat. *Quartum* est, *horror mundanæ delectationis*. Sicut enim amor Dei amorem mundi expellit: sic feruor diuinæ dilectionis horrorem mundanæ delectationis inducit. Si ergo tantam vel validiorem dilectionis violentiam in intimis suis circa diuina perspexeris, quàm alias vnquam expertus fueris: vide adhuc, si forte aliud quid sit, in quo delectari, vel consolari possis. Quod si est, nondum audeas dicere, dilectum tuum

inti-

intimam ardentiſsimi amoris in te ſinum tenere. *Quintum* eſt *obſeruatio humilitatis.* Hinc Maria, quæ Contemplatiuæ vitæ figuram tenet, in humilitatis ſignum ſecus pedes Chriſti ſedet; & videns Ieſum, ad pedes eius cecidit; & pedes eius vnxit; & poſt reſurrectionem pedes eius tangere voluit. Quiſque ergo tanto eſſe debet humilior, quanto eſt in Dei contemplatione ſublimior: Ideo de anima contemplatiua in canticis ſcribitur, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens innixa ſuper dilectum ſuum*: quia per humilitatem non de ſuis viribus præſumit, nec aſcenſum ſuum ſuis meritis aſcribit; ſed dilecto innititur, quia non ſua, ſed illius virtute ſubleuatur. *Sextum* eſt deuotio *orationis*, & hæc ex humilitate naſcitur: quæ quod à ſe haberi non poſſe cognoſcit, à Deo humiliter & deuotè expoſcit; vnde bene dictum eſt, oratione dilectus eſt aduocandus, tenendus, & reuocandus; ideo enim ſe quandoque ſubtrahit, vt auidius reuocetur, & teneatur fortius; Præteriens, vult teneri: abiens, reuocari.

2. Adhuc autem circa conſummatæ contemplationis perfectionem quædam notanter ſunt recolligenda. Et *primò* quidem notandum eſt, quod prudenti circumſpectione, & frequenti increpatione oportet inuigilare, ne vllus mentis exceſſus, vel cogitationis euagatio diſcretionis perſpicaciam lateat, nec ſine redargutione fortique caſtigatione pertranſeat. *Secundo* notandum, quod ſicut aues, cum volare volunt, alas ſuas expandunt: ſic debemus & nos cordis noſtri alas per deſiderium extendere, & diuinæ reuelationis horam ſemper ex-

pectare;

pectare; vt quacunque horâ diuinæ inspirationis aura mentis nostræ nubila deterserit, verique solis radios detexerit, excussis tandem contemplationis suæ alis, mens nostra se ad alta eleuet, & fixis obtutibus, in illud æternitatis lumen, quod desuper radiat, omnia mundanæ volubilitatis nubila transcendat; quod figuratum est in duobus Cherubim, quæ erant expandentes alas. *Tertio* notandum, quod debemus non solum ad hoc, quod in hac vita per contemplationem habere possumus, verum etiam ad illud diuinæ contemplationis spectaculum, quod in futura vita speramus, animas nostras suspendere: & in huius expectatione, vehementi desiderio euolare. Ideo debet anima perfecta omni hora suæ peregrinationis terminum cum desiderio expectare: vnde est, quod Abraham in ostio tabernaculi sui sedebat, & Elias in speluncæ suæ ostio stabat. *Quarto* notandum est, quod anima sancta & veri sponsi amica debet ad dilecti sui aduentum summo cum desiderio anhelare, parata semper vocanti occurrere; semperque solicita, ne subito adueniens minus paratam inueniat; vel diu exclusus vllam molestiam sustineat. *Ecce*, inquit, *vox dilecti pulsantis, aperi mihi soror*. Vide ergo, ne tunc primo incipias te ad eius receptionem præparare, cum iam ipse inceperit ad ostium pulsare: ne ei cogaris dicere, *expecta, reexpecta*. Item *quinto* notandum, quod dilectus auditur, per recordationem; videtur, per admirationem; deosculatur, per deuotionem; amplexatur vel stringitur, per dulcedinis suæ infusionem; qua dulcedine experta, vlterius non

potest

potest anima pulsanti dilecto aliquas moras nectere, sed prompta est aduenientem suscipere. Insuper *sexto* sciendum, quod aliud est, animam cum dilecto introire; & aliud est, eam ad ipsum exire: Eam introire, est seipsam totam in se colligere; eam exire, est seipsam extrà semetipsam totam effundere. Eam solam cum solo morari, nil aliud est, quàm exteriorum omnium obliuisci, ac in eius dilectione summè & intimè delectari: & ex his, quæ in intimis suis considerat, se in affectum dilecti inflammare; & tam ex bonorum, quàm ex malorum suorum consideratione in gratiarum actionem assurgere. Præterea *septimo* notandum est, quod sublimitas diuinarum reuelationum manifestum est diuinæ dilectionis indicium: ***Iam non dicam,*** inquit, ***vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.*** Ex magnitudine itaque diuinæ dilectionis pendet modus diuinæ reuelationis: ***Comedite,*** inquit, ***amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Comedunt*** illi, qui cum multo studio & longa meditatione vix possunt ad veritatis delicias pertingere: ***Bibunt*** autem illi, qui ex diuinis reuelationibus cum facilitate & iucunditate hauriunt, quod de intima veritatis suauitate ardenter concupiscunt. ***Denique*** sciendum est, quod qui ad hanc gratiam profecerit, cum eam sibi vltrà solitum subtrahi iam sentit, habet tamen, quod facere debeat, vt ad eam reparandam adiuuari valeat. Debet enim animus, qui eiusmodi est, propriis meditationibus cordis in se exultationem reparare; & impensa sibi diuinorum beneficiorum munera, ante recorda-

tionis

tionis suæ oculos reuocare; & hac recordatione seipsum ad profundam & deuotam gratiarum actionem instigare; & tandem, aliquando internum illud spiritualis harmoniæ organum ex affectu in diuinas laudes laxare. Hoc enim agentes, quid aliud, quàm viam sternimus, per quam venientem visitantemque nos dominum excipiamus? *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me; & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

3. Hoc itaque compendium ex variis, & hinc atque inde dispersis sapientum dictis atque sententiis collegimus: quod siquis videre dignatus fuerit, eum hortamur, vt ipsum non breui aut leui discursione; sed longa, & graui discussione perlegat, legendo intelligat, intelligendo sapiat, sapiendo in Dei cognitionem dirigat: & de cognitione ad dilectionem, de dilectione ad feruorem, de feruore ad suauitatem transeat; vt sic tandem de præsenti suauitate ad futuram fœlicitatem perueniat, eo duce, qui est via, veritas, & vita: via dirigens, veritas erudiens, vita reficiens; vnus Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PETRI

PETRI DE ALLIACO CARD. CAMERA.

Compendium Contemplationis.

PROLOGVS.

QVONIAM multi ſapientes multa de ſapientiæ contemplatione ſcripſerunt, quæ omnia habere, aut habita legere difficile eſt: ideò in libello, quem *Speculum Conſiderationis* intitulaui, aliqua vtilia ex eorum ſententiis breuiter colligere ſtudui. Ad quorum tamen declarationem atque complementum hoc *contemplationis compendium* ſuperaddere dignum duxi: ipſum diuidens in tres partiales tractatus. *Primus* eſt de quibuſdam vtilibus præambulis, ad contemplationis cognitionem præparantibus; *Secundus* eſt de aliquibus figuralibus exemplis, ad contempla-

templationis acquisitionem proficientibus. *Tertius* de spiritualibus sensibus, ad contemplationis perfectionem pertingentibus. Primus, pertinet ad *doctrinalem instructionem* incipientium; Secundus, ad *exemplarem manuductionem* proficientium; Tertius, ad *experimentalem eruditionem* perfectorum.

Primus ergo tractatus ex doctrina sancti Thomæ in secunda secundæ, quædam vtilia sub sequentibus capitulis complectitur.

Vitæ actiuæ & contemplatiuæ natura, & proprietates.

1. Earum distinctio, ab inuicem; 2. Comparatio ad inuicem; 3. Ordo inter se, 4. Propria actiua, 5. Propria contemplatiua.

Capvt I.

1. SEcundum Gregorium super Ezechielem, duæ sunt vitæ in quibus nos omnipotens Deus per sacrum eloquium erudit, vita videlicet actiua & contemplatiua: quæ, (vt idem ait sexto moralium) significantur per duas vxores Iacob; actiua quidem per Liam, contemplatiua verò per Rachelem; & per duas mulieres, quæ Dominum hospitio receperunt, con-

contemplatiua per Mariam, actiua per Martham. In hoc ergo differunt, quia contemplatiua præcipuè intendit circa veritatis speculationem: actiua verò circa exteriorem occupationem. Vnde patet, quod hæc non est diuisio vitæ vniuersaliter sumptæ, quæ secundum philosophos diuiditur in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam: sed est diuisio vitæ humanæ, quæ principaliter attenditur secundum intellectum, à quo homo speciem sortitur. Ideò sicut intellectus diuiditur per actiuum, & speculatiuum, seu practicum & theoricum: quia finis intellectiuæ cognitionis vel est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum speculatiuum; vel est aliqua exterior operatio, seu actio, quod pertinet ad intellectum practicum: sic vitia humana sufficienter diuiditur per actiuam & contemplatiuam. Nec obuiat huic diuisioni dictum philosophi primo ethicorum, quod tres sunt vitæ maximè excellentes, voluptuosa, ciuilis, & theoretica: nam vita voluptuosa ponit finem in delectatione corporali, quæ communis est nobis cum brutis, vnde ibidem à philosopho dicitur vita bestialis, ideoque non compræhenditur sub diuisione prædicta: vita autem ciuilis eadem est quæ actiua. Omnia ergo studia humana, si ordinentur ad necessitatem præsentis vitæ secundum rectam rationem, pertinent ad vitam actiuam, quæ per actiones ordinatas consulit necessitati præsentis vitæ: si autem deseruiant concupiscentiæ, pertinent ad vitam voluptuosam, quæ non compræhenditur sub actiua. Humana verò studia, quæ ordinantur ad considerationem

rationem veritatis, ad contemplatiuam vitam pertinent. Quod autem Augustinus 19. de ciuit. Dei ponit tria vitæ genera, scilicet otiosum, quod pertinet ad cõtemplatiuam, Actuosum quod pertinet ad vitam actiuam, & tertium ex vtroque compositum; non impugnat diuisionem prædictam. Nam cum medium conficiatur ex extremis, ideoque virtualiter contineatur in eis, sicut tepidum in calido & frigido; propterea similiter sub actiuo & contemplatiuo comprælienditur id, quod est ex vtroque compositum. Et sicut in quolibet mixto prædominatur aliquod simplicium: ita etiam in medio genere vitæ superabundat quandoque quidem contemplatiuum, quandoque verò actiuum.

2. Viso de actiuæ & contemplatiuæ distinctione, videndum est de earum comparatione, videlicet, quæ potior sit, vel dignior, aut maioris menti. Dicendum ergo est, quod vita contemplatiua simpliciter melior est, quàm actiua, quod philosophus probat octo rationibus, in primo Ethicorum. *Prima* ratio est, quia vita contemplatiua conuenit homini, secundum id, quod est optimum in ipso, scilicet secundum intellectum, & respectu propriorum obiectorum, scilicet intelligibilium; vita autem actiua occupatur circa exteriora. *Secunda.* Quia vita contemplatiua potest esse magis continua, licet non quantum ad supremum contemplationis gradum. *Tertia.* Quia maior est delectatio vitæ contemplatiuæ, quàm actiuæ: Vnde Augustinus in sermone quodam de verbis Domini, dicit, quod Martha turbabatur, Maria epulabatur.

Quarta.

Quarta Quia in vita contemplatiua est homo magis sufficiens, nam paucioribus ad eam indiget: vnde dicitur Luc. 10. *Martha, solicita es, & turbaris ergà plurima, porro vnum est necessarium. Quinta,* quia contemplatiua magis pro se diligitur: vnde in psalmo dicitur, *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. Sexta,* quia contemplatiua consistit in quadam vacatione & quiete, iuxta illud, *Vacate & videte quoniam ego sum Deus. Septima,* quia vita contemplatiua est secundum diuina, vita autem actiua secundum humana: vnde Augustinus in lib. sermonum de verbis Domini, ait: *In principio erat verbum, ecce quid Maria audiebat; & verbum caro factum est, ecce cui Martha ministrabat. Octaua,* quia vita contemplatiua est secundum id quod est magis proprium homini, id est, secundum intellectum: in operationibus autem vitæ actiuæ communicant etiam inferiores vires, quæ sunt nobis & brutis communes. Vnde in psalmo, postquam dictum est, *Homines & iumenta saluabis Domine,* sequitur id quod est hominibus speciale, *In lumine tuo videbimus lumen. Nonam* rationem addet Dominus Lucæ 10. dicens, *Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea;* quod exponens Augustinus, ait; *Non tu malam, sed illa meliorem; audi vnde meliorem: quia non auferetur ab ea; A te auferetur aliquando onus necessitatis: æterna est dulcedo veritatis.* Licet autem vita contemplatiua propter dicta simpliciter sit melior: secundum quid tamen, & in casu magis eligenda est vita actiua propter necessitatem præsentis vitæ: sicut philosophus dicit,

dicit, quod melius ſit philoſophari, quàm ditari; ſed melius tamen ditari neceſsitatem patienti. Et ideo quandoque à contemplatione quis auocatur ad opera vitæ actiuæ, propter neceſsitatem præſentis vitæ: non tamen ſic, quod cogatur totaliter contemplationem deſerere, ſicut docet Auguſtinus 19. de ciuit. Dei. Atque ita patet, quod cum aliquis à contemplatiua vita ad actiuam vocatur, hoc non fiat per modum ſubtractionis, ſed per modum additionis: ideo in illis qui de religione transferuntur ad ſtatum prælationis, non fit tranſitus de meliori ad minus bonum; cum Apoſtolus dicat 1. Corynt. 14. *Æmulamini chariſmata meliora*. Nam ad ſtatum Prælationis non ſola pertinet vita actiua, ſed eſſe debent Prælati etiam excellentes in contemplatiua, vnde Gregorius dicit in Paſtorali, *Sit Rector contemplatione præcipuus*. Ex præmiſsis etiam patet, quod vita contemplatiua ex ſuo genere, ſimpliciter eſt maioris meriti, quàm acti[illegible] & hoc eſt, quod dicit Gregorius homil. 3. ſu[illegible] Ezechielem, *Contemplatiua maior eſt merito, quàm actiua*. Et 6. moralium, *Magna ſunt actiua merita, ſed contemplatiua potiora*. Ratio eſt, quia contemplatiua directe pertinet ad dilectionem Dei; actiua verò directiùs & immediatiùs ad dilectionem proximi: diligere autem Deum, ſecundum ſe eſt magis meritorium, quàm diligere proximum. Poteſt tamen contingere, quod aliquis in operibus vitæ actiuæ plus mereatur, quàm alius in operibus vitæ contemplatiuæ: vt ſiquis propter abundantiam diuini amoris ad Dei gloriam interdum ſuſtineat

propter

propter proximum à dulcedine diuinæ contemplationis ad tempus separari. Et sic exponit Chrysostomus in libro de compunctione, illud Apostoli ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ad hoc etiam trahi potest illud Gregorij super Ezechielem, *Nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quàm zelus animarum.* Per hoc enim non præfertur simpliciter meritum vitæ actiuæ merito vitæ contemplatiuæ: sed ostenditur, magis esse meritorium siquis offerat Deo animam suam, & aliorum, quàm quæcunque alia exteriora dona, nam primo debet quis offerre Deo animam suam, secundo animas aliorum: & magis acceptum est Deo sacrificium, quo quis animam suam & aliorum applicat contemplationi, quàm actioni. Quod autem Apostolus ait 1. Corynt. 3. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem;* non probat, vitam actiuam, cui attribuitur labor, maioris esse meriti, quàm contemplatiuam, cui attribuitur quies; nam licet labor exterior operetur ad augmentum præmij accidentalis: tamen augmentum meriti respectu præmij essentialis principaliter in charitate consistit; cuius quoddam signum est labor exterior, toleratus pro Christo: sed multo expressius signum est, quod quis prætermissis omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent, soli diuinæ contemplationi vacare delectetur.

3. Post hæc considerandum est de *ordine* vitæ actiuæ & contemplatiuæ ad inuicem: de quo dicit Gregorius homilia 3. super Ezechielem, quod vita actiua prior est tempore, quàm

contemplatiua; quia ex bono opere tenditur ad contemplationem. Sciendum autem est, quod aliquid dicitur prius alio dupliciter, *vno modo* secundum suam naturam, & hoc modo vita contemplatiua est prior quàm actiua, in quantum prioribus & melioribus insistit; vnde & actiuam mouet & dirigit. Ratio enim superior, quæ contemplationi deputatur, comparatur ad inferiorem, quæ deputatur actioni, sicut vir ad mulierem, quæ est per virum regenda, vt Augustinus dicit 12. de Trinitate. *Alio modo*, dicitur aliquid prius quoad nos, quia scilicet est prima via generationis: & hoc modo vita actiua est prior contemplatiua, quia disponit ad contemplatiuam, vt infra patebit. Ipsa enim præcedit, sicut id, quod est commune plurium præcedit id quod est proprium perfectorum. Nam vita contemplatiua non ordinatur ad qualemcunque dilectionem Dei, sed ad perfectam, ad quam præcedit dilectio proximi propter Deum, quæ pertinet ad actiuam. Sed sicut à vita actiua proceditur ad vitam contemplatiuam secundum ordinem generationis: sic quandoque à vita contemplatiua reditur ad actiuam per viam dilectionis, vt scilicet vita actiua per contemplatiuam dirigatur; sicut per operationes acquirimus habitus, & per habitum acquisitum perfectiùs quis operatur, vt dicitur 2. Ethicorum. Ideo dicit Gregorius super Ezechielem, quod sicut bonus ordo viuendi est, vt ab actiua in contemplatiuam tendatur: ita plærumque vtiliter à contemplatiua animus ad actiuam reflectitur. Hoc autem intelligendum est in his, qui ad hæc apti sunt: nam

nam illi qui sunt proni ad passiones propter eorum impetum ad agendum, sunt simpliciter magis apti ad vitam actiuam, propter spiritus inquietudinem; vnde dicit Gregorius 6. moralium, *Quod nonnulli ita inquieti sunt, vt si vacationem laborum habuerint, grauius inde laborent: quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentiùs ad cogitationes vacat.* Quidam vero habent naturaliter animi puritatem & quietem, per quam ad contemplationem sunt apti: qui si totaliter actionibus deputentur, detrimentum sustinebunt. Vnde Gregorius ibidem dicit: *Quorundam hominum ita otiosa mentes sunt, vt si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant.* Sed, (sicut ipse posteà subdit,) *sæpe & pigras mentes amor ad opus excitat, & inquietas in contemplatione timor refrænat.* Vnde & illi, qui sunt magis apti ad vitam actiuam, possunt per exercitium actiuæ ad contemplatiuam præparari: & illi nihilominus, qui sunt ad contemplationem magis apti, possunt exercitia actiuæ subire, vt per hoc ad contemplationem paratiores reddantur. Ex præmissis patet, qualiter vita contemplatiua impediatur per actiuam, & qualiter per eam adiuuetur. Nam vita actiua considerari potest quantum ad duo: *vno* modo, quantum & ipsum studium & exercitium exteriorum actionum, & sic manifestum est, quod ipsa impedit vitam contemplatiuam, inquantum impossibile est, quod quis simul occupetur circa exteriores operationes, & simul vacet contemplationi. *Alio* modo potest considerari vita actiua quantùm ad hoc, quod interiores animæ

passiones componit & ordinat: & quantum ad hoc ipsa adiuuat ad contemplationem, quæ impeditur per inordinationem interiorum passionum. Vnde dicit Gregorius in 6. moralium: *Qui contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo actiua per exercitium operis probent; vt solicitè sciant, si nulla, iam mala proximis irrogant; si irrogata à proximis, æquanimiter portant; si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia soluitur: si subtractis, non nimio mœrore sauciatur. Ac deinde perpendant, si, cum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quod spiritualia rimantur, nequaquam rerum corporalium serie vmbras trahunt, vel fortassis tractas, manu discretionis abigunt.*

4. Deinde specialiùs inquirendum est, quid ad vtramque partem pertineat. Et primò quidem de vita actiua sciendum est, quod omnes virtutes morales pertinent essentialiter ad eam: vnde & philosophus 10. Ethicorum dicit, quod virtutes morales ordināt ad fœlicitatem actiuam. Et Isidorus lib. de summo bono, dicit, quod in actiua vita prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia, vt in contemplatiua, iam pura mentis acie, ad contemplandum diuina aliquousque pertranseat. Quia tamen inter virtutes morales præcipua est Iustitia, qua quis ad alterum ordinatur, vt philosophus probat 5. Ethicorum, Ideo quandoque vita actiua describitur per ea, quæ ad alterum ordinantur: non quia in his solùm, sed quia in his principaliùs consistit. Propterea, Gregorius super Ezechielem dicit, quod actiua vita est, *Panem esurienti tribuere,* (multisque enumeratis,

tis,

tis, quæ ad alterum pertinent, in fine ſubolit) *& quæ ſingulis quibuſque expediunt, diſpenſare.* Licet autem prudentia proprie ſumpta, prout de ea loquitur philoſophus 6. Ethicorum, ſit virtus intellectualis: tamen ipſe in 10. Ethicorum dicit, prudentiam pertinere ad fœlicitatem actiuam. Cuius ratio poteſt aſsignari, quia quod ordinatur ad aliud, ſicut ad finem, præcipuè in moralibus, trahitur ad ſpeciem eius, ad quod ordinatur: ſicut ille qui mœchatur vt furetur, magis dicitur fur, quam mœchus; ſecundum philoſophum 5. Ethicorum. Cognitio autem prudentiæ ordinatur ad operationes virtutum moralium, ſicut ad finem, quia eſt recta ratio agibilium, vt dicitur 6. Ethicorum. Atque ideo cognitio prudentiæ pertinet ad vitam actiuam. Vnde prudentia poteſt dici quodammodo media inter virtutes intellectuales & morales, quantùm ad hoc, quod in ſubiecto conuenit cum virtutibus intellectualibus, in materia verò totaliter conuenit cum moralibus; ideo pertinet ad vitam actiuam, ſicut morales. Inſuper ad actiuam vitam pertinet docere de verbo ſapientiæ, ſicut dicit Gregorius ſuper Ezechielem; quia licet habitus ſapientiæ pertineat ad vitam contemplatiuam, atque etiam eius actus, in quantùm interiùs reſpicit veritatem intelligibilem, in cuius conſideratione & amore delectatur: tamen in quantum actus huiuſmodi tranſit exteriùs per doctrinam, pertinet ad actiuam. Ex præmiſsis patet, quare actiua vita in nobis non remanet in patria: dicit namque Gregorius ſuper Ezechielem, quòd cum præſenti ſæculo aufertur vita

actiua; contemplatiua autem hic incipitur, vt in cælesti patria perficiatur. Ratio est: quia actiua habet finem in exterioribus actibus, qui si referantur ad quietem contemplationis, iam pertinent ad vitam contemplatiuam; In futura autem vita beatorum cessabit occupatio exteriorum actuum: & siqui actus exteriores fuerint, referentur ad finem contemplationis; quia, (vt Augustinus dicit in fine lib. de ciuitate Dei;) ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus; Et ibidem præmittit, quod Deus ibi sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Licet ergo virtutes morales, quæ pertinent ad vitam actiuam, remaneant post hanc vitam, (sicut Augustinus dicit 14. de Trinit.) non tamen remanebunt secundum actus suos, quos nunc habent circa finem exteriorem; sed actus earum referentur in quietem contemplationis, quam Augustinus in verbis præmissis intelligit, per *vacationem*, quæ est intelligenda non solum ab exterioribus tumultibus, sed etiam ab interiori turba passionum. In Angelis verò quantùm ad dispensationem mysteriorum Dei aliquid remanebit de vita actiua, quamdiu mundus durabit: quia vnus alium illuminat, purgat & perficit, vt patet per Dionysium 7. capite cælestis hierarchiæ. Ipsi etiam administrationi inferioris creaturæ intendunt, quod figuratur per hoc, quod Iacob vidit Angelos in scala *ascendentes* & *descendentes*, quorum primum pertinet ad contemplationem, & secundum ad actionem. Sed, sicut dicit Gregorius in 2. moralium, non sic à diuina visione

ſione foris exeunt, vt internæ contemplationis gaudiis priuentur : & ideo in iis non diſtinguitur vita actiua à contemplatiua, ſicut in nobis, qui per opera actiuæ impedimur à contemplatione. Vnde cum nobis promittitur, quod in futura vita ſimiles erimus Angelis Dei; non promittitur illa ſimilitudo Angelorum, quantum ad adminiſtrationem creaturæ, quæ nobis non competit ſecundum ordinem naturæ noſtræ; ideo in nobis non remanebit ibi conditio vitæ actiuæ. Quod ergo dicit Gregorius ſuper Ezechielem, quod in vita actiua fixe permanere poſſumus, in contemplatiua autem intenta mente manere nullo modo valeamus : non probat quod vita actiua ſimpliciter ſit durabilior quam vita contemplatiua; nam hæc durabilitas vitæ actiuæ in ſtatu præſenti, excedens durabilitatem contemplatiuæ; non prouenit ex proprietate vtriuſque vitæ, ſecundum ſe conſideratæ, ſed ex defectu noſtro, qui ex cordis grauedine retrahimur ab altitudine contemplationis. Vnde ibidem ſubdit Gregorius, quod ipſa ſua infirmitate tantæ celſitudinis repulſus animus in ſemetipſo relabitur.

5. Iam vero ad ea, quæ ad vitam contemplatiuam pertinent, tranſeamus : & dicamus, quod ad eam poteſt aliquid pertinere dupliciter : vno modo diſpoſitiuè, alio modo eſſentialiter. *Primo* modo virtutes morales pertinent ad contemplatiuam; Impeditur enim actus Contemplationis, (in quo eſſentialiter conſiſtit vita contemplatiua,) & per vehementiam paſsionum, per quam abſtrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad ſenſibilia; & per tu-

multus exteriores: Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum, & sedant occupationum exteriorum tumultus. Atque ideo virtutes morales *dispositiuè* ad vitam contemplatiuam pertinent; & inter alias maximè Sanctimonia & Pax. Primo quidem *Sanctimonia*, id est munditia cordis, quæ causatur ex virtutibus, quæ sunt contrà passiones, impedientes puritatem rationis: ideo de ea dicitur Mathei 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Pax* etiam, quæ subtrahit litigiorum & tumultuum occasiones. Ideo de his duabus virtutibus specialiter dicitur ad Hebræos vltimo, *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit.* Hæc autem *Sanctimonia*, non solum potest intelligi munditia cordis, sed etiam munditia corporis, id est, temperantia, seu virtus castitatis, quæ reprimit concupiscentias maximè obscurantes lumen rationis: & ideo maxime reddit hominem aptum ad contemplationem; inquantum delectationes venereæ maximè deprimunt mentem ad sensibilia, vt Augustinus dicit in soliloquiis. Sed *secundo* modo, scilicet *essentialiter* virtutes morales non pertinent ad vitam contemplatiuam, sed ad actiuam vt dictum est. Nam finis vitæ contemplatiuæ est consideratio veritatis: ideo essentialiter contemplatiua vnum actum habet, in quo finaliter perficitur, (scilicet, contemplationem veritatis,) à quo habet vnitatem. Quia tamen (secundum Dionysium 6. diuin. nominum) differentia est in cognitione hominis & Angeli, eo quod Angelus simplici apprehensione veritatem inuenit; homo autem

quodam

quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis: ideo ille vnus actus contẽplationis in homine habet multos actus, quibus ad eum finaliter peruenit: Quorum *quidam* pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad veritatis contemplationem; *Alij* ad deductionem principiorum in veritatem, cuius cognitio inquiritur; *vltimus* autem & contemplatiuus actus, est ipsa contemplatio veritatis. Et secundum hoc, Richardus de S. Victore distinguit tres actus, qui videntur ad vitam contemplatiuam pertinere, scilicet, cogitationem, meditationem, & contemplationem. Vnde secundum eum, *cogitatio* videtur pertinere ad eorum inspectionem, ex quibus aliquis colligere intendit vnam simplicem veritatem; & sic sub cogitatione comprahendi possunt, & perceptiones sensuum ad cognoscendos aliquos effectus, & imaginationes, & discursus rationis circa quæcunque perducentia in cognitionem veritatis intentæ. Licet secundum Augustinum 14. de Trinitate, cogitatio generaliter dici posit, omnis actualis operatio intellectus. *Meditatio* vero videtur pertinere ad processum rationis ex principiis aliquibus pertingentibus ad veritatis alicuius contemplationem. Et ad idem pertinet *Consideratio* secundum Bernardum. Licet secundum philosophum 2. de anima, omnis operatio intellectus, consideratio dicatur. Sed *contemplatio* pertinet ad ipsum simplicem intuitum veritatis: vnde Richardus dicit, quod contemplatio est perspicax & liber animi contuitus in res perspiciendas; Meditatio autem est intuitus

animi in veritatis inquisitione occupatus. Cogitatio vero est animi aspectus ad euagationem pronus. Ad contemplationem autem *ministerialiter* pertinet, non solum cogitatio, seu meditatio, vt dictum est; sed etiam lectio, & oratio, quia homo ad cognitionem veritatis pertingit dupliciter: vno modo à seipso, seu per proprium studium, & sic requiritur *meditatio*; alio modo per ea, quæ recipit ab alio; & hoc dupliciter: quia vel in quantum homo recipit à Deo, & sic necessaria est *oratio*, secundum illud Sapientiæ 7. *Innocaui, & venit in me spiritus sapientiæ*; vel inquantum homo recipit ab homine, & sic necessaria est *lectio*, in quantum accipit per scripturam; vel *doctrina*, quæ accipitur per auditum, ex voce loquentis; sicut de Maria, (quæ contemplatiuam animam significat,) dicitur, Lucæ 10. *Quæ sedens secus pedes Domini, audiebat verba illius.*

Contemplationis subiectum & obiectum.

1. De subiecto in quo contemplatiua subsistit. 2. De proprio & adæquato eiusdem obiecto, 3. De speciebus, 4. & motibus illius.

CAPVT II.

1. SEd adhuc inquirendum restat, quod sit proprium *subiectum*, & quod adæquatum *obiectum* vitæ contemplatiuæ. Quantum autem

autem ad primum, dicendum est, quod vita contemplatiua quantùm ad ipsam essentiam actionis, scilicet, contemplationis, subiectiuè est in intellectu: quantùm verò ad id, quod mouet ad exercendum talem operationem, est in affectu; quia voluntas mouet omnes alias potentias, etiam intellectum. Mouet autem hæc vis appetitiua ad aliquid inspiciendum, propter amorem rei visæ; vel propter delectationem, quæ consequitur ex eius visione. Ideo Gregorius super Ezechielem constituit vitam contemplatiuam in charitate Dei, in quantum aliquis ex dilectione Dei inardescit ad eius pulchritudinem conspiciendam. Et quia vnusquisque delectatur, cum adeptus fuerit id, quod amat: ideo vita contemplatiua terminatur ad delectationem, quæ est in affectu, ex qua etiam amor incenditur. Licet ergo finis contemplationis sit veritas, secundum philosophum 2. metaphysi; & veritas pertineat ad intellectum: ipsa tamen habet rationem boni appetibilis, & amabilis, & delectabilis, & secundum hoc pertinet ad vim affectiuam. Ideo de Sapientia, seu contemplatione veritatis dicitur Sapientiæ 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus eius, sed lætitiam & gaudium.* Et Gregorius dicit super Ezechielem, quòd vita contemplatiua *amabilis valde dulcedo est.* Vnde eius dulcedo seu delectatio omnem delectationem humanam excedit: nam & delectatio spiritualis potior est, quàm carnalis; & ipse amor, quo ex charitate Deus diligitur, omnem alium amorẽ excellit; vnde in Psalmo dicitur, *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.*

Licet ergo contemplatio diuinorum, quæ habetur in via, sit valde imperfecta respectu illius, quæ habetur in patria: est tamen delectabilior omni alia contemplatione, quantumcunque perfecta, propter excellentiam rei contemplatæ. Vnde philosophus dicit in 1. de partibus animalium, quod accidit circa illas diuinas substantias minores in nobis existere theoricas; sed etsi secundum modicum attingamus eas, tamen propter honorabilitatem, cognoscendi, delectabilius aliquid habent, quàm quæ apud nos omnia. Si verò obiiciatur, quod in contemplatione non sit delectatio, quia, secundum Gregorium super Ezechielem, in ea est contentio, & certamen: vnde meus in eius certamine posita, quandoque superat, quandoque succumbit; ex eo etiam sequitur quandoque corporalis læsio, quæ delectationem impedit: vnde Genes. 32 dicitur, quod Iacob, postquam dixerat, *Vidi Dominum facie ad faciem*, claudicabat pede, eo quod tetigerit neruum femoris eius, & obstupuerit; Dicendum est, quod contentio vel certamen, quando prouenit ex contrarietate exterioris rei, impedit illius rei delectationem, non enim delectatur quis in re, contrà quam pugnat; sed in re, pro qua quis pugnat, cum eam adeptus fuerit, cæteris paribus, magis delectatur; sicut Augustinus dicit 8. Confess. quod quanto fuit maius periculum in prælio, tanto est maius gaudium in tryumpho. Non est autem in contemplatione contentio, vel certamen ex contrarietate veritatis, quam contemplamur; sed ex defectu nostri intellectus, & ex corruptibili corpore,

quod

quod nos ad inferiora retrahat, ſecundum illud Sapientiæ 9. *Corpus , quod corrumpitur , aggrauat animam.* Et inde eſt, quod homo quando pertingit ad contemplationem veritatis, eam ardentius amat; ſed magis odit proprium defectum à grauitate corruptibilis corporis, vt dicat cum Apoſtolo, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Vnde & Gregorius dicit ſuper Ezechielem, *Cum Deus iam per deſiderium, & intellectum cognoſcitur, omnem delectationem carnis arefacit.* Ex hoc etiam procedit , quod ex contemplatione quandoque læſio ſequitur in corpore, quod in Iacob figuratum eſt, qui poſt contemplationem Dei vno pede claudicabat : quia neceſſe eſt, vt inualeſcente amore Dei, debilitetur amor ſæculi, vt Gregorius ibidem ait; Atque ideo per agnitionem ſuauitatis Dei vnus in nobis ſanus pes remanet, atque alius claudicat : omnis enim, qui ex vno pede claudicat, ſoli illi innititur pedi, quem ſolum amat. Sic ergo ex præmiſsis colligitur , quod licet vita contemplatiua quoad actum, à quo denominatur, qui contemplatio dicitur, eſſentialiter conſiſtat in intellectu : tamen principium habet in affectu , inquantum videlicet ex charitate aliquis ad contemplationem incitatur; Et quia finis reſpondet principio, inde eſt etiam, quod terminus & finis contemplatiuæ vitæ ad affectum pertinet: dum ſcilicet in viſione rei amatæ delectatur, & ipſa delectatione ad rei viſæ amorem ampliùs excitatur. Vnde Gregorius dicit ſuper Ezechielem, quod, *Cum quis ipſum, quem amat, viderit, in amorem amplius illius igneſcit.* Et hæc eſt vltima

tima

tima perfectio contemplatiuæ vitæ, vt scilicet non solum diuina veritas videatur, sed etiam ametur.

2. Sed adhuc specialiùs inquirendum restat, quod sit adæquatum seu appropriatum *obiectum* contemplatiuæ. Vnde sciendum est, quòd ad eam principaliter pertinet contemplatio diuinæ veritatis, quia huiusmodi contemplatio est finis totius vitæ humanæ. Ideo dicit Gregorius 6. moralium, quòd in contemplatione, principium, quod Deus est, quæritur. Et Augustinus 1. de Trinitate, quod contemplatio Dei promittitur nobis actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum: quæ quidem in futura vita erit perfecta, quãdo videbimus eum facie ad faciem, vnde & perfectè beatos faciat. Nunc autem contemplatio veritatis diuinæ competit nobis imperfectè, videlicet per speculum & in ænigmate: vnde & per eam fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, vt in futuro consummetur. Sed quia per diuinos effectus in Dei contemplationem manuducimur, (secundum illud Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*;) inde est, quod contemplatio diuinorum effectuum secundariò & dispositiuè pertinet ad contemplatiuam vitam, prout scilicet ex hoc manuducitur homo in Dei cognitionem. Vnde Augustinus dicit in libro de vera religione, quod in creaturarum consideratione, non vana & peritura curiositas est exercenda, sed gradus ad immortalia, & semper manentia faciendus. Ideo Dauid cognitionem operum Dei quærebat, vt ex hoc manu-

manuduceretur ad Deum, dicens, *Meditabor in omnibus operibus tuis.* Hinc etiam Bernardus in lib. de considerat. dicit, quod prima contemplatio est admiratio diuinæ maiestatis, secunda iudiciorum Dei, tertia beneficiorum ipsius, quarta est promissorum: quorum primum pertinet ad diuinam veritatem, alia tria pertinent ad diuinos effectus. Ex cognitione autem diuinorum iudiciorum homo manuducitur in contemplationem diuinæ iustitiæ. Ex consideratione autem diuinorum beneficiorum & promissorum in cognitionem diuinæ bonitatis & misericordiæ, quasi per effectus exhibitos & exhibendos. Sic ergo ex præmissis patet, quod ordine quodam quatuor ad diuinam contemplationem pertinent: primò quidem virtutes morales, secundo quidam alij actus præter cognitionem, tertio verò contemplatio diuinorum effectuum, quarto est completiuum; scilicet ipsa contemplatio diuinæ veritatis. Ex prædictis etiam apparet, quomodo vita contemplatiua diuturna est: primo quidem quantùm ad seipsam, siue secundum naturam suam, & hoc dupliciter, vno modo, quia versatur circa incorruptibilia & immobilia: alio modo, quia non habet contrarietatem; delectationi enim, quæ est in considerando, nihil est contrarium, vt dicit philosophus 1. Topicorum. Sed etiam quoad nos ipsa diuturna est, tum quia competit nobis secundum actionem incorruptibilis partis, scilicet, animæ intellectiuæ, ideoque potest post hanc vitam remanere; tum quia in operibus contemplatiuæ corporaliter non laboramus, vnde magis in huiusmodi ope-

ribus

ribus continuè persistere possumus, sicut dicit philosophus 10. Ethicorum. Licet ergo omnes intellectiuæ perfectiones huius vitæ in futuro euacuabuntur, secundum Apostolum 1. Corynt. 14. propter quod modus contemplandi non erit idem hic, & in patria: tamen vita contemplatiua dicitur manere ratione charitatis, in qua habet principium & finem. Ideò dicitur Lucæ 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Et Gregorius super Ezechielem dicit, *Contemplatiua hic incipit, vt in cælesti patria perficiatur: quia amoris ignis hic ardere inchoat, qui cum ipsum, quem amat, viderit, in amorem ipsius ampliùs ignescit.* In hac autem vita, quamuis contemplatio propter causas prædictas diuturna sit: tamen eius dulcedo raptim transit. Vnde Gregorius 5. moralium, exponens illud Iob 14. *Cum spiritus me præsente transiret*; dicit, *quod in suauitate contemplationis intima non diu mens figitur, quia ad seipsam ipsa immensitate luminis reuerberata reuocatur.* Ratio est, quia nulla actio hic diu durare potest in summo sui: summum autem contemplationis est, vt attingat ad vniformitatem diuinæ contemplationis, vt dicit Dionysius; vnde, etsi quantum ad hoc contemplatio diu durare non posit, tamen quantum ad alios cõtemplationis actus diu durare poterit.

3. Nunc vero de speciebus & de motibus contemplationis distinguendum est. Cum autem Bernardus, (vt suprà tangitur) quatuor eius species assignat; Richardus in sex species contemplationem distingunt. *Prima* est, secundum solam imaginationem, dum attendimus

res

res corporales. *Secunda* est in imaginatione secundum rationem, prout scilicet sensibilium ordinem & dispositionem consideramus *Tertia* est in ratione secundum imaginationem, quando scilicet per inspectionem rerum visibilium, ad inuisibilia subleuamur. *Quarta* est in ratione secundum rationem, quando scilicet animus attendit inuisibilibus: quæ imaginatio non nouit. *Quinta* est suprà rationem, quando ex diuina reuelatione cognoscimus, quæ humana ratione compræhendere non possemus. *Sexta* autem est supra rationem, & præter rationem, quando scilicet ex diuina illuminatione cognoscuntur ea, quæ humanæ rationi repugnare videntur, sicut ea quæ dicuntur de mysterio Trinitatis. Per istas vero sex species, designantur gradus, quibus per creaturas in contemplationem Dei ascenditur. Nam in *primo* gradu ponitur perceptio sensibilium; in *secundo*, progressus à sensibilibus ad intelligibilia; in *tertio*, diiudicatio sensibilium secundum intelligibilia; in *quarto*, absoluta consideratio intelligibilium, ad quę per sensibilia peruenitur; in *quinto*, ponitur contemplatio intelligibilium, quæ per sensibilia inueniri non possunt, sed bene per rationem capi possunt; in *sexto* verò consideratio intelligibilium, quæ ratio nec inuenire potest, nec capere. Et hæc pertinent ad sublimem considerationem veritatis diuinæ, in qua finaliter contemplatio perficitur.

4. De motibus autem, qui distinguuntur in operatione contemplationis, sciendum est, quod Dionysius 4. cap. de diuinis nominibus, tres motus in contemplatione distinguit, scilicet,

licet,circularem,rectum,& obliquum. Vnde licet contemplatio sit quædam spiritualis quies, (iuxta illud Sapientiæ 8. *Intrans in domum meam conquiescam cum eas*) quæ quies intelligitur esse ab exterioribus occupationibus, & motibus corporalibus opponitur: tamen operatio intellectus, (in qua contemplatio consistit essentialiter,) *motus* dicitur, secundùm quod motus est actus perfecti, vt philosophus dicit 3. de anima. Et quia per sensibilia in cognitionem intelligibilium deuenimus,& operationes sensibiles sine motu non fiunt: inde est, quod operationes etiam intellectuales, quasi motus quidam describantur. In motibus autem corporalibus perfectiores & primi sunt motus locales, vt probatur 8 physicorum: ideo sub eorum similitudine operationum intelligibilium differentiæ assignantur. Quia verò tres sunt differentiæ motus localis; Nam quidam est *circularis*, secundum quem aliquid mouetur circulariter circa idem centrum,seu vniformiter; alius, est *rectus*, secundum quem aliquid mouetur ab vno in aliud; tertius est *obliquus*, quasi compositus ex vtroque: ideo in operationibus intelligibilibus, id quod simpliciter habet vniformitatem, attribuitur motui circulari; operatio autem intelligibilis, secundum quam proceditur de vno in aliud, attribuitur motui recto; illa verò, quæ habet aliquid vniformitatis, simul cum processu ad diuersa, attribuitur motui obliquo. Et secundum hoc, Dionysius ponit motum *circularem* in anima, quando ipsa ab exterioribus introiens ad seipsam, & cessantè etiam omni discursu rationis, re-

reductis omnibus rationibus animæ ad ſimplicem contemplationem veritatis, prætermiſsis omnibus creaturis, in ſola Dei contemplatione perſiſtit; & hoc eſt, quod dicit, *Deinde vniformis facta, vnitè*, (id eſt, vniformiter vnitis virtutibus) *ad pulchrum & bonum manuducitur.* Motum autem *rectum* ponit in anima, ſecundum hoc, quod ab exterioribus ſenſibilibus procedit ad intelligibilium cognitionem. Motum verò *obliquum* ponit in ea ſimiliter ex recto & ſingulari compoſitum: ſcilicet, prout illuminationibus diuinis ratiocinando vtitur. Quia tamen vis intellectiua multo altior eſt in Angelis, quàm in hominibus; ideo alio modo Dionyſius hos motus aſsignat in Angelis, & in anima; ſed hoc non eſt ad præſens tractandum. Richardus etiam de Contemplatione, multas ponit alias differentias motuum, ad ſimilitudinem volatilium cæli: quorum quædam nunc ad altiora ſe attollunt, nunc ad inferiora demerguntur, alia dextrorſum, vel ſiniſtrorſum diuertunt; quædam vero in anteriora vel poſteriora mouentur; alia verò, quaſi in gyrum vertuntur; quædam autem quaſi immobiliter vno loco manendo ſuſpenduntur. Hæ autem differentiæ ſecundum ſurſum & deorſum; dextrorſum, ſiniſtrorſum; ante, & retrò; & ſecundum diuerſos circulos: omnes continentur ſub motu recto vel obliquo; nam per omnes deſignatur diſcurſus rationis, qui ſi ſit à genere ad ſpeciem, vel à toto ad partem, erit (vt ipſe exponit) ſecundum ſurſum & deorſum; Si verò ſit ab vno oppoſitorum in aliud, erit ſecundum dextrorſum & ſiniſtrorſum; ſi ſit à cauſis

ad

ad effectus, erit ante & retro; si autem sit per accidentia, quæ circumstant rem, propinquè, vel remotè, erit circuitio. Discursus autem rationis, quando est à sensibilibus ad intelligibilia, secundum ordinem naturalis rationis, pertinet ad motum rectum: quando autem simul secundum illuminationes diuinas, pertinet ad motum obliquum, vt ex dictis patet. Sola autem immobilitas, quam ponit, pertinet ad motum circularem. Vnde patet, quod Dionysius multo vtilius & sufficientiùs motus contemplationis distinguit ac describit.

Quousque celsitudo contemplationis possit pertingere.

1. Ad quantum gradum visionis eleuetur contemplatio. 2. De raptu ex contemplatione. 3. Ad quam vim animæ raptus pertineat. 4. De raptu Pauli ad tertium cælum.

Capvt III.

1. Sed iam inquirendum est, ad quantum gradum visionis diuinæ essentiæ in hac vita contemplatio eleuetur: quia enim ad eius claram visionem non se extendat, testatur Gregorius super Ezechielem, vbi ait, *Nullus ita in contemplationis virtute proficit, vt in ipso incircumscripti luminis radio mentis oculos figat.* Sed sciendum est, quod Augustinus dicit 12. super Genesim ad literam: *Nemo viuens Deum vidit, ista vita, qua mortaliter viuitur in istis sensibus corporis;*

corporis; sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, siue omnino exiens à corpore, siue alienatus à sensibus corporalibus; in illam non subuehitur visionem. Sic ergo dicendum est, quod in hac vita potest aliquis esse dupliciter: *vno modo* secundum *actum*, in quantum scilicet actualiter vtitur sensibus corporis; & sic nullo modo contemplatio præsentis vitæ potest ad claram visionem diuinæ essentiæ pertingere; *Alio modo* potest quis esse in hac vita *potentialiter*, & non secundum actum, in quantum scilicet anima eius est corpori mortali coniuncta vt forma, ita tamen quòd non vtatur sensibus corporis, aut etiam imaginatione, sicut accidit in raptu; & sic potest contemplatio huius vitæ pertingere ad visionem diuinæ essentiæ. Vnde supremus gradus contemplationis præsentis vitæ est, talem habere visionem, qualem habuit Paulus in raptu, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum præsentis vitæ & futuræ. Per hoc autem quod Iacob dicit, *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*, Genes. 32. non est intelligendum, quod Dei essentiam viderit; sed quod formam imaginariam viderit, in qua est ei loquutus Deus. Vel, quia per faciem aliquid cognoscimus; *faciem* eius, cognitionem vocauit, sicut glossa Gregorij dicit ibidem. Et ideò etiam, cum Gregorius in 2. Dialog. dicit, *Animæ videnti creatorem, angusta est omnis creatura. Vir ergo Dei* (scilicet B. Benedictus) *qui intrà se globum igneum, Angelos quoque ad cælum redeuntes videbat: & hoc quoque cernere non nisi in Dei lumine poterat;* Ex his, inquam, verbis beati Gregorij,

gorij, non datur intelligi, quod B. Benedictus Deum in illa visione per essentiam viderit: sed vult ostendere, quod, quia videnti creatorem augusta est omnis creatura; consequens est, quòd per illustrationem diuini luminis de facili possint quæcunque videri; Vnde subdit, *quantumlibet enim parùm de luce creatoris aspexerit, breue ei fit omne, quod creatum est.*

2. Iam quia de *raptu*, qui ex contemplatione sequitur, aliqualiter tactum est, de eo specialiter tractare conuenit; & primùm quidem, quid raptus sit; deinde in qua vi seu potentia animæ consistat. Raptus ergo à quibusdam definitur, ab eo quod est secundam naturam, in id quod est suprà naturam, vi superioris naturæ eleuatio; & sic raptus violentiam quandam importat. Vnde super illo verbi Apostoli 2. Corynt. 12. *Scio hominem in Christo raptum vsque ad tertium cælum*; dicit glossa, *raptum id est, contra naturam eleuatam.* Sciendum igitur, quod aliquid potest violentari dupliciter; *Vno modo*, quantum ad *finem inclinationis*, sicut si lapis, qui naturaliter inclinatur ferri deorsum, proiiciatur sursum; *Alio modo*, quantum ad *modum tendendi*, sicut si lapis velocius proiiciatur deorsum, quàm sit eius motus naturalis. Sic autem anima hominis dicitur rapi in id quod est coutrà vel præter naturam; *vno modo* quantum ad *terminis* raptus, vt cum rapitur ad pœnas, secundum illud Psalmi, *Nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Alio modo*, quantum ad *modum* homini connaturalem, qui est, vt per sensibilia intelligat veritatem; & ideo quando abstrahitur à sensibilium appræhensione,

ſione, dicitur *rapi*, etiamſi eleuetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur; dum tamen hæc abſtractio non fiat ex motu, vel inclinatione naturæ, ſicut accidit in ſomno naturali, qui propriè non poteſt raptus appellari. Hæc autem abſtractio poteſt ex triplici cauſa contingere. *Primo* ex cauſa naturali & corporali, ſicut patet in multis, qui propter aliquam infirmitatem, alienationem patiuntur; *Secundo* ex virtute dæmonum, ſicut patet in arreptitiis; *Tertio* ex virtute diuina, & ſic loquimur nunc de raptu; prout ſcilicet quis diuino ſpiritu eleuatur ad aliqua ſupernaturalia, cum abſtractione à ſenſibus, ſecundum illud Ezechielis 8. *Spiritus eleuauit me in viſionibus Dei.* Vnde licet naturale ſit homini, vt in diuina tendat; (ſecundum illud Auguſtini 1. confeſsionum, *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*) tamen iſte modus, quod quis eleuetur ad diuina cum abſtractione à ſenſibus, non eſt homini naturalis; ſed quod ad ea per ſenſibilia deducatur: ſecundum illud Apoſtoli, *Inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur.* Non eſt tamen huiuſmodi raptus omnino contrà naturam; ſed præter, vel ſuprà facultatem naturæ: quia ad dignitatem hominis, (qui ad imaginem Dei factus eſt,) naturaliter pertinet, quod in Deum eleuetur; Sed quia Deus eſt bonum infinitum, excedens humanam facultatem, indiget homo beneficio gratiæ, vt ſupernaturaliter ad illud bonum capiendum, adiuuetur; Ideo ei neceſſe eſt, quantum ad ea, quæ excedunt ſuam facultatem vt quadam fortiori operatione eleuetur: & hæc eſt raptus; qui

qui quantum ad aliquid dici potest violentia seu coactio; scilicet si attendatur operationis modus; non autem si attendatur operationis terminus, in quem natura hominis, & intentio eius ordinatur.

3. Nunc videndum est, ad quam potentiam animæ, cognoscitiuam, scilicet, vel affectiuam, raptus magis pertineat. Vnde primo sciendum est, quod de raptu dupliciter loqui possumus: *vno modo*, quantum *ad id, in quod* aliquis rapitur, & sic proprie raptus non potest pertinere ad vim appetitiuam, sed solùm ad cognoscitiuam: quia dictum est, quod raptus est præter propriam inclinationem illius, quod rapitur; ipse autem motus appetitiuæ virtutis, est quædam inclinatio in bonum appetibile; vnde proprie loquendo, ex hoc, quod quis appetit aliquid, non rapitur. *Alio modo* potest considerari raptus quantum *ad suam causam*, & sic potest habere causam ex parte appetitiuæ virtutis: ex hoc namque, quod appetitus ad aliquid vehementer afficitur, potest contingere, quod ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur. Habet etiam *effectum* in appetitiua virtute, cum scilicet aliquis delectatur in his, ad quæ rapitur: vnde & Apostolus non solum dicit, se raptum vsque ad *tertium cælum*, quod pertinet ad contemplationem intellectus; sed etiam ad *paradisum*, quod pertinent ad delectationem affectus. Præterea, notandum est, quod *raptus* addit aliquid suprà *extasim*. Nam *extasis* importat simpliciter excessum à seipso; vnde super illo verbo Psalmi, *In te Domine speraui*, dicit glossa, *Extasis græce, excessus dicitur latine.*

latine. Sed *raptus* super hoc addit quandam violentiam: ideo potest extasis ad vim appetitiuam pertinere, scilicet, cum alicuius appetitus tendit in ea, quæ extra ipsum sunt: & secundum hoc dicit Dionysius, quod *extasim facit diuinus amor*; in quantum scilicet facit appetitum hominis tendere in res amatas. Vnde postea subdit, quod etiam *ipse Deus per abundantiam amatiua bonitatis, extra seipsum fit, per prouidentiam ad omnia existentia*. Sed iterum sciendum, quod homo dupliciter potest secundum appetitum fieri extrà seipsum; *vno modo*, quando appetitus intellectiuus totaliter in diuina tendit, prætermissis his, in quæ inclinat appetitus sensitiuus: & sic dicit Dionysius 4. cap. de diuinis nominibus, quod Paulus ex virtute diuini amoris extasim faciente dicit, *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus*. *Alio modo*, quando prætermisso appetitu superiori, homo totaliter fertur in ea, quæ pertinent ad appetitum inferiorem: & sic dicit Gregorius 2. dial. quod ille, qui porcos pauit, vagatione mentis & immunditiæ *sub semetipso cecidit*. Et iste excessus vel extasis plus àppropinquat ad rationem raptus, quàm prior: quia scilicet superior appetitus est magis homini proprius; vnde quando homo ex violentia appetitus inferioris abstrahitur à motu appetitus superioris, magis abstrahitur ab eo, quod est sibi proprium. Quia tamen non est ibi violentia, eo quod voluntas potest resistere pasioni, deficit à vera ratione raptus: nisi forte tam vehemens sit pasio, quod vsum rationis totaliter tollit, sicut contingit in his, qui propter vehementiam iræ vel amoris

insaniunt. Considerandum tamen est, quod vterque excessus virtutis appetitiuæ potest causare excessum cognoscitiuæ; vel quia mens ad quædam intelligibilia rapiatur, alienata à sensibus, vel quia rapiatur ad aliquam imaginariam visionem, vel phantasticam apparitionem.

4. Postremo de raptu Pauli specialiter tractandum est: de quo quidam dixerunt, eum tunc non vidisse diuinam essentiam, sed quandam refulgentiam diuinæ claritatis. Oppositum tamen determinat Augustinus, non solum in libro de videndo Deum, sed etiam in 12. super Genesim ad literam; & habetur in glossa 2. Corynt. 12. Atque hoc etiam ibi ipsa verba Apostoli designant: quia dicit, se audiuisse verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui; hæc autem videntur esse ea, quæ pertinent ad visionem beatorum, quæ excedunt statum viæ, secundum illud Isaiæ 44. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Sciendum autem est, quod mens humana diuinitus rapitur ad contemplandam veritatem diuinam, tripliciter: *vno modo*, vt contempletur eam per similitudines imaginarias, & sic de Petro legitur Actuum 10. *Quod cecidit super eum mentis excessus. Alio modo*, vt contemplentur veritatem diuinam per intelligibiles effectus, sicut fuit excessus Dauid, dicentis, *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax*. *Tertio modo* vt contempletur eam in sua essentia, & talis fuit secundum Augustinum raptus Pauli & Moysi; & satis congruenter. Nam sicut Moyses erat primus Doctor Iudæorum, ita Paulus primus Doctor Gen-

Gentium. Nec tamen ex hoc ſequitur, quod Paulus in hoc raptu fuerit beatus: quia licet diuina eſſentia non poſsit videri ab intellectu creato, niſi per lumen gloriæ, de quo dicitur in Pſalmo, *In lumine tuo videbimus lumen*; hoc tamen lumen dupliciter participari poteſt: vno modo, per modum formæ *immanentis*, & ſic beatos facit ſanctos in patria; alio modo per modũ formæ cuiuſdam *tranſeuntis*, ſicut etiam dicitur de lumine prophetiæ; & ſic fuit lumen illud in Paulo: ideo tunc non fuit ſimpliciter beatus, nec habitualiter, ſed solùm quodam modo habuit actum beatorum; ideo etiam tunc in eo non fuit fidei actus, ſed bene habitus cum illa actuali viſione.

Sed quantum ad hoc, quod dicit, ſe raptum ad tertium cælum, ſciendum eſt, quod nomine *tertij cæli* poteſt vno modo intelligi aliquid corporeum, & ſic tertium cælum eſt cælum empyreum, quod dicitur tertium, reſpectu cæli aërei & cæli ſiderei, vel potius reſpectu cæli ſiderei, & cæli aquei, ſiue Chryſtallini. Et dicitur raptus ad tertium cælum, non quia raptus ſit ad videndum ſimilitudinem alicuius rei corporeæ: ſed propter hoc, quod locus eſt contemplationis beatorum, in quo, (ſecundum gloſſam) Deus oſtendit ei vitam, in qua videndus eſt in æternum. Alio modo per tertium cælum, poteſt intelligi aliqua viſio ſupermundana, quæ poteſt dici tertium cælum triplici ratione: vno modo ſecundum ordinem potentiarum cognoſcitiuarum, vt primum cælum dicatur viſio ſupermundana corporalis quæ fit per ſenſum, ſicut viſa fuit manus ſcribentis in

pariete, Danielis 5. Secundum autem cælum sit visio imaginaria, sicut illa quam vidit Isaias, & Ioannes in Apocalypsi. Tertium vero cælum dicatur visio intellectualis, vt Augustinus exponit 12. super Genesim ad literam. Secundo modo potest dici tertium cælum iuxta ordinem cognoscibilium; vt primum cælum dicatur cognitio spiritus humani, & suarum spiritualium virtutum; secundum, cognitio cælestium spirituum; tertium, cognitio ipsius spiritus diuini, seu contemplatio Dei. Tertio modo potest dici tertium cælum, secundum gradus contemplationis Dei, quorum primus pertinet ad Angelos infimæ hierarchiæ, secundus ad Angelos mediæ, tertius ad Angelos supremæ, vt dicit glossa 2. Corynt. 12. Quia vero visio Dei non potest esse sine delectatione, ideo se dicit raptum non solum ad tertium cælum ratione contemplationis; sed etiam in paradisum ratione consequentis delectationis.

Sed quantum ad illud, quod Paulus ait, *siue in corpore, siue extrà corpus, nescio; Deus scit*; sciendum, quod, (sicut dicit Augustinus 12. super Genesim ad literam) *nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, siue omnino exiens de corpore; siue auersus & alienatus ab his corporeis sensibus, in illam non subuehitur visionem.* Ideo satis constat, quod Paulus tunc adhuc existens in statu viæ, non vidit Deum per essentiam, sine abstractione à sensibus. Post illum tamen raptum, quando cessauit illa visio, memor fuit illorum, quæ viderat; non per vim memoriæ corporalis, seu sensitiuæ partis; sed per aliquas species intelligibiles habitualiter ex hoc in eius

in-

intellectu relictas; vnde totam illam cognitionem nec cogitare poterat, aut verbis exprimere, & hoc est, quod dicit, *non licet homini loqui.* Vtrum autem anima Pauli in statu illo fuit totaliter à corpore separata, vel vtrùm hoc ipse ignorauerit; dicendum est, quod non fuit necessarium vt anima sic separaretur à corpore, quod ei non vniretur sicut forma: fuit tamen necessarium, eius intellectum abstrahi à phantasmatibus, & sensibilium perceptione, quia talibus perceptionibus non eleuatur intellectus ad altissimam diuinæ essentiæ visionem. Nec tamen oportuit animam separari à viribus animæ vegetabilis, sicut animæ sensibilis; quia vires vegetatiuæ non operantur ex intentione seu cognitione, sicut vires sensitiuæ; sed per modum naturæ: ideoque non requiritur ad raptum abstractio ab iis, sicut à potentiis sensitiuis, per quarum operationem minueretur intentio animæ circa intellectiuam cognitionem. Sed vtrum de facto anima Pauli tunc fuerit separata à corpore vel non; & vtrum hoc sit illud, quod dicit Apostolus se nescire, an in corpore, an extrà corpus; incertum est. Quidam enim dicunt, illud, quod Apostolus ait, se nescire, an in corpore an extrà corpus, non referri *ad esse hominis rapti*, quasi ignorauerit an anima eius esset in corpore vel non: sed *ad modum raptus*, vt ignorauerit, an corpus fuerit simul raptum cum anima in tertium cælum, vel non, sed solum anima; sicut de Ezechiele dicitur, quod adductus fuit in visionibus Dei in Ierusalem. Sed hunc sensum improbat Augustinus 12. super Genesim ad literam. Ideo alij secundum alium

sensum intelligunt: vt scilicet Apostolus sciuerit, se fuisse raptum secundum animam, & non secundum corpus; nesciuerit tamen & tunc, & postea, qualiter se habuerit anima ad corpus, scilicet an fuerit à corpore separata, vel non. Vnde dicit Augustinus ibidem, post longam inquisitionum concludens: *Restat ergo fortasse, vt hoc ipsum ignorasse intelligamus, vtrum, quando in tertium cœlum raptus est, in corpore fuerit anima, quomodo in corpore est, quando corpus viuere dicitur, siue vigilantis, siue dormientis, siue in extasi à sensibus corporis alienati: an de corpore omninò exierit, vt mortuum corpus iaceret.* Et ideo, cum Apostolus ait, *scio hominem in Christo raptum*; licet homo nominat compositum ex anima & corpore, tamen per synechdochem intelligi potest, vt pars hominis homo nominetur, & præcipuè anima, quæ est pars eminentior. Potest etiam intelligi, eum quem raptum dicit, non tunc hominem fuisse, quando raptus fuit, sed post annos quatuordecim: Vnde dicit, *scio hominem*, & non ait *scio raptum*; licet enim raptus propriè differat à morte, nihil tamen prohibet mortem sic diuinitus procuratam, mortem dici. *Et* (sicut Augustinus dicit 12. super Genesim ad literam) *dubitante inde Apostolo, quis nostrum inde certus esse potuit?* Vnde qui super hæc loquuntur, magis coniecturaliter, quam certitudinaliter loquuntur. His itaque præmissis, quæ ad speculatiuam contemplationis cognoscendæ pertinent: ad practicam contemplationis acquirendæ procedamus.

Tra-

Tractatus ſecundus compendij: qui agit de figuralibus exemplis ad contemplationem proficientibus: ſeu de ſpirituali genealogia contemplationis.

CAPVT IV.

VItæ actiuæ & contemplatiuæ mutuam habitudinem, atque ordinem generationis virtutum pertinentium ad vtramque, nullæ veteris teſtamenti figuræ aptius ſignificare, aut congruentius repræſentare videntur, quàm illæ, quæ in Geneſi de duabus vxoribus Iacob, & earum generatione leguntur: vt bene merito de earum prole myſticè intellecta propheta dixiſſe credatur, *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob*; Quærentium ſcilicet, non greſsibus pedum, ſed gradibus virtutum. Sic enim per operationem virtuoſam quærendam eſſe faciem Dei, id eſt, contemplatiuam eius viſionem, idem oſtendit, qui ait: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* De his ergo figuris, & earum ſenſibus myſticis, erit tractatus præſens.

1. Primum quidem de Iacob ſpiritualiter intellecto. Iacob interpretatur *ſupplantator:* qui à facie Eſau fugiens vidit in ſomnis ſcalam de terris ad cælos attingentem: & poſtea mutato nomine ab Angelo vocatus eſt Iſrael, id eſt, *vir videns Deum; vir* propter virtutem, *videns* per

contemplationem. Hic ergo congruentissime virum virtuosum & contemplatiuam signat, qui supplantato Esau, id est, diabolo & vitiis eius, per scalam virtutum de terrenis ad cælestia ascendere, & ad visionem Dei contemplando meretur pertingere. Cuius figuræ continentia ex aliis, quæ in Iacob contigisse leguntur, id est, ex vxoribus & filiis eius, manifestissimè patet: sicut in libro de duodecim patriarchis subtiliter atque vtiliter venerabilis Richardus prosequitur, vnde huius libri sententiam atque ordinem sub compendio colligere dignum duxi.

2. Habet ergo *Iacob* vxores duas, prima est *Lia*, secunda *Rachel*: Lia fœcundior, Rachel formosior; Lia fœcunda, sed lippa; Rachel vero sterilis, sed formæ singularis. Lia, est disciplina virtutis: Rachel, doctrina veritatis. Lia, desiderium iustitiæ: Rachel, studium sapientiæ. Hæ sunt ergo duæ sorores, & spiritus rationalis geminæ vxores. Rachel, est ratio, qua discernimus: Lia vero, affectio, qua diligimus; Ratio pertinet ad veritatem, affectio ad virtutem. Ex his oritur generosa proles: ex ratione oriuntur consilia recta, ex affectione desideria sancta; ex illa spirituales sensus, ex ista ordinaria affectio; ex illa denique omnis veritas, ex ista omnis virtus. Sicut ergo Rachelis est, meditari, contemplari, discernere, intelligere: sic pertinet ad Liam flere, dolere, gemere, suspirare. Nam Lia est affectio, diuina inspiratione inflammata: Rachel est ratio, diuina reuelatione illuminata. Lia est affectio, ad normam iustitiæ se ipsam componens: Rachel ratio se in cælestis sapientiæ

tiæ contemplationem attollens. Vnde recte Lia *laborioſa*, Rachel vero *viſum principium* interpretatur.

3. Accepit autem vtraque illarum ancillam ſuam: Lia, Zelpham; Rachel, Balam: Hoc eſt, affectio, ſenſualitatem: Ratio imaginationem. Obſequitur ſenſualitas affectioni; imaginatio famulatur rationi: Nam ſine imaginatione ratio nihil ſciret; ſine ſenſualitate affectio nihil ſaperet. Diſcurrit ergo imaginatio vt ancilla inter dominum & ſeruum, id eſt, inter rationem & ſenſum: & quicquid extrinſecus haurit per ſenſum carnis, intus repræſentat ad obſequium rationis. Sed & ſenſualitas nihilominus ſatagit, & ſolicita eſt circa frequens miniſterium, ad dominæ ſuæ Liæ parata obſequium. Eſt tamen Bala garrula, Zelpha temulenta. Balæ namque loquacitatem nec ipſa eius Domina Rachel compeſcere poteſt: Zelphæ ſitim omnino extinguere Lia non poteſt. Nam ad ſatiendum appetitum ſenſualitatis vino, id eſt, gaudio voluptatis, totus mundus non ſufficit: quia quanto plus bibit, tanto amplius ſitit; Vnde recte Zelpha, *os inhians*, vocatur, cuius ſitis non extinguitur. Imaginatio autem cum tanta importunitate in aure cordis perſtrepit, vt eius clamorem Rachel omninò cohibere non poſsit: vnde per ſtrepitum cogitationum eius, qualis & quanta ſit Balæ garrulitas, etiam inuiti quotidiano experimento docemur; Ideo non immerito Bala, hoc eſt, inueterata dicitur, quia in garrulitate inueteratorum morem imitatur.

4. Prius autem de filiis Liæ dicendum videtur:

detur : nam ipsa prius peperisse legitur. Igitur septenaria Liæ proles, septem sunt virtutes ordinati affectûs, scilicet, Timor, Dolor, Spes, Amor, Odium, Gaudium, Pudor. Isti omnes, modo possunt esse ordinati, modo inordinati: sed cum ordinati fuerint, tunc bene inter Iacob filios deputandi. Primo ergo nascitur timor, quia scriptum est, *Initium sapientiæ timor Domini* Hæc est prima virtutum proles, sine qua cæteras habere non potest : hic ex consideratione peccatorum nascitur, vnde iure *Ruben*, id est, *visionis filius* vocatur; quia quanto quis peccata perfectius, sæpiusque considerando videbit, tanto vehementiùs timebit. Primo filio nato, & paulatim crescente, secundus nascitur: quia magnum timorem necesse est vt dolor sequatur; ideo merito talis filius *Simeon*, hoc est, *exauditio* nominatur, quia qui vere pœnitendo dolet, absque dubio exauditus indulgentiam accipiet. Post hæc sequitur *spes veniæ*; hic est tertius filiorum Iacob, qui ideo *Leui*, id est, *additus*, vel *additio* dicitur, quia illis duobus prioribus datis hic superadditur : quem sic diuinus sermo nominat, ne ante timorem, & condignum pœnitentiæ dolorem, quisquam de spe veniæ præsumat. Sed sicut post crescentem timorem subortus est dolor : sic vtique post spem natam & per quotidiana incrementa proficientem, nascitur *amor*. Hic est ille filiorum Iacob, qui quarto loco nascitur, & *Iudas*, id est, *confitens* in scriptura nominatur : quia quisque, quod amat, laudat; & illa vera laudatio, ipsa est pura confessio ; semper quidem confitēdo laudas si semper amas, & semper de-

ſideras. Nec tamen ſufficit Iudæ confeſsio diuinæ laudis; ſed amat etiam confeſsionem proprij criminis: quia & hanc & illam ad amorem & honorem Dei multum pertinere cognoſcit; & multum commendat bonitatem eius, non ſolum quod bona ſua largiter tribuat: ſed etiam quòd mala noſtra miſericorditer ignoſcat; hic largus, hic piùs, vtrobique bonus. Ideo Iudas hæc inceſſanter confitetur, ne ingratus appareat, vel de indulta venia, vel de conceſſa gratia. Ecce ergo quatuor primos filios Liæ: primus eſt, timor pœnæ; ſecundus, dolor pœnitentiæ; tertius, ſpes veniæ; quartus, amor iuſtitiæ; & poſt hæc deſinit parere.

5. Nato itaque Iuda, id eſt, bonorum inuiſibilium amore ſeu deſiderio exurgente atque feruente, incipit Rachel amore prolis æſtuare, quia incipit velle cognoſcere; nam vbi amor, ibi oculus: Ideo quantò plus creſcit Iudas, id eſt affectus diligendi, tanto ampliùs in Rachele feruet deſiderium pariendi, id eſt, ſtudium cognoſcendi. Sed quia difficile eſt, imo impoſsibile mentem carnalem, & adhuc in ſtudiis corporalibus rudem, ad inuiſibilium intelligentiam aſſurgere, & in illis contemplationis oculum figere: ideo priùs cogitat per imaginationem, quæ nondum videre valet per intelligentiæ puritatem. Et hæc eſt cauſa, cur Rachel prius habet filios de ancilla, quàm generet de ſeipſa. Sicut enim per Rachel rationem; ita per eius ancillam intelligimus imaginationem. Sed imaginatio alia eſt beſtialis, quæ abſque omni deliberatione, huc illucque vaga mente diſcurrit: Alia eſt rationalis, quando ex his, quæ per

sensum corporeum nouimus, aliquid imaginabiliter fingimus; vt quando ex multis bonis vel malis, quæ in hac vita sensus corporeus experitur, quale vel quantum bonum aut malum in futura vita esse possit, colligitur; & ex imaginatione quædam futurorum imago figuratur; talis itaque imaginatio ad Bale, & ad Rachel pertinere videtur: Ad Bale pertinet, inquantum imaginatio: ad Rachel, inquantum rationalis; talis itaque proles & imaginationis est, per natiuitatem; & rationis per adoptionem. Huiusmodi enim prolem vna generat, sed altera educat: ex Bale namque nascitur, sed per Rachel moderatur. Sunt itaque duo filij Balæ, quorum primogenitus, *Dan* dicitur, posterior *Nephtalim* nominatur: ad Dan pertinet futurorum malorum consideratio, ad Nephtalim speculatio futurorum bonorum. Quia ergo per officium Dan illicitas cogitationes depræhendimus, arguimus, damnamus, castigamus, rectè eum *Dan*, id est iudicium vocamus: nam ad eum pertinet, exurgens malum statim cum per cogitationem pulsat, in iudicium adducere, diligenter discutere, depræhensum damnare; & deceptoriam cogitationem ex alia consideratione percutere, ac tentantia mala ex tormentorum recordatione extinguere. Sed sicut ad officium *Dan* spectat per præsentationem pœnæ reprimere exurgentia vitia: sic ad *Nephtalim* pertinet per considerationem præmiorum inflammare desideria bona. Et quia quandoque comparatione vtitur; vt quando ex præsentium bonorum multitudine vel magnitudine colligit, illa futuræ vitæ gaudia quot vel

quanta

quanta esse possint: quandoque verò vtitur translatione, vt quando rerum inuisibilium quamlibet descriptionem transfert ad rerum inuisibilium significationem; rectè *Nephtalim* dicitur, qui *comparatio* vel *conuersio* interpretatur, quia scilicet rerùm comparatione vtens; & quia quicquid scriptum reperit, ad spiritualem intellectum transferens conuertit. Et hæc de filiis Bale.

6. Videns itaque Lia sororem suam Rachel adoptiua iam prole gaudere, prouocatur & ipsa ancillam suam viro tradere, vt possit cum sorore sua de filiorum adoptione exultare. Si igitur, vt dictum est, per Zelpham sensualitatem debemus accipere, quam aliam quæso virtutis prolem potest ipsa gignere, nisi vt discat & in rebus prosperis temperanter viuere, & in aduersis patientiam habere? Isti ergo sunt *Gad* & *Aser*, duo filij Zelphæ, rigor videlicet abstinentiæ, & vigor patientiæ; hæc est gemina virtutum proles, quam Zelpha quidem parit in dolore, tamen ad magnam fœlicitatem & beatitudinem Dominæ suæ: quia per abstinentiam & patientiam caro quidem affligitur, sed ad magnam inde pacem & tranquillitatem animus componitur. Hinc est, quod nato *Gad* exclamat dicens, *fœliciter*; & iterum *Aser* nascente, pronunciat, hoc pro beatitudine mea; vnde & *Gad*, id est, *fœlicitas* dicitur, & *Aser*, *beatus* seu beatitudo nominatur. Sed quando quæso Lia ancillam suam viro suo traderet, vel tales adoptaret, nisi sororis suæ exemplo prouocata fuisset? Prius enim semper est, vt ancilla Rachelis redigatur sub potestatem viri, quam an-

cilla Liæ: quia si imaginationis euagatio, quæ fit per inutiles cogitationes, priùs non reprimitur, sensualitatis immoderatus appetitus minime temperatur. Et hæc de filiis Zelphæ.

3. Natis itaque Gad & Aser, iam tempus instat, quo Ruben mandragoras inueniat, si tamen cum foras ire non pigeat. Per *Ruben*, vt prædictum est, timorem Dei accipimus, qui intus est, quando in secreto cordis, in conspectu Dei, in nostra conscientia trepidamus: sed foras exit, quando propter Deum, etiam hominibus nos ad omnem obedientiam inclinamus. Exit ergo Ruben tempore messis tritici, quando ex imperio obedientiæ exercet se timor in operibus iustitiæ. Tunc autem Ruben mandragoras inuenit, quas ab ipso mater eius Lia accipit: quia per mandragoras, quæ odorem suum solent late spargere, bonæ opinionis famam debemus accipere; quas quidem tunc Lia accipit, quando oblata laus affectum tangit, quando in laudis suæ præconiis animus afficitur, & peruersè delectatur. Harum partes Rachel petit, Lia concedit, vt virum accipiat, quæ prolis desiderio flagrat: quia suadet affectioni ratio humani fauoris appetitum sub suo moderamine temperare, si ad multiplicandum virtutum prolem cupit de diuini spiritus copula gaudere. Nouit enim Rachel meliùs, quàm Lia, mandragoris vti: quia quicquid affectio cordis vsurpat ad laudem sui, rectiùs sane ratio retorquet ad gloriam Dei. Rectè autem Ruben, præ cæteris filiis Liæ, post natos Gad & Aser inuenisse mandragoras dicitur: quia quemlibet ex operibus præclaris absti-

nentiæ

nentiæ & patientiæ ad timorem, non ad tumorem profecisse maximè laudamus & miramur.

8. Postea ergo quinto loco Liæ filius *Isachar* nascitur. Hic est internum gaudium & spiritualis dulcedo, quæ intus sentitur: quam tunc veraciter habemus, quando de veris & internis bonis gaudemus. Pro tali prole libenter Lia mandragoras contemnit vt talem filium habere possit. Mens etenim, quæ in laude hominum delectatur, quid sit internum gaudium experiri non meretur. Recte autem post natiuitatem Gad & Aser, Lia talem filium genuit: quia nisi per abstinentiam & patientiam mens humana ad verum gaudium non pertingit. Oportet ergo non solum falsam delectationem, sed etiam vanam perturbationem excludere, qui vult de veritate gaudere. *Isachar* autem *merces* interpretatur: quia ex nostris laboribus tale gaudium verum perseueranti longanimitate expectamus. Cuius gaudij dulcedinem Scriptura nunc gustum, nunc ebrietatem vocat, vt quàm sit parua, vel magna, ostendat: parua quidem, ad comparationem futuræ plenitudinis; magna autem in comparatione cuiuslibet mundanæ iucunditatis.

9. Post *Isachar*, *Zabulon* nascitur, qui *habitaculum fortitudinis* interpretatur: per quem intelligimus odium bonum, odium ordinatum, odium vitiorum, de quo propheta, *Perfecto odio oderam illos*; & iterum, *Omnem viam iniquitatis odio habui.* Hic est ille egregius miles Dei, qui bella Domini præliari non cessat, & quem vsitato nomine scriptum *zelum Domini*, vel *zelum rectitudinis* appellat. Rectè ergo post *Isachar*, qui

qui *merces* interpretatur, *Zabulon*, id est, *habitaculum fortitudinis*, nascitur: quia post degustatam æternæ mercedis dulcedinem, animus mirabiliter contra tentationes roboratur; & ideo sua pericula parui pendens, Domini iniurias fortiter vlciscitur. Iste est Zabulon, qui irascendo iram Dei placare consueuit; qui piè sæuiendo, dum hominum vitia corrigit, eis quasi non parcendo meliùs parcit. Absque dubio nihil sic placet Deo, quomodo zelus animarum. Iudam autem, & Isachar, prius quàm Zabulon, Liam peperisse legimus; & per Iudam, charitatis amorem, per Isachar spiritualium gaudiorum experientiam significari iam diximus: prius itaque Iudam & Isachar nasci necesse est, quoniam mens, quæ charitatis & internæ suauitatis adhuc expers est, rectitudinis normam in suo zelo seruare minimè potest. Debet etiam Zabulon non solum delinquentes corrigere, sed & tempore tribulationis contra persequentes defensare: alioquin verus zelus non est, si paratior est ad feriendum, quàm ad protegendum. Ideo habitaculum fortitudinis merito interpretatur Zabulon: quia perfectus zelus, tanquam forte domicilium & firmiter munitum, debet infirmiores contra omnia pericula doctrinâ & oratione protegere, & vndique munire; & hoc non solum infatigabiliter, sed etiam insuperabiliter perseuerare. Magna autem est hæc virtus, cuius officio, quisque non solum seipsum contra vitia munit, sed etiam alios à peccatorum laqueis eripere contendit: & quorum non potest malitiam in meliùs mutare, nititur saltem resistendo reprimere.

primere. Quam maiorem gratiam poteſt Deus homini conferre, quàm vt eius miniſterio peruerſi homines in melius mutentur,& vt de filiis diaboli filij Dei efficiantur? An forte cuiquam maius videbitur eſſe,mortuos ſuſcitare? Ergone maius erit ſuſcitare carnem iterum morituram, quam animam iterum victuram? & carnem reuocare ad gaudia mundi, quàm animæ reſtituere gaudia cæli? Merito ergo Zabulone nato exclamat mater eius Lia, *Ditauit me Dominus dote bona.*

10. Sed poſt has ſex virtutum ſoboles,poſt vitiorum odium,nullus ideo præſumat, ſe ſine vitio eſſe, aut in hac vitâ omnia peccata plenè deſerere,aut perfecte vitare: imo eos ſæpe,per quos Deus aliorum errata corrigere diſponit, ex magna pietatis diſpenſatione grauiter cadere permittit; vt ex propria culpa diſcant, quàm miſericordes in aliorum correctione eſſe debeant. Sed quantum putas erubeſcunt, & cum quali humilitate ſe deiiciunt, qui ſe in id, vnde alios corrigunt, vel forte in aliquid grauius lapſos conſpiciunt, qui aliis in ſtatu rectitudinis formam præbere debuerunt? Hinc eſt, quod poſt Zabulon naſcitur *Dina*: quia ſæpe poſt nimium zelum, interueniente culpa, ſequitur humilis verecundia. Nihil enim aliud intelligimus per Dinam,niſi verecundiam, ſed ordinatam: quia ſolum peccatum erubeſcere, eſt bonam verecundiam & ordinatam habere. Sed qui Zabulonem nondum gignere meruit, fruſtrà ſe Dinam poſſe gignere credat: diſce prius peccatum odiſſe, & tunc incipies veraciter erubeſcere; ille pudor verus eſſe cognoſcitur,

tur, quem vitiorum odium præcedit & comitatur. Hunc non habent, qui amplius erubescunt habere sordidam vestem, quàm sordidam mentem: aut quos magis pudet in oratione fecisse barbarismum contra regulam Prisciani, quàm protulisse mendacium contrà regulam Christi; vel quos in prædicationis officio, dum contrà superbiam disputant, si forte breuem loquendo syllabam producerent, magis eos puderet de vitio orationis, quàm de vitio elationis. Non est credendum, hanc esse illam verecundiam, quam intelligere debemus per *Dinam*: non te credas *Dinam* genuisse, & ordinatam verecundiam habere, si minus erubescis pudenda cordis, quàm corporis; si magis verearis vultum hominum, quam conspectum Dei & Angelorum. Diligenter ergo consideranti, quàm sit rarum, atque paucorum, humanam verecundiam plene vicisse, & solam illam ordinatam possidere, non erit vnde mirari debeat, cur talem prolem tam sero Lia parturiat vel concipiat. Sed ne de nominis ratione præteriisse videantur, Dina *iudicium istud* interpretatur: hoc itaque est illud iudicium, quo quisque à propria conscientia conuenienter conuincitur, condemnatur, & condigna confusionis pœna mulctatur; verè iudicium mirabile, digneque pronunciandum cum demonstrationis admiratione, in quo quanto quisque seipsũ ardentius diligit, tanto in seipsum acriùs sęuit; in quo quantò sibi parci vehementius cupit, tanto minus ipse sibi parcit. Non tamen sine causa fuit, quod post natum Zabulon Deus Liæ non filium, sed filiam dare decreuit, quæ

fratris

fratris audaciam placide mitigaret, & blanditiis deliniret. Valde ergo oportunum videtur, quod poſt Zabulon, qui iratum & zelantem animum gerit; Dina naſcendo ſuccedit: vt ex ſororis leuitate fratris ferocitas temperetur; multùm enim zelantis animi impetum temperat, cum in ſeipſo inuenit quis vnde erubeſcat. Sed quia Dina nil magnificum molitur, tribum in populo Iſrael facere non meretur: imo etiam ſæpe, dum plus iuſto confundi metuit, ad fortia virilia non ſolum non conualeſcit, ſed ea etiam præpedire conſueuit. Sed quamuis, velut fœmina, pauida ſit ad opera fortitudinis, inuenitur tamen prouida ad cuſtodiam caſtitatis: & quamuis neſciat placere per fortitudinem, placet tamen per formæ pulchritudinem; quia modeſtia verecundiæ ſui dilectione allicit, & ſe hominibus commendabilem & amabilem reddit. Vnde quia verecundiæ venuſtas fere ab omnibus commendatur, laudatur, amatur; Dinam egredientem, & intima ſua deferentem, & quæ eam humiliare conſueuerat, humilitatis memoriam cito obliuiſcentem, ſubito hominum laudes excipiunt, & eam, dum fauoribus demulcent, corrumpunt. Dum enim in oblata laude delectatur, per *Sichem*, id eſt amorem vanæ gloriæ, filium ſcilicet *Hemor*, amoris propriæ excellentiæ, quaſi violentia quadam potius, quam propria voluntate Dinam nolentem opprimit: quoties mentem modo, inuitam, ad turpem laudis delectationem trahit. Certe ſi Dina ſemper per humilitatem paruula fuiſſet; vel intra thalami ſui ſecreta ſeipſam cohibuiſſet: nec corruptionis maculam incurriſſet; nec

nec tantorum malorum, quæ in corruptionis suæ vindictam sequuta sunt, causa extitisset. Hæc de nouissimis liberis Liæ dicta sufficiant.

11. Sciendum autem est, quod affectus prædicti tunc veraciter creduntur boni, quando sunt non solum ad finem debitum ordinati, sed etiam per debitum modum atque mensuram moderati. Timor enim nimius sæpe cadit in desperationem; dolor, in amaritudinem; spes immoderata, in præsumptionem; amor superfluus, in adulationem; lætitia superuacua, in dissolutionem; ira intemperata, in furorem; & ita virtutes in vitia vertuntur, si per discretionem minimè moderantur. Hic est ille *Ioseph*, qui sero nascitur, sed à patre plus cæteris amatur: quia sine discretione virtus nulla consummatur, nulla conseruatur. Sed vix sero talem filium accipere meremur: quia ad discretionis perfectionem non sine magno vsu, non nisi per magna experimenta erudimur. Multa quidem de discretione legendo, multa audiendo discimus, multa ex insito nobis rationis iudicio: veruntamen in hac nunquam ad plenum erudimur, sine experientiæ ministerio. Prius est ergo vt satagamus singulis virtutibus studium frequens impendere: quod dum facimus, necesse est nobis sæpius cadere, oportet nos sæpe resurgere, & per frequentem lapsum addiscere, qua cautela oporteat virtutum bona acquirere, vel custodire. Sic mens diu exercitata ad plenam morum discretionem perducitur, & quasi de nato Ioseph iure lætatur. Patet autem ratio cur nec ipsa quidem Lia, cur nec ancillarum vlla, sed Rachel sola potuerit talem filium gignere:

gignere: siquidem non est sensualitatis, non imaginationis, non denique ipsius affectionis, sed solius est rationis, discernere, sicut & intelligere. Ioseph ergo de Rachele, quia discretio de ratione. Hic est ille Ioseph, qui solus inter fratres tunica talari vestitur: quia sola illa actio ad consummationis talum, debitique finis terminum perducitur, quæ per discretionis prudentiam moderatur. Hic est Ioseph ille somniator, somniorumque interpretator: quia vera discretio in ipsius tentationis articulo, inter ipsa suggestionum phantasmata, ex eorum qualitate futura pericula deprǽhendit, & de eis cautos reddit. Hic est Ioseph, quem ęmulantur sui, venerantur alieni; quem vendunt Hebræi, emunt *Ægyptij*: quia citius consilio acquiescunt, faciliusque alienæ prudentiæ cedunt erroris sui tenebras cognoscentes, quam de sua iustitia aut sapientia præsumentes. Nouit itaque Ioseph, non solum cum crescentibus crescere, non solum cum proficientibus proficere: verum etiam ex fratrum defectu ad profectum tendere; & aliorum detrimentis prudentiæ lucrum conquirere. Vnde merito talis filius, *Ioseph*, id est augmentum nuncupatur, & de ipso recte per patrem eius dicitur, *Filius accrescens Ioseph*; quia eius virtutis incrementum vsque in finem non finitur. Ipse est, qui fratrum suorum negligentias non negligit: qui eorum excessus arguit. Ipso præsente, non licet eis quicquam vltrà vires præsumere, aut aliquid per negligentiam prætermittere: in ęius præsentia non licet eis siue ad dexteram, siue ad sinistram declinare. Hinc est illa inter ipsum & fratres,

fratres, discordia grauis, & ira pene implacabilis: monita enim Ioseph videntur eis valde grauia, dura instituta, consilia importabilia. Quid namque durius, quid difficilius, quàm nihil faciendum negligere, & in omni suo facto nunquam modum perturbare, nunquam ordinem confundere, aut mensuram excedere? Nihil à se animus difficilius extorquet, quam vt in omni affectione sua modum seruet. Ad officium itaque Ioseph pertinet cura & custodia omnium fratrum suorum, & disciplina singulorum: ad ipsum spectat dispositio gerendorum, ad ipsum prouidentia futurorum; &, vt breuiter concludem, debet hic noster Ioseph totum interioris & exterioris hominis statum & habitum, quantum possibile est, plene cognoscere; non solum qualis sit, verum etiam qualis esse debeat, subtiliter quærere & diligenter inuestigare. Per hunc itaque Ioseph animas assidue eruditur, & quandoque perducitur ad plenam cognitionem sui, sicut per vterinum fratrem eius Benjamin quandoque subleuatur ad cognitionem Dei.

12. Sicut enim per *Ioseph* gratiam *discretionis*: sic per *Benjamin* intelligimus gratiam *contemplationis*. Vterque de eadem matre nascitur: quia & Dei cognitio & sui, ex ratione percipitur. Longe tamen post Ioseph Benjamin gignitur, quia animus, qui in sui cognitione dùm exercitatus pleneque eruditus non est, ad Dei cognitionem non sustollitur. Prior est vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quàm possis esse idoneus ad cognoscenda inuisibilia Dei. Præcipuum enim & principale speculum ad viden-

videndum Deum animus rationalis inuenit ſeipſum: cum legamus hominem ad Dei imaginem & ſimilitudinem eſſe factum. Hoc itaque ſpeculum non deſinit verus Ioſeph tenere, tergere, & inſpicere: *tenere* ne deorſum corruens, terrenis per amorem inhæreat; *tergere*, ne inanium cogitationum puluere ſordeſcat; *inſpicere*, ne ad vana ſtudia intentionis ſuæ oculum reflectat. Exterſo autem ſpeculo, & diu diligenter inſpecto, incipit ei quædam diuini luminis claritas interlucere, & inſolitæ viſionis radius oculis eius apparere, de quo Propheta, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Ex hoc itaque lumine, videndi Deum flammam deſiderij concipit, & fiduciam ſumit. Mens ergo, quæ iam viſionis huius deſiderio flagrat, ſi iam ſperat, quod deſiderat, iam ſe Benjamin concepiſſe cognoſcat: ſperando enim concipit, deſiderando parturit; & quanto amplius creſcit deſiderium, tanto appropinquat ad partum. Sed dicit Scriptura, *Spes quæ differtur, affligit animum*: nouit Rachel, cui tanta pariendi anxietas, & doloris immenſitas; ideo præ dolore partûs moriens, vocauit hunc filium *Benoni*, id eſt, *filium doloris*: ſed Pater eum in circumciſione vocauit *Benjamin*, id eſt, *filium dexteræ*, nimirum dexteræ excelſi, id eſt, gratiæ Dei. Ad hanc namque gratiam nunquam pertingit mens per propriam induſtriam; Dei eſt hoc donum, non hominis meritum; licet hoc accipiat nemo ſine ingenti ſtudio, & ardenti deſiderio. Ideo Rachel ſtudium multiplicat, & deſiderium ſuum quotidianis incrementis acrius inflammat. In tanta itaque quotidiani

conatus

conatus anxietate, in huius doloris immensitate, & Benjamin nascitur, & Rachel moritur: quia, cum mens suprà semetipsam rapitur, humanam rationem supergreditur; & ad id, quod supra se est, eleuata, & in extasim rapta, cum in diuinitatis lumine conspicit, humana ratio succumbit. Quid est enim Rachelis interitus, nisi rationis defectus? Nonne Rachel mortua tunc erat, & omnis humanæ rationis sensus in Apostolo defecerat, qui dicebat, *siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit?* Ad quem statum gloriatur se, non quidem iuisse, sed raptum fuisse: *Scio*, inquit, *hominem raptum fuisse in tertium cælum*. Sed quid est cælum hoc tertium? quod est inter terram & cælum, hoc est inter corpus & spiritum; sed alia est dignitas spiritus humani, alia spiritus Angelici, & longe alia excellentia spiritus diuini. Ad horum igitur cælorum quodlibet animus tunc veraciter erigitur, quando terrenarum cogitationum ima deserens, in eorum contemplatione defigitur. Ad primum igitur cælum pertinet cognitio sui; ad secundum, cognitio spiritus Angelici; ad tertium, contemplatio Dei. Possumus tamen illam, quæ habetur in hac vita, cognitionem, tribus gradibus distinguere, eosque per tres cælos designare. Ad primum itaque, & ad secundum cælum homines ascendere possunt: sed ad aliud cælum, quod est suprà rationem, nisi per mentis excessum suprà seipsos rapti, nunquam pertingunt. Ideo bene de Benjamin dicitur, *Benjamin adolescentulus in mentis excessu*. Ad hunc autem excessum, & huius cognitionis ascensum, Christus, qui sine tribus discipulis in

montem

montem aſcendere noluit, nos ſine triplici ſtudio perduci non poſſe figuraliter edocuit: per ſtudium enim operis, per ſtudiũ meditationis, per ſtudium orationis paulatim promouemur, & quãdoque ad perfectionem cognitionis perducimur. Multa enim experimur operando, multa inuenimus meditando, inueſtigando; multa extorquemus orando. Chriſtus itaque, qui terrena docet in valle, his tribus comitibus cæleſtia docet in monte: ibi Chriſtus transfiguratur, ibi clarificatus videtur; apparent Moſes & Elias; apparent autem in maieſtate, non in obſcuritate literæ, ſed in claritate ſpiritualis intelligentiæ. Et hæc quidem diſcipuli ſtantes aſpiciunt, nondum in faciem cadunt, nondum paterna vox auditur, nondum auditor proſternitur, nondum Rachel moritur, nondum Benjamin naſcitur: ſed mox vt paterna vox intonuit, diſcipulos proſtrauit, quia ad id, quod diuinitus inſpiratur, humani ſenſũs capacitas deficit. Quod ergo propheta per Rachelis interitum, hoc euangeliſta deſignat per caſum diſcipulorum, hoc pſalmiſta exprimit in Benjamin per mentis exceſſum. Poſſumus tamen per mortem Rachelis, & per exceſſum Benjamin, diuerſa contemplationum genera intelligere, & illa ſupra rationem eſſe: vnum ſuprà rationem, ſed non præter rationem; aliud & ſuprà, & præter rationem; vnum ad mortem Rachelis, aliud pertinet ad Benjamin exceſſum; In primò Benjamin interficit matrem, vbi omnem ſupergreditur rationem: in ſecundò etiam ſeipſum excedit, vbi in eo, quod ex diuina reuelatione cognoſcit, humanæ intelligẽtiæ modum tranſcendit.

cendit. Sed quid est, Benjamin in Ægyptum descendere, nisi ab æternorum contemplatione, ad temporalia contemplanda intuitum mentis reuocare? Quid est, quod Ioseph & Benjamin conueniunt, & oscula iungunt: nisi quod meditatio & contemplatio sæpe inuicem sibi, cum rationis attestatione occurrunt? In morte igitur Rachelis, contemplatio suprà rationem ascendit; in introitu Benjamin in Ægyptum, contemplatio vsque ad imaginationem descendit; in deosculatione Benjamin & Ioseph, diuinæ reuelationi humana ratio applaudit.

13. Hæc igitur de prole Iacob spiritualiter intellecta sufficiant: quæ sub breuitate sic epilogare possumus. Iacob est virtuosus animus; huius duæ sunt vxores, Lia & Rachel: Lia, est affectio; Rachel, ratio. Harum duæ sunt ancillæ, Bala, & Zelpha: Liæ seruit, Zelpha, id est, affectioni sensualitas; Racheli Bala, id est, rationi imaginatio. Ex his omnis virtutum proles hoc ordine nascendo progreditur. Quatuor primi filij Liæ sunt: primus, Ruben, timor pœnæ; secundus, Simeon, dolor pœnitentiæ; tertius, Leui, spes veniæ; quartus, Iuda, amor iustitiæ. Deinde nascuntur duo filij Balæ; primus, Dan, consideratio futurorum malorum; secundus, Nephtalim, speculatio futurorum bonorum. Postea, duo filij Zelphæ: primus, Gad, rigor abstinentiæ; secundus, Aser, vigor patientiæ. Post istos, tres nouissimi Liæ liberorum sunt, Isachar, gaudium conscientiæ; Zabulon, odium malitiæ; Dina, venustas verecundiæ. Postremo sequuntur duo filij Rachelis: primus, Ioseph, dis-

diſcretio, ſeu conſideratio ſui; ſecundus, Benjamin, contemplatio, ſeu viſio Dei; vel, Ioſeph, prudentia vera; Benjamin, intelligentia pura: vt ad Ioſeph pertineat illud genus conſiderationis, quod eſt de moribus; ad Benjamin, illud genus, quod eſt de inuiſibilibus. Prudentia vera, quam diſcernimus à prudentia carnis, eſt de acquirendis, multiplicandis, & conſeruandis moribus bonis. Intelligentia pura, quam ſequeſtramus ab admixtione imaginationis, eſt de contemplandis & comprææhendendis rebus inuiſibilibus & æternis.

Hæc ergo ex prælibato libro Richardi breuiter collecta ſunt: vt huius breuitatis ſuauitas, & ſuauis vtilitas, ad perlegendum totum illum librum, & alia ab eo de contemplationis & charitatis perfectione conſcripta, mentem lectoris alliciat; & inde ad virtutis & ſalutis profectum perueniat.

Tractatus tertius huius compendij, de ſpiritualibus ſenſibus hominis ad contemplationis perfectionem pertingentibus.

CAPVT V.

AD contemplationis apicem, & perfectionis culmen cum mens humana vſu quinque ſpiritualium ſenſuum perueniat: de quibus in libello, quem ſpeculum conſiderationis intitulauimus; vbi quædam vtilia de contempla-

tione breuiter collecta sunt, de quibus ipsius operis breuitas plene considerare non permisit: ideo specialiter de eis, & eorum distinctione tractare decreuimus.

1. Et primò *de sensuum corporalium, & spiritualium distinctione*. Etenim ex diuinis Scripturis, & sanctorum dictis colligitur, sicut sunt quinque sensus corporales exterioris hominis; sic interioris hominis proportionabiliter quinque sensus spirituales assignari. Vnde in libro de spiritu & anima dicitur, quod duo sunt in homine sensus, vnus exterior, alius interior; cum enim homo constet ex anima & corpore, seu carne, & in carne sint quinque sensus, visus, auditus, gustus, odoratus & tactus, quos tamen non mouet absque animæ societate: ita anima suo modo habet quinque sensus; quia spirituales res non corporalibus sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt. De spirituali visu in Deuteronomio diuina voce dicitur, *Videte quia ego sum solus*; de spirituali auditu, in Apocalypsi, *Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat ecclesijs*; De spirituali gustu, in Psalmo, *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*. De spirituali tactu, in Euangelio loquitur Christus, qui se mulierem magis fide, quam manibus vel corpore tetigisse ostendit, dicens, *Quis est, qui me tetigit?* De spirituali odoratu ait sponsus in Canticis, *In odore vnguentorum tuorum currimus*. De his sensibus dicit Bernardus in libro de amore Dei: quod *sicut corpus habet suos sensus, quibus anima coniungitur, vita mediante: sic & anima habet sensus quinque, quibus Deo coniungitur mediante charitate*. Ideo dicit

dicit Apoſtolus, *Nolite conformari huic ſaculo nequam, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri.* Per ſenſus ergo corporis veteraſcimus, & huic ſæculo conformamur: per ſenſus vero mentis in agnitionem Dei renouamur.

2. *De ſenſuum ſpiritualium difficili cognitione.* Sed horum ſenſuum ſpiritualium diſtinctionem cognoſcere, ac eorum officia, actus, & obiecta plenè diſcernere, non facile eſt: quia hoc nemo perfecte nouit, niſi qui experimento probauit. Licet tamen inexperti, quantum nobis Deus dederit, hos ſenſus diſtinguere tentabimus. Quidam autem eos, ita diſtinguunt, vt ſpiritualis viſus dicatur, inquantum per eum videtur Dei ſumma pulchritudo ſub ratione ſplendoris; Auditus, inquantum per eum auditur eius ſumma harmonia, ſub ratione verbi. Guſtus, inquantum per eum guſtatur ſumma dulcedo ſub ratione Sapientiæ compræhendentis vtrumque, ſcilicet, verbum, & ſplendorem. Odoratus, inquantum per eum odoratur ſumma fragrantia, ſub ratione verbi inſpirati in corde. Tactus vero, inquantum per eum aſtringitur ſumma ſuauitas ſub ratione verbi incarnati, & inter homines habitantis corporaliter, & reddentis ſe nobis palpabile, & amplexabile, ſeu oſculabile per ardentiſsimam charitatem.

3. *De ſenſuum ſpiritualium experimentali notitia, & eorum perfectione.* Sed quia hæc obſcura ſunt: ideo id, quod quærimus, clarius diſtinguere volumus, ſi valemus. Dicimus ergo imprimis, quod ſpirituales animæ perceptiones dicuntur *ſenſus*, inquantum ſunt *notitiæ experimen-*

 tales:

tales: est autem *experientia*, obiecti præsentis certa notitia, qua obiectum ipsum actu vitali à potentia perceptiua realiter attingitur. Vnde quantumcunque auctoritatem vel rationem haberem vel fidem, opinionem, aut scientiam, quod mel est dulce: propter hoc non haberem experimentalem notitiam de illo, nisi gustum exteriorem illud gustabile præsentialiter & realiter attingere cõtigisset. Simile est de gustu interiori, & aliis sensibus spiritualibus. Vnde, si ego lego, vel audio, quoniam suauis est Dominus, non ideo de hoc experimentalem notitiam habeo, nisi gustus spiritualis attingatur à diuina dulcedine: de qua experimentali gustatione dicit sponsa in Canticis, *Fructus eius dulcis gutturi meo*. Hæc autem spiritualis experientia paucorum est, quia nempe solùm perfectissimorum; dicente Bernardo super Cantica, *Quicquid de tuis occultis scimus, ô Domine Iesu, aut scriptura docente, aut Spiritu tuo sancto reuelante, aut certe (quod perfectissimorum est) gustando cognoscimus*; id est notitia experimentali scimus. Sicut ergo per sensus corporales habemus experientiam de sensibilibus: sic per sensus spirituales, (licet difficulter) habere possumus experientiam de spiritualibus.

4. *De distinctione sensuum spiritualium penes potentias rationales*. Iam de horum sensuum distinctione loquamur; præmittentes, quod cum ipsi habeant denominationem sensuum corporalium, sic cum eis habeant quandam similitudinem: ideo etiam proportionaliter ad eos triplicem recipiunt distinctionem; Vnde eos distinguere possumus, primo quantum ad *potentias*,

tias, in quibus ſunt; ſecundo quantùm ad *actus*, qui ab eis procedunt; tertio, quantum ad *obiecta* circa quæ proſequenda, vel cognoſcenda proficiunt. Quantum ergo ad primam diſtinctionem, dicimus, quod ſpirituales ſenſus ſunt in anima, ſcilicet, ſpirituali ſubſtantia, ſecundum tres eius potentias principales, in quibus conſiſtit imago beatiſsimæ Trinitatis. Primo namque in potentia *memoratiua*, quæ appropriatur Patri, conſiſtere dicitur *ſpiritualis auditus*. Secundo, in potentia *intellectiua*, quæ appropriatur Filio, *ſpiritualis viſus*. Tertio in potentia *affectiua*, quæ appropriatur Spiritui ſancto, tres alij ſpirituales ſenſus, ſcilicet, *olfactus, tactus, & guſtus*: & hoc ſecundum tres ipſius voluntatis actus, videlicet, deſiderium, dilectionem, & delectationem; vt ad actum *deſiderandi* pertineat ſpiritualis *olfactus*; ad actum *diligendi*, ſpiritualis *tactus*; ad actum *delectandi*, ſpiritualis *guſtus*. Nam ſicut fameſcens, primo cibum corporalem de longe naribus odoratur, & odorando deſiderat; ſecundo ipſum magis prope manibus tangit, & tangendo diligenter tractat; tertio intus ore recipit, & recipiendo deguſtat: Sic anima, cibum ſpiritualem, qui Deus eſt, experimentaliter ſentit, & per tres actus affectiuæ potentiæ ſpiritualiter attingit; primò ipſum per deſiderium odorans, ſecundo per charitatis dilectionem tangens; tertio per delectationem deguſtans. Et hanc diſtinctionem ſpiritualium ſenſuum per potentias ſubiectiuas aliqualiter innuit Richardus, lib. 4. de contemplatione, dicens, quod *ſicut Deus per memoriam auditur, & per intelligentiam videtur: ita per affectum*

amplexatur & astringitur. Vbi per affectum, quo Deus astringitur, tres sensus spirituales, scilicet olfactus, gustus, & tactus, compræhenduntur; & hoc ideo, quia per tactum Deus amplexatur, gustus autem est quidam tactus, & ideo etiam gustui deseruit olfactus.

5. *De distinctione sensuum spiritualium penes actus vitales*. Quantum vero ad secundam distinctionem horum sensuum, quæ attenditur penes operationes, vel actus vitales, qui in eis sunt, & ab eis quodammodo procedunt; iam ex præcedenti distinctione satis inferre possumus, quales sint huiusmodi actus. Nam ex ea sufficienter apparet, quod primo ad auditum pertinet diuinas *inspirationes* recipere & retinere; secundo ad visum pertinet, diuinas *perfectiones* intelligere & cognoscere; tertio ad olfactum pertinet, diuinas *promissiones* desiderare & appetere; quartò ad tactum pertinet, diuinas *operationes*, id est, charitatiuus efficere, & in eis Deum, quasi amplexando, tenere. Quinto ad gustum pertinet, diuinas, id est, æternorum præmiorum *delectationes* iam quodammodo attingere specialiter, & suauiter sapere. Et hanc distinctionem sensuum per suas operationes spirituales, seu eorum actus vitales, quibus ad Deum possunt pertingere, notasse videtur Hugo libro de arca Noæ, vbi ait, quòd ad Deum pertingere, est, eum semper & *per desiderium quærere, & per cognitionem inuenire, & per gustum tangere*. Licet autem Deus, dum per desiderium quæritur, secundum aliquid vt præsens non attingatur: tamen necesse est, vt secundum aliquid etiam tunc vt præsens habeatur; quia,

quia, (ſicut dicit Gregorius,) *Profectò, qui Deum deſiderat, eum iam habet; quem amat*; & tamen habitus ampliùs quæritur, quia *ſine fine quærendus, qui ſine fine eſt diligendus*; vt ait Auguſtinus ſuper illud pſalmi, *Quærite faciem eius ſemper*.

6. *De ſenſuum ſpiritualium diſtinctione penes rationes obiectales*. Quantum ad tertiam diſtinctionem, quam prædiximus, aſsignandam eſſe penes obiecta, circa quæ cognoſcenda vel proſequenda ſpiritualis ſenſus proficiunt; ex præmiſsis facile concluditur, quod Deus ſecundum diuerſas rationes obiectales huiuſmodi ſenſus vitaliter immutantes ſpiritualiter attingitur. Vnde Deus dicitur primo obiectum ſpiritualis *auditus*, inquántum diuinis *inſpirationibus* loquens. Ipſe eſt obiectum *viſus*, inquantum diuinis *perfectionibus* lucens. Ipſe eſt obiectum *olfactus*, inquantum diuinis *promiſsionibus* alliciens. Ipſe eſt obiectum *tactus*, inquántum diuinis ſeu charitatiuis & *meritoriis* operationibus perficiens. Ipſe eſt obiectum *guſtus*, inquantum diuinis, id eſt, præmiatoriis *delectationibus* reficiens. Et hanc diſtinctionem ſenſuum ſpiritualium per rationes obiectiuas aliqualiter tetigit Auguſtinus libro 10. confeſsionum, ita dicens: *Quid amo, quum Deum meum amo? certe non exteriora: ſed, quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum interioris hominis mei; vbi fulget animæ lumen, quod non capit locus; vbi ſonat verbum, quod non capit tempus; vbi redolet odor, quem non ſpargit flatus; vbi ſapit*

 cibus,

cibus, quem non minuit educatas; & vbi hares bonum, quod non diuellit societas.

7. *De spirituali sensu auditus.* Sed ad aliqualem declarationem, & maiorum elucidationem omnium prædictorum, vtile indicamus de quolibet horum sensuum particulariter prosequi: & ea, quæ de eis balbutiendo loquimur, scripturarum auctoritatibus confirmare. Primò igitur, de spirituali sensu *auditus*, diximus, quòd est in potentia animæ *memoratiua*: quia, (vt Richardus ait,) *Deus per memoriam auditur*, quod adeo conuenienter dici videtur, quoniam auditus est sensus disciplinæ, seu doctrinæ; ad memoriam autem pertinet doctrinam accipere. Licet tamen auditus iste sit in memoratiua, nihilominus ad Deum spiritualiter audiendum opus est vt disponatur, & habilitetur vtraque alia potentia, scilicet intellectiua & affectiua (sicut dicit Richardus super illo verbo, qui habet aures audiendi,) *Ille habet aures audiendi, qui habet sensum intelligendi, & affectum diligendi*. Huius autem auditus proprius actus & officium est, diuinas *inspirationes* recipere & retinere: & Deus est obiectum eius inquantum diuinis inspirationibus loquens, & interioribus *loquutionibus* docens; iuxta illud Psalmi, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Diuina enim loquutio interior, inspiratio est, quia (sicut dicit Augustinus super Genesim ad literam) *sapientia Dei non cessat loqui occulta inspiratione ad intellectualem creaturam*; cuius alloquutionis habuit experientiam sponsa, quæ dicit, *Vox dilecti mei pulsantus*, & iterum, *Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est*. Hæc itaque

itaque vox & loquutio dilecti, non exterior ſeu corporalis, ſed interior & ſpiritualis intelligenda eſt: quia (ſicut dicit Gregorius) *loquitur Deus intrinſecùs ſilenter ſonans inuiſibili lingua.* Et (vt idem ait 27. moralium) *vox Domini auditur, cum gratia eius inſpiratio in mente concipitur.* Et tunc ſponſus cum ſponſa, hoc eſt, Deus cum anima inuiſibili lingua ſpiritualiter confabulatur. Vnde Bernardus ſuper Cantica dicit: quod ſpiritus eſt verbum diuinum, ſpiritus quoque eſt anima: & habent linguas ſuas, quibus ſibi alterutrum colloquantur, præſentesque ſe indicent. Et verbi quidem lingua eſt fauor dignationis; animæ vero lingua eſt feruor deuotionis.

8 *De ſpirituali ſenſu viſus.* De ſpirituali autem *viſu* prædiximus, quod eſt in potentia, animæ *intellectiua*: &, (vt Richardus ait) Deus, per intelligentiam videtur; Quamuis enim de Deo in Exodo dicatur, *Non videbit me homo, & viuet,* quod de beatifica viſione eſt accipiendum: tamen Deum in hac vita aliqualiter videre poſſumus, non ſolum viſione fidei ænigmatica, de qua dicit Apoſtolus, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*; ſed etiam viſione intelligentiæ, quæ maior eſt viſione fidei, licet ſine fide haberi non valeat, dicente Propheta, *Niſi credideritis non intelligetis.* Et de hac viſione intellectuali dicit Gregorius 14. moralium, ſuper illud Iob, *Videbit faciem eius in iubilo,* quod *plerique contemplatione quadam, etiam prius quam carne ſpolientur, hilareſcunt, dum in iubilo faciem Dei conſpiciunt: quod fit dum aliquis oculum in radio æterni ſolis figit; ibi viuens lumen videt, quia*

iam omnis mutabilitatis vicißitudine & obumbratione calcatis, veritati æternitatis inhæret. Huius itaque intellectualis visûs, seu spiritualis oculi proprius actus seu officium est, diuinas *perfectiones* intelligere, & experimentaliter cognoscere; & Deus est obiectum eius, inquantum diuinis perfectionibus lucens: quia diuinæ perfectiones sunt veluti pulchritudines obiectales in Deo relucentes, & animæ intelligentiam illuminantes. Harum diuinarum perfectionum pulchritudinem & luminositatem sponsa in Canticis experta dicebat, *Ecce tu pulcher es dilecte mi.* Et iterum, *Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus.*

9. *De spirituali sensu olfactus.* De spirituali verò *olfactu* præmisimus, quod sit in potentia animæ *affectiua* seu volitiua, & hoc secundum actum *desiderandi*: quia sicut canis venaticus quærit & sequitur ceruum per odoris olfactum: sic anima Deum per affectionis desiderium. Ideo Ioannes Euangelista dicebat, *Odor tuus Domine excitauit in nobis concupiscentias æternas*, id est, desideria æternorum. Huius ergo spiritalis olfactus proprius actus seu officium est, diuinas æternorum præmiorum *promissiones* desideranter & feruenter appetere: & Deus est obiectum eius inquantum diuinis promissionibus alliciens: quia, (vt dicit Dionysius 4. ecclesiasticæ hierarchiæ) *Ipse est fontana copia susceptionum diuinarum suauitatum, refundens de sua plenitudine diuinißimas fragrantias.* Hæ autem odoriferæ suauitates siue fragrantiæ conuenienter intelligi possunt huiusmodi promissiones delectabiles à copiosissimo diuinæ gra-

tiæ

tiæ fonte procedentes, quibus per deſiderium in Deum tendimus: de quibus ait Pſalmus, *Sicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Et de quibus in oratione petit eccleſia, *Vt ad promißiones ipſius ſine offenſione curramus.* Hæc ſunt odorifera vnguenta, quibus in curſu præſentis viæ & vitæ, in quo Deum quærimus, conſolamur: de quibus ſponſa experta loquitur, *In odore vnguentorum tuorum curremus poſt te*; Vbi dicit Bernardus, quod *quanto quis Deo familiarius vita merito & mentis puritate appropiat, tanto recentiorum aromatum & vnctionis ſuauioris ſentit fragrantiam.*

10. *De ſpirituali ſenſu tactus.* De ſpirituali autem *tactu* ſuprà dixiſſe meminimus, quod eſt in potentia animæ *affectiua*, & hoc ſecundum actum *diligendi* & amandi: quia, (ſicut dicit Auguſtinus lib. 9. de Trinitate;) voluntas habet vnum proprium actum, qui eſt actus tenendi ſeu *amplexandi*, & quaſi poſsidendi, quos actus non poteſt habere intellectus. Nam poſſeſsio non eſt actus cognoſcentis, ſed voluntatis habentis: ſicut & ſanitas non eſt medici cognoſcentis, ſed ſani eam habentis. Huius igitur ſpiritualis tactus proprius actus ſeu officium eſt, diuinas ſeu charitatiuas operationes efficere, & eis Deum quaſi amplexando & poſſidendo tenere. Et Deus eſt obiectum eius, inquantum diuinis ſeu charitatiuis & meritoriis affectionibus atque operationibus animam perficiens. Et hoc habet fieri per Dei perfectam charitatem, qua amando tenetur, tenendo amplexatur, & amplexando oſculatur, dicente ſponſa, *Tenui eum, nec dimittam*; & iterùm, *Laua*

eius

eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & rursus, *Osculetur me osculi oris sui.* Manus autem spirituales, quibus sponsa tangit sponsum, & inseparabiliter tenet, sunt charitatiuæ affectiones & operationes; amplexus vero sunt amorosæ & feruidæ mentis deuotiones; per læuam, quæ est sub capite, significatur cognitionis intellectiuæ splendor; per dexteram, quæ amplexatur, dilectionis affectiuæ feruor: quia per deuotionem ad amorosam Dei vnionem tenditur; osculum autem est ipsa intellectualis vnio, qua anima cum Deo intimè coniungitur; de qua dicitur, *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo.*

II. *De spirituali sensu gustus.* De spirituali denique sensu *gustus* prædictum est, quia consistit in potentia animæ *affectiua*, & hoc secundum actum *delectandi*: quia actum gustandi non habet intellectus, sed voluntas, sicut de actu tangendi præmisimus. Huius spiritualis sensus proprius actus seu officium est, diuinas æternorum præmiorum delectationes iam quodammodo experimentaliter attingere, & eorum suauitatem delectabiliter sapere; Deus autem est obiectum eius inquantum diuinis seu præmiatoriis delectationibus reficiens. De hoc gustu dicit Bernardus in libro de amore Dei: *Mens est quædam vis animæ qua Deo inhæremus & fruimur*, Fruitio autem hæc est in sapore quodam diuino, quare sapientia à sapore dicitur. Sapor autem iste in gustu quodam est. Gustum vero istum nemo potest digne exprimere, nec etiam ille, qui meretur gustare; sed potest tantum dicere, gustate & videte, quoniam

niam ſuauis, id eſt, delectabilis eſt Dominus. Et hanc ſuauitatem delectabilem electi ſapiunt. Vnde Gregorius vndecimo moralium ſuper illud, *Aures verba dijudicant, & fauces comedentes, ſaporem, dicit:* quod electi non ſolum audiunt verba ſapientis, ſed etiam guſtant, vt eis in corde ſapiat, quod reproborum non mentibus, ſed ſolummodo auribus ſonat. Aliud namque eſt, cibum ſolum nominatum audire, aliud verò guſtare. Electi itaque cibum ſapientiæ ſic audiunt, vt deguſtant: quia hoc quod verè audiunt, eis per amorem medullitùs ſapit. Reliqui vero qualiter ſapiat ignorant. Aliud eſt ergo de eo ſcire, & aliud, quod cognoſcitur, faucibus intelligentiæ deguſtare. Hunc ſapidum cibum, per charitatis dilectionem comederat ſponſa in Canticis, cum ait, *Comedi fauum cum melle meo.* Et de huiuſmodi cibi refectione dicit Pſalmiſta, *Panem Angelorum manducauit homo;* Quæ verba licet ſpecialiter pertineant ad ſpiritualem deguſtationem ſeu manducationem huius cibi ſecundum diuinitatem: tamen aliqualiter pertinent ad Chriſti humanitatem, inquantum ſpiritualiter guſtatur per incarnationis myſterium, vel per Euchariſtiæ Sacramentum, in quibus eſt animæ delectabilis refectio, & ſpiritualis vitæ ſuſtentatio. Alioquin non dixiſſet Chriſtus, *Qui manducat hunc panem viuit in æternum.* Nam qui manducat, non ſolum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter per fidem & charitatem, ei Chriſtus, qui vita eſt æterna, per ſpiritualem vnionem incorporatur: & per guſtum humanitatis peruenit ad guſtum diuinitatis; ac per hoc quodammodo ad prælibamen

men & prægustationem æternæ fœlicitatis. Ideo benè exclamat Augustinus, O *sacramentum pietatis! ô signum vnitatis! ô vinculum charitatis! qui vult viuere, accedat, comedat, & incorporetur vt viuificetur.*

12. *De sensuum spiritualium impedimentis.* Sed cum de sensuum spiritualium distinctione, & eorum perfectione dixerimus: restat, vt de his, quæ in nobis hanc impediunt perfectionem, differamus. Hæc autem tria sunt præcipua: vnum, quod ad animam; aliud, quod ad corpus; reliquum, quod ad exteriora pertinet. Primum est, culpabilis infectio; secundum est carnalis depresſio; tertium est temporalis turbatio. Et primo quidem culpabilis infectio duplex est: vna culpæ *originalis*, de quo impedimento dicit Bernardus super Cantica, *Saporem interiorem perdidimus ab ipso exordio generis nostri; ex quo cordis palatum sensu carnis praualente infecit virus serpentis antiqui, cœpit non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare.* Ex hac ergo radice ceperunt interiores sensus languescere & tabescere. Alia est infectio culpæ *actualis*, & præcipuè mortalis, ex qua spiritualium sensuum vsus impeditur; eo quod per eam potentiæ animæ, & maximè voluntas deformantur; quod patet ex mortalium peccatorum distinctione, quæ ex septena voluntatis deordinatione sumitur. Voluntas enim, aut deordinatur, quia illud appetit, quod non est appetendum, aut quia refugit, quod non est refugiendum. Si primo modo, hoc est tripliciter, secundum triplex commutabile bonum, seu apparens bonum honestum, vtile, & delectabile; quia aut

illud bonum apparens honestum est priuata excellentia, quam amat superbia; aut illud bonum apparens vtile est exterior abundantia, quam amat auaritia; aut illud bonum apparens est delectabile, & hoc dupliciter, quia vel delectabile secundum gustum & ad conseruationem indiuidui, sicut alimentum, & hoc amat gula; aut delectabile secundum tactum, & ad conseruationem speciei, sicut coitus, & hoc amat luxuria. Si autem voluntas nostra deordinatur, quia refugit, quod non est refugiendum, hoc etiam est tripliciter secundum triplicem refugiendi modum; quia aut refugit secundum peruersum instinctum potentiæ rationalis, & sic est inuidia, quæ irrationabiliter vult priuatum bonum posside re sine socio; aut secundum peruersum instinctum potentiæ irascibilis, & sic est ira, quæ imperturbabiliter vult priuatum bonum habere sine contrario; aut secundum peruersum instinctum potentię concupiscibilis, & sic est acedia, quæ infatigabiliter vult priuatum bonum tenere sine boni operis exercitio. Et sic patet quomodo his septem deordinationibus mortalis culpæ, deformantur omnes spirituales vires rationalis animæ. Secundo carnalis depressio spirituales sensus animæ impedit: ideo in libro Sapientiæ dicitur, *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Et propter hoc, (sicut scriptum est in libro de spiritu & anima) *cum exterior sensus carnis bono suo vtitur, interior sensus quasi obdormit*: Et (vt ait Gregorius 23. moralium) *vnde exterius auditus aperitur, inde interius obsurdescit.*

Tertio

Tertio temporalis perturbatio impedimentum est sensuum spiritualium per curam & solicitudinem rerum exteriorum: quia, (sicut Hugo dicit lib. 3. de arca Noæ) mentes, *quas curæ carnales* exagitant, non comprӕhendunt sapientiam sapidam; sed *qui minoratur actu*, (id est, qui minus in exterioribus & temporalibus perturbationibus occupatur) ipse inuenit eam. Nam, (sicut ait Gregorius 30. moralium) dum exterior euagatio sensuum clauditur, interior sensus aperitur.

13. *De sensuum spiritualium remedijs & iuuamentis*. De remediis verò contra prædicta impedimenta, quasi de medicamentis contra morbos spirituales animæ, aliquid dicendum est. Hæc ergo tria præcipua, secundum tres actus hierarchicos, quos ponit Dionysius, qui sunt, purgari, illuminari, & perfici. Vnde secundum hæc reformantur & reparantur spirituales sensus ad contemplationem æternorum, iuxta quod dicit Apostolus, *Reformamini in nouitate sensus vestri*, id est, contemplando experimentaliter sentiatis, quæ sit voluntas Dei. Hoc itaque fit in nobis triplici via, scilicet, purgatiua, illuminatiua, & perfectiua. *Purgatiua* tendit ad nostræ culpabilis vanitatis mundificatiuam reformationem; *illuminatiua*, ad ęternæ veritatis intellectiuam speculationem; *perfectiua* ad diuinæ charitatis affectiuam vnionem. Sed quia à multis multa dicta sunt & scripta, hæc superficialiter tetigisse sufficiat. Hoc vnum tamen hic scire expedit, quod in hac triplici via vtiliter incipere, proficere, & perfici non valemus, nisi illo duce, & eius gratia diri-

dirigente,qui dicit,*Ego sum via,veritas, & vita;* via dirigens ad purgationem, veritas lucens ad illuminationem, vita consummans ad perfectionem. Et hoc ideo, quia, (vt docet Bernardus in libro de amore Dei, super eo verbo, *Aperuit eis sensum vt intelligerent scripturas*) *hæc apertio interioris sensus, qua est notitia experientia intelligentis & sentientis bonitatem & virtutem Dei, fit eius potenti bonitate, & efficaci virtute in filijs gratia;* & est opus gratiæ operantis, qua efficitur, vt lętitia salutaris accepta anima, sapientiæ spiritu principali confirmata, læta decantet ac dicat, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Quod nobis præstare dignetur ipsa Dei sapientia, quæ est benedicta in sæcula sæculorum. Amen.

PETRI DE ALLIACO CARDINALIS, CAMERACENSIS EPISCOPI, DE QVATVOR GRADIBVS SCALÆ ſpiritualis, ex dictis Beati Bernardi opuſculum.

1. QVATVOR ſunt ſpirituales gradus animæ, *lectio, meditatio, oratio, & contemplatio*. Hi gradus, ſicut nominibus & numero ſunt diuiſi, ſic ordine & merito ſunt diſtincti. Eſt autem *Lectio*, ſedula ſcripturarum cum animi attentione inſpectio. *Meditatio*, eſt ſtudioſa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu rationis propriæ inueſtigans. *Oratio*, eſt deuota cordis in Deum intentio, pro malis remouendis, & pro bonis adipiſcendis. *Contemplatio*, eſt mentis in Deum ſuſpenſæ quædam ſuper ſe eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia deguſtans.

2. Aſsignatis quatuor graduum diſtinctionibus, reſtat vt eorum circa nos officia videamus.

mus. Beatæ ergo vitæ dulcedinem *lectio* inquirit; *meditatio* inuenit; *oratio* postulat; *contemplatio* degustat. *Lectio*, quasi solidum cibum ori apponit; *meditatio* masticat, & frangit; *oratio* saporem acquirit; *contemplatio*, est ipsa dulcedo quæ iucundat & reficit. *Lectio*, in cortice; *meditatio*, in adipe; *oratio*, in desiderij postulatione; *contemplatio*, in adeptæ dulcedinis delectatione. Quod vt expresſius videri posſit, vnum de multis ſupponamus exemplum. In *lectione* audio, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Ecce breue verbum, sed ſuaui & multiplici ſenſu refertum: quod postquam anima diligenter inſpexerit, dicit intra ſe; redibo ad cor meum, & tentabo, ſi forte intelligere & inuenire potero munditiam hanc: pretioſa enim & deſiderabilis eſt res iſta, cuius poſſeſſores beati dicuntur, cui viſio Dei, quæ eſt vita æterna, promittitur, quæ tot Sacræ Scripturæ teſtimoniis collaudatur. Hoc ego ſibi plenius explicare deſiderans, excitat rationem ad inquirendum, quid ſit, & quomodo haberi poſsit hęc adeo pretioſa munditia. Accedens ergo ſedula meditatio interiora penetrat, ſingula rimatur; attente conſiderat, quod non dixit, beati mundo corpore, ſed mundo corde; quia non ſufficit habere manus mundas & innoxias à malo opere, niſi à malis cogitationibus mundemur in mente, dicente Propheta, *Quis aſcendet in montem Domini? Innocens manibus & mundo corde.* Item conſiderat, quantùm hanc mundiciam optat idem Propheta, ſic orans, *Cor mundum crea in me Deus*. Et poſtquam hęc, & multa huiuſmodi de cordis munditia pertractauit: incipit

pit cogitare de eius præmio, quàm gloriosum & delectabile esset, videre faciem desideratam, Domini! cogitat, quod in hac visione erit satietas illa, de qua dicit Propheta, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* His anima facibus inflammata, his incitata desideriis, alabastro fracto, suauitatem vnguenti prçsentire incipit, nondum gustu, sed quasi narium odoratu: & ex hoc colligit, quam suaue esset huius munditiæ sentire experiētiam, cuius meditationem adeo inuenit esse iucundam. Sed quid faciet? Habendi desiderio æstuat, & non inuenit apud se quomodo habere posſit: & quanto plus inquirit, tanto plus sitit; dum apponit meditationem, apponit dolorem, quia non sentit dulcedinem, quam in cordis munditia meditatio esse monstrat, sed non præstat. Non enim est legentis aut meditantis hanc sentire, nisi datum fuerit desuper: hoc à solo Deo est, qui sapientiæ saporem dat, & sapidam animæ facit scientiam. Sermo siquidem datur cunctis, talis sapientia paucis. Videns ergo anima, quod ad desideratam experientiæ dulcedinem per se non posſit attingere, & quanto magis ad cor altum ascendit, tanto magis exaltatur Deus: humiliat se, & ad *orationem* confugit, dicens; Domine, qui non videris nisi à mundis cordibus, inuestigaui legendo & meditando, quæ sit, & quomodo haberi posſit vera cordis munditia, vt ea mediante vel ex modica parte posſim te cognoscere; Quærebam vultum tuum Domine, Domine vultum tuum quærebam. Diu meditatus sum in corde meo, & in meditatione mea exarsit ignis & desiderium ampliùs cognoscendi te.

Dum

Dum panem Sacræ Scripturæ mihi frangis, in fractione panis magis cognitus es; & quanto plus te cognosco, tanto plus te cognoscere desidero, non iam in cortice literæ, sed in sensu experientiæ. Nec hoc peto Domine propter merita mea, sed pro tua misericordia. Fateor enim quod indignus sum peccator: sed & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Da mihi ergo Domine arrham hæreditatis futuræ, saltem guttam cælestis pluuiæ, quæ refrigeret sitim meam, quia amore ardeo. His anima & huiusmodi ignitis eloquiis suum inflammat desiderium, sic suum accendit affectum, sic sponsa suum aduocat sponsum. Dominus autem, cuius oculi super iustos & aures eius ad preces eorum, non expectat, donec sermonem finierit, sed medium orationis cursum interrumpens, festinus se ingerit, & animæ desiderio velociter occurrit, & cælestis rore dulcedinis circumfusus, vnguentis optimis delibutus, animam fatigatam recreat, esurientem reficit, aridam impinguat, facit eam terrenorum obliuisci, & absorptis ab ea carnalibus motibus, superna contemplatione totam in Deum conuerti.

3. Sed, ô Domine, quomodo comperiemus, quando hoc facis? & quod signum aduentus tui? Nunquid huiusmodi consolationis & lætitiæ tęstes sunt suspiria & lachrymæ? Si quidem ita est, noua est antiphrasis ista, & inusitata significatio. Quæ enim conuentio consolationis ad suspiria, lętitiæ ad lachrymas? Si tamen istæ dicendæ sunt lachrymæ, vt non potius toris interioris hominis desuper infusi supereffluens abun-

abundantia, ad interioris ablutionis indicium, & exterioris hominis purgamentum. O Domine Iesu, si adeo dulces sunt illæ lachrymæ, quæ ex memoria & desiderio tui excitantur: quàm dulce erit gaudium, quod ex manifesta tui visitatione capietur! Si adeò dulce est flere pro te: quàm dulce erit gaudere de te! Licet autem sponsus sic adueniens, elapsus quandoque subtrahit se quantùm ad prædictam visitationem, quantum ad contemplationis dulcedinem: manet tamen præsens quantùm ad gubernationem, quantum ad gratiæ vnionem. Ideo non desperes, ideo, ô sponsa, ne existimes te contemni, si paulisper tibi subtrahit sponsus faciem suam. Omnia ista tibi cooperantur in bonum: tibi venit ad consolationem, tibi recedit ad cautelam, ne magnitudo reuelationis extollat te; ne si semper sit apud te, incipias sodales contemnere; ne hanc continuam visitationem, non iam gratiæ tribuas, sed naturæ.

4. Recedit ergo, ne forte nimis asiduus contemnatur: &, vt absens magis desideretur, desideratus auidiùs quæratur, diu quæsitus tandem gratiùs inueniatur. Insuper, ne exilium reputemus pro patria, arrham pro pretij summa, venit sponsus vicissim, & recedit paulisper: permittit nos gustare quam suauis est, & antequam plenè sentiatur, se subtrahit; atque ita, quasi alis expansis super nos volitans, prouocat nos ad volandum. Ac si diceret: Ecce, parum gustastis quam suauis sum & dulcis; sed si vultis plenè satiari hac dulcedine, currite post me in odorem vnguentorum meorum. Sed caue tibi, ô sponsa, quando se absentat à te sponsus,

ſponſus, non longe abit: etſi non vides eum, ipſe tamen videt te; zelotypus eſt; ſi forte alium amatorem receperis, id eſt, ſi aliis magis placere ſtudueris, ſtatim diſcedet à te. Delicatus eſt, nobilis, diues, & ſpecioſus: ideo non niſi ſpecioſam dignatur habere ſponſam; ſi viderit in te maculam, ſtatim auertet oculos ſuos à te. Eſto ergo caſta, verecunda, & humilis, vt ſic ab eo frequenter viſitari merearis.

5. Vt autem quæ fuſius dicta ſunt, ſimul meliùs videantur: prædictorum ſummam recapitulando colligamus. Ex premiſsis apparet, quomodo prædicti gradus ſibi inuicem cohæreant. *Lectio* enim, quaſi fundamentum, primo occurrit, &, datâ materiâ, mittit nos ad meditationem. *Meditatio* quicquid appetendum ſit diligentiùs inquirit, & quaſi effodiens theſaurum inuenit. *Oratio* ſe totis viribus ad Deum erigens, impetrat theſaurum deſiderabilem, & *contemplationis* ſuauitatem. Hæc autem aduenìens prædictarum trium laborem remunerat, dum cæleſtis rore dulcedinis animam ſitientem inebriat. *Lectio* ergo eſt ſecundum exterius exercitium; *meditatio*, ſecundum interiorem intellectum; *Oratio*, ſecundùm deſiderium; *Contemplatio*, ſuper omnem ſenſum. Primus gradus eſt incipientium, ſecundus proficientium, tertius deuotorum, quartus beatorum. Hi autem gradus ita concatenati ſunt, & vicaria ope ſic ſibi inuicem deſeruiunt; vt præcedentes ſine ſub ſequentibus nihil aut parum proſint: ſequentes autem ſine præcedentibus rarò aut nunquam haberi poſsint. Vnde poſſumus colligere, quod lectis ſine meditatione, eſt arida;

meditatio sine lectione, erronea; oratio, sine meditatione, tepida; meditatio sine oratione, infructuosa; Oratio sine deuotione non est contemplationis acquisitiua; Contemplationis adeptio sine oratione rara est, aut miraculosa. Deus enim, cuius potentiæ non est numerus, & cuius misericordia super omnia opera eius, quandoque de lapidibus suscitat filios Abrahæ, dum duros & nolentes acquiescere cogit vt velint; quandoque non vocatus se ingerit; quandoque non quæsitus se infundit: quod etsi aliquando legimus accidisse, vt in Paulo, & aliis quibusdam; non tamen ideo debemus & nos quasi Deum tentando talia præsumere, sed facere quod ad nos pertinet, vt per has quatuor ascensiones graduum ascendamus de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion. Beatus ille qui sic ascendit. Sed caueat, ne post contemplationem istam, qua eleuatus fuerat vsque ad cælum, inordinato casu corruat vsque ad abyssam; Ne post tantam Dei visionem, ad lasciuos mundi actus, & carnis illecebras conuertatur.

6. Quando vero mentis humanæ acies infirma beati luminis illustrationem diutius sustinere non poterit: ad aliquem trium graduum, per quos ascenderat, leniter & ordinate descendat; & alternatim, modo in vno, modo in alio, secundum motum liberi arbitrij, pro ratione loci & temporis, demoretur: tanto tamen, vt mihi videtur, Deo vicinior, quanto à primo gradu remotior: Sed heu fragilis & misera humana conditio! Ecce ductu rationis, & scripturarum testimoniis aperte videmus, bea-

tæ

tæ vitæ perfectionem in his quatuor gradibus contineri: sed quis est, qui hanc viuendi rationem teneat? Quis est hic & laudabimus eum? Velle multis adiacet, sed perficere paucis; vtinam de illis paucis essemus.

7. Sunt autem quatuor causæ, quæ nos à prædictis gradibus plærunque retrahunt: scilicet, ineuitabilis necessitas, honestæ actionis vtilitas, humana infirmitas, mundana vanitas. Prima excusabilis; secunda tolerabilis; tertia miserabilis; quinta culpabilis: illis enim, quos hæc causa à præposito retrahit, melius erat gratiam Dei non agnouisse, quam post agnitam retrocessisse. Sed ô Deus bone, suauis, mitis, dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis, quàm inhumanus est, quàm temerarius, qui te abiicit, quí tam humilem, tam mansuetum hospitem à corde suo repellit! qui prauas noxiasque cogitationes recipiens, illud secretum cubile Spiritus sancti, scilicet, secretum cordis sui, quod paulo ante gaudiis intendebat cælestibus, tam subito immundis cogitationibus, quasi porcis conculcandum tradit! Heu! heu! Adhuc calent in corde sponsi vestigia, & iam intromittuntur adultera desideria. Male conueniens est, aures, quæ modo audierant verba, quæ non licet homini loqui, tam cito inclinari ad fabulas, aut detractiones audiendas; Oculos, qui modo lachrymis baptizati erant, confestim conuerti ad videndas vanitates; Linguam, quæ modo dulce epithalamium sponsæ cantauerat, iterum conuerti ad turpiloquia. Absit hoc à nobis, Domine! sed si forte ex humana infirmitate ad talia relabimur, non ideo despe-

remus: sed ideo recurramus ad clementem medicum, & ipse, qui nō vult mortem peccatoris, iterum sanabit nos. Oremus ergo Dominum, vt impedimenta, quæ nos ab eius contemplatione retrahunt, in præsenti nobis mitiget, & in futuro penitus auferat: vt diuinæ contemplationis dulcedine, & torrente voluntatis indeficientis repleamur. Amen.

PETRI DE ALLIACO CARDINALIS, EPISCOPI CAMERACENSIS

QVADRVPLICIS EXERCITII spiritualis epitome.

1. ANIMA deuota cupiens ad diuinam contemplationem spiritualiter exerceri, tria debet circa hanc exercitationem specialiter meditari: primo eius ortum effectiuum à quo deriuatur; secundo, eius obiectum motiuum, circa quod versatur; tertio eius fructum refectiuum ad quem ordinatur.

Primo, mentalis exercitatio, si salutifera esse debet, ab illo effectiuè ortum habet, de quo dicitur,

citur, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Ideo merito in eius exercitationis initio ille inuocandus est, à quo omne bonum originaliter progreditur, per quem omne bonum exemplariter producitur, ad quem omne bonum finaliter reducitur: & hæc est ineffabilis Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quapropter anima deuota, diuinæ contemplationis amore succensa, flectere debet genua cordis & corporis, ante thronum beatissimæ Trinitatis, per orationem humilem, tria sapienter, & perseueranter postulando: primo, Dei Patris confortantem potentiam, ne labore depressa succumbat; secundo, Dei Filij regulantem sapientiam, ne errore seducta deuiet; tertio, Dei Spiritus sancti consolantem clementiam, ne tædio deuicta deficiat.

Secundo, post humilem inuocationem, & flebilem implorationem diuinæ, potentiæ, atque clementiæ, anima deuota conuerti debet ad huius piæ & salutiferæ mentalis exercitationis obiectum, quod est quadruplex, secundùm quod mens deuota circa quatuor spiritualiter exercetur: primò circa interiora; secundo, circa exteriora; tertio circa inferiora; quarto, circa superiora; de quibus ordine congruo breuiter prosequemur.

Tertio, si hæc mentalis exercitatio digne & laudabiliter exequutioni detur, eius fructus est fœlicitas æterna: nam omnis exercitatio, quæ ad hunc fructum finaliter non ordinatur, sterilis, & infructuosa merito reputatur; quùm in illo fructu solo sufficientissima & plenissima ha-

habeatur mentis refectio: quando videlicet Deus fiet voluntati multitudo pacis, rationi plenitudo lucis, memoriæ continuatio æternitatis. His ergo præsuppositis, præmissa quatuor exercitia ad prædictum fœlicitatis fructum ordinata, particulariter exequamur.

---

§. I. De primo exercitio circa interiora.

1. PRimum exercitium tuum, ô anima deuota, esse debet circa *interiora*, hoc est, circa te, & ea, quæ in te sunt. Multi namque valde multa sciunt, sed seipsos nesciunt: Deum quærentes per exteriora, sua deserentes interiora. Sed à te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris ad aliena, teipsâ neglecta: ideo ab exterioribus ad interiora redeas; ab inferioribus ad superiora conscendas, vt cognoscere posis, vnde sis, quid sis; vnde venis, quo vadis; vt sic per cognitionem tui ascendas ad cognitionem Dei. Redde ergo te tibi: &, si non semper, saltem interdum, per contemplationis radium ad tuæ conditionis considerationem te conuerte. Circa quam tria præcipuè diligenter considera: *primo*, quam generose & mirabiliter à summo artifice firmata sis per naturam; *secundo*, quam vitiose & miserabiliter à tua voluntate deformata sis, per culpam; *tertio*, quam amorose & misericorditer à diuina voluntate reformata sis per gratiam.

2. Circa *primum*, recognosce, ô anima mea, quam mira & inæstimabilis est dignitas tua: quia

quia facta es non solum vestigium Trinitatis, sed etiam imago, per memoriam, qua Deum recolis; per intelligentiam, qua Deum conspicis; per voluntatem, qua Deum concupiscis. Expergiscere igitur, & lauda anima mea Dominum, & in eo exulta & gaude, quia insignita es Dei imagine, decorata similitudine, particeps ratione, capax beatitudinis æternæ, aliisque pluribus prærogatiuis naturalibus mirabiliter adornata.

3. Circa *secundum*, cum verecundia & rubore considera, quod prædictam dignitatem tuam modicum aduertisti: sed, (heu infœlix & misera!) Dei tui imaginem deformasti, ipsumque pro prædictis beneficiis suis non digne glorificasti, benedixisti, aut adorasti: verùm irreuerenter ad Deum, vanè & negligenter ad teipsum, iniustè & nequiter ad proximum, tempus vitę tuę, non solum inutiliter, sed etiam damnabiliter consumpsisti. Erubesce igitur, & pertimesce: quia tanto maior & grauior est culpa tua, quanto nobilior & dignior est natura; Tanto maior est offensa, quanto maior est illius, qui offenditur, excellentia; Tanto peior est iniuria, quanto maiora fuerint illius, cui iniuriam irrogasti, beneficia.

4. Circa *tertium*, diligenter & reuerenter attende, quàm mirâ Dei potentiâ, quàm altâ sapientiâ, quam profundâ clementiâ sis per gratiam & gratuitam misericordiam reformata. Considera qualiter Christus, per beneficium redemptionis te à peccato originali liberauit, per quod eras bonis naturalibus & spiritualibus spoliata, potestati principis tenebrarum

subiugata, à cælesti patria exulata; Ipse vero mori voluit, vt tu viueres; seruire, vt tu regnares; exulare, vt tu repatriares. Expergiscere igitur, & vide, qualiter pro te Deus illuditur, vt honoreris; innocens flagellatur, vt consoleris; Iustus crucifigitur, vt libereris; Agnus immaculatus occiditur, vt epuleris; Sanguis & aqua de latere lanceati emittitur, vt poteris.

5. Contemplare etiam adhuc, qualiter per gratiam diuinæ miserationis sis, non solum à peccato originali, sed etiam actuali misericorditer liberata. Aduerte quanto tempore diuina gratia te in peccatis tuis tolerauit; quanta longanimitate ad pœnitentiam te vocando expectauit: quot & quantos ante tuam conuersionem pro peccatis suis condemnauit; qualiter sæpe, quando errabas, reduxit te: quando cecidisti, erexit te; quando stetisti, tenuit te; quando iuisti, deduxit te; quando ad eum venisti, suscepit te; Pro tantis vero beneficiis nihil est, quod retribuere possis, nisi vt vere eum diligas, qui tam gratuitò dilexit te. Dilige ergo eum dulciter, prudenter, & fortiter: dulciter, vt amore illius, omnis amor extraneus tibi vilescat; prudenter, vt amor tuus in eo solo continuè inardescat; fortiter, vt tua fragilitas omnia dura & aspera pro eo gaudenter sustineat.

---

§. II. De secundo exercitio circa exteriora.

1. SEcundum exercitium tuum debet esse circa *exteriora*, vt contempleris ea, quæ extra,

extra, & iuxta te sunt: hoc est, mundum istum sensibilem, vt ipsum, & omnia, quæ in eo sunt, despicias; & ex hoc in amore dilecti tui amplius inardescat. Et circa hoc, tria sunt tibi præcipua meditatione reuoluenda: primò, quam instabilis sit mundana opulentia; secundo, quàm mutabilis sit mundana excellentia; tertio, quàm miserabilis sit mundana gloria.

2. Ecce mundi huius amatores nundinas huius sæculi perambulant propter tria, alij diuitias, alij honores, alij gloriam quærentes. Sed quid dicam de diuitiis, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur; cum dolore amittuntur? Quid de honore referam? nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine periculo quis esse poterit? Quid de gloria? Nihil aliud est, nisi quædam vana aurium inflatio, quæ sæpius detractionis & inuidiæ præbet semina. Nihil itaque sæculo, rebusque sæculi fugacius, quas cum tenere cupimus, amittimus. Nihil autem verè bonum est, nisi quod perpetuum est.

3. Tu itaque relinque hæc omnia, si rectè sapis; desine sequi ea, quæ consequi miserrimum est, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Relinque hæc omnia, propter eum, qui est super omnia: cæteræ creaturæ tibi vilescant, vt creator in tuo corde dulcescat: quia cor mundum, non cum sæculo immundo, sed cum Deo, & in Deo est iucundum. Erubesce itaque consolari in cœno, quæ es de cælo: erubesce in minimis delectari, quæ non potes nisi in summis satiari.

§. III. De tertio exercitio, circa inferiora.

1. TErtium exercitium tuæ considerationis esse debet circa *inferiora:* vt prius infra & sub te salubriter descendas, & discas tuum sponsum timere, antequam incipias suum secretum contemplationis cubiculum introire. Tria vero sunt inferiora, ad quæ consideranda debes principaliter intendere: *primo*, ad mortis ineuitabilem necessitatem, vt ingemiscas; *secundo* ad diuini iudicij infallibilem veritatem, vt contremiscas; *tertio*, ad pœnarum infernalium intolerabilem asperitatem, vt expauescas.

2. Considera ergo *primo* feruenter, & frequenter reuolue, quod *mors* non potest declinari; hora mortis non potest certificari; tempus à Deo præfinitum non potest immutari; nostrum viuere, nihil est aliud, quàm ad mortem transire. O igitur vita præsens, quam multos decipis! quæ dum fugis, nihil es; dum exaltaris, fumus es; dum videris, vmbra es: quam cum dolore intrauimus, cum labore transimus, cum timore exituri sumus. In qua triplici incommodo laboramus: quia faciles sumus ad seducendum; debiles ad resistendum; fragiles ad operandum. Ideo in huius vitæ tempore inutiliter viuitur: nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate viuatur.

3. Considera *secundo*, & cum timore & tremore diligenter aduerte, quid erit de te in die nouissimo, quid fiat de te in extremo iudicio: quando

quando hinc erunt peccata accuſantia; inde terrens iuſtitia; ſubtus, horridum chaos inferni; ſupra, iudex iratus iuſti iudicij; intus conſcientia vrens; foris, mundus ardens. Heu, heu! ſi tunc vix iuſtus ſaluabitur: peccator & impius vbi apparebit? Siue ergo dormias, ſiue vigiles, ſemper in auribus tuis illa horrenda tuba reſonet, *ſurgite mortui, venite ad iudicium.* Nunquam excidat à memoria tua, *Ite maledicti in ignem æternum*; &, *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* O duæ voces, quarum vnâ nihil horribilius, alterâ nihil iocundius!

4. Conſidera *tertio*, & horrens, reproborum tormenta; & quàm ſint varia, quàm aſpera, quàm intolerabilia, prudenter attende. Ibi ignis ardens, ibi frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis. Ibi ardor flammarum, dolor vermium, fletus & ſtridor dentium, lachrymæ oculorum. Ibi mors optabitur, ſed non dabitur: quia quibus in hoc ſæculo vita offertur, & nolunt accipere; in inferno quærent mortem, & non poterunt inuenire. Ideo ad diſtricti iudicij iuſtitiam pertinet, vt nunquam careant ſupplicio: quorum meus in hac vita nunquam voluit carere peccato. Sed væ, væ, & iterum væ illis! quia cum terribilis ſit gehenna, terribilior erit facies iudicis irata; ſed omnium terribiliſsima erit à facie beatiſsimæ Trinitatis elongatio externa. O igitur quantæ admirationis eſt, *ecce Sponſus venit*! Quantæ dulcedinis, *quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias?* Quantæ amaritudinis, *& clauſa eſt janua*!

§. IV. De quarto exercitio circa superiora.

1. QVartum tuæ speculationis exercitium esse debet ad superiora: vt mens tua per præmissa non solum turbetur & terreatur aduersis; sed etiam alliciatur promissis, & prosperis consoletur. Sed vt ad superiora & cælestia conscendas, purga intellectum à vanis & inutilibus fantasiis, à rationibus curiosis, ab occupationibus extraneis. Purga etiam affectum à culpa, à culpæ sequela, à culpæ occasione vel causa. Erige itaque intellectum, dilata affectum, & dic Deo tuo: Fac me, precor Domine, degustare per affectionem, quod intelligo per rationem: Fac me sentire per amorem, quod sentio per cognitionem; Fac me exardescere amore & desiderio supernæ vitæ sanctorum: vbi actio non laboriosa, requies non desidiosa; vbi vita sine defectione, laus tua sine cessatione. Fac me nunc in spe, & tandem in re degustare illud gaudium, quod nec oculus in hac vita perfecte vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

2. Gaudeat igitur & exultet anima deuota, & mercedem laboris sui consideret: quæ reuera tàm multa est, quòd non posit numerari; tam magna, quod non posit mensurari; tàm pretiosa, quod non posit æstimari; tam copiosa, quod non posit terminari. Quæ licet posit quodammodo generaliter exprimi: vix tamen potest, nisi balbutiendo particulariter declarari,

rari, cum in eius consideratione mens pene deficiat præ admiratione. Quid ergo de gaudio illo dicturus sum, quod erit intus, & extra; subtus, & suprà; circum & circa? Vide igitur, & deuota mente pertracta, qualiter illi beati spiritus, qui præsentis vitæ miseriam euaserunt, quamuis interius ab æterni solis splendore nunquam radium suæ contemplationis auertant, tamen quandoque ad exteriora & inferiora se conuertunt, & in his gaudent ex triplici causa: primo, quia tam impios & crudeles hostes, videlicet, mundum, carnem, & diabolum, per diuinam potentiam superarunt. Secundo, quia omnes defectus & peccata, vel per diuinam Sapientiam vitauerunt, vel dudum commissa correxerunt; Tertio, quia tam lamentabiles, & interminabiles cruciatus, per diuinam clementiam euitarunt.

3. Sed parua sunt hæc & quasi nulla, comparatione illorum gaudiorum, quæ beatæ animæ percipiunt ex his, quæ iuxta se sunt. Attende ergo locum speciosum, videlicet, cæleste palatium, quem tibi diuina sapientia ædificauit; attende victum deliciosum, videlicet cæleste deliciarum omnium conuiuium, & bonorum omnium thesaurum, quem tibi æterna potentia congregauit. Attende collegium gloriosum, videlicet, congregationem sanctorum Angelorum, & omnium beatorum spirituum, cum quo de diuina clementia mens tua æternaliter exultabit. O gloriosa ciuitas Dei, vbi vita sine morte, iuuentus sine senectute, lux sine tenebris, pax imperturbabilis; vbi Angeli iubilantes, Virgines chorizantes, Apostoli psallentes, Martyres

tyres tripudiantes, confessores laudantes, Patriarchæ & Prophetæ iucundantes; omnes sancti pariter Deum venerantes; vbi tam perfecta charitas omnium, vt vnusquisque tantum gaudeat de alterius bono, quantùm gaudet de proprio.

4. Audisti gaudium futurum de his, quæ sunt *extrà*, & quæ sunt *iuxta* te: audi nunc de his, quæ sunt *intra* te. Homo enim remunerabitur in corpore & mente, & istorum æterna & inseparabili vnione. Sicut vero corpus nostrum ex quatuor elementis componitur: sic ibi quatuor dotibus ornatur; Terra tunc habebit æternam immortalitatem, Aqua omnimodam impassibilitatem, Aer maximam agilitatem, Ignis splendidissimam claritatem. Et sicut ibi animus perfectissimè obediet creatori: sic corpus suo obtemperabit motori; Ibi habebit vigorem impassibilitatis, splendorem claritatis, aptitudinem subtilitatis, promptitudinem agilitatis. Ibi oculus videbit decorem speciosissimum, gustus sentiet saporem dulcissimum, olfactus odorabit odorem suauissimum, tactus amplexabitur obiectum deliciosissimum, auditus immutabitur personum iocundissimum; Ibi dum mens in exaltationem rapitur, lingua in canticum laudis eleuatur. O quantum gaudebit animus, quum resumpserit tale corpus! non quale cum ingenti dolore sustinuisti, & cum magno certamine deuicisti, vt merito diceres, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed tale, quod tibi erit in contemplationis solatium, & fœlicitatis augmentum.

5. Sed quia illud solum verum est gaudium, quod

quod non de creatura, sed de creatore concipitur, cui omnis comparata aliunde iucunditas, mœror est; & omnis suauitas, dolor est; postremo, omne quod delectat, molestum est: ideo per præmissa omnia ad tuum auctorem diligendum excitaris, tanquam per gaudium accidentale; sed finaliter quietaris in ipso per gaudium essentiale, quod licet ineffabile sit, ex tribus tamen principaliter in beatis spiritibus creditur prouenire: *Primò* gaudent delectabiliter in perfecta & clarissima diuinæ veritatis contemplatione; *Secundo* gaudent dulciter in melliflua & suauissima diuinæ bonitatis degustatione; *Tertio*, gaudent sempiternaliter in tranquilla & sacratissima diuinæ maiestatis comprehensione. Hæc autem tria tribus animæ viribus respondent: Primo, per primæ veritatis contemplationem vis rationalis illuminatur; Secundo, per summæ bonitatis dilectionem vis concupiscibilis satiatur; Tertio per æternæ maiestatis compræhensionem vis irascibilis quietatur. Tunc ergo implebit Deus in bonis desiderium tuum: cum à ratione omnis error, à voluntate omnis dolor, à memoria omnis timor recesserit; & successerit illa, quam speramus mira serenitas, plena suauitas, & æterna securitas. O igitur quàm dignè dictum est de te, Deus meus, *melior est dies vna in atrijs tuis, super millia*: imò, si non liceret in te delectari, nisi sola vnius diei hora, aut breuissima horæ mensura, propter hoc solum innumerabiles huius vitæ anni transitorij deliciis temporalibus pleni, essent merito penitus contemnendi. Oro itaque, Domine Deus meus, vt cognoscam te, diligam

te,

te, & æternaliter gaudeam de te; & ſi hic non poſsim perfectè, ſaltem creſcat in ſpe gaudium meum, vt in te & de te finaliter ſit plenum.

§. V. Epilogus.

HÆc præmiſſa quatuor mentis exercitia, ſicut deriuantur à Chriſti doctrina, ſic figurantur in cruce dominica: vt in eis intelligatur eſſe crux quædam ſalutifera, quatuor finibus terminata, in qua anima deuota cum Chriſto ſponſo ſuo, debet iugiter meditando pendere. Cuius primum brachium tendit ad regionem orientalem, ſecundum ad occidentalem, tertium ad aquilonarem, quartum ad meridionalem: in quibus non corporaliter, ſed ſpiritualiter peregrinando, debet anima ſponſum ſuum quærere, & contemplando inueſtigare, vt dicere poſsit cum ſponſa, *quæſiui quem diligit anima mea*. Licet autem ſancti Doctores de his plura ſcripſerint, ex quorum dictis egregius doctor Bonauentura quendam dialogum vtilem compilauit: Hæc tamen pauca ex pluribus compendiosè ſub epilogo collecta ſunt, ad eruditionem & exercitationem ſimplicium. A quibus pro qualicunque labore meo, orationum ſuarum poſtulo ſuffragia: vt ſic tandem per hæc exercitia ſpiritualia, ad illius perducamur gaudia ſempiterna, qui eſt Deus benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

PETRI

PETRI DE ALLIACO S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI CAMERACENSIS,

TRACTATVS DE ORATIONE Dominica.

SIc ergo orabitis. Math. 6. Hic docet Christus breuem & debitum modum orandi, quo vti debent Catholici. Et quia (sicut dicit glossa) nulla oratio magis spiritualis est, quàm illa, quæ ex ore Filij, qui est veritas, processit: ideo de oratione tractaturi, primo tractabimus de oratione Dominica in speciali; secundo de oratione aliquas quæstiones soluemus in generali.

Part. I. Dominicæ orationis explicatio literalis.

QVantum ergo ad primum, hæc oratio Dominica diuiditur in exordium, tractatum, & conclusionem. In exordio, beneuolentia cap-

captatur, *Pater noster* &c. In tractatu petitiones ordinantur, *Sanctificetur nomen tuum*. In conclusione petitionum confirmatio optatur, *Amen*.

---

§. I. Circa Exordium.

1. CIrca exordium, primo notandum est, quod in eo Dei beneuolentia captatur tripliciter: primo ex parte rogati, quia *Pater*, cuius Filij sumus per fidem; Ioan. 1. Secundo ex parte rogantium, quia *Noster*, nobis datus per charitatem, Ioan. 3. Sed etiam tertio ex parte accessorum, quia dicitur, *Qui es in cælis*, id est, in sanctis, quorum auxilio erigimur per spem. Dicamus ergo, *Pater*, in quem credimus, *Noster*, quem diligimus, *Qui es in cælis*, de quibus speramus.

2. Secundò notandum est, quod Dei beneuolentiam captamus, non vt ipsum flectamus, cum eius voluntas sit immutabilis; nec vt eius beneuolentiam præueniamus, cum ipse sua beneuolentia nos præueniat, quoniam ipse *prior dilexit nos*, vt dicitur 1. Ioan. 4. sed vt in nobis ipsis de eius beneuolentia certam fiduciam excitemus; quod fit præcipuè ex tribus, quæ in hoc exordio notantur. *Primo*, considerando eius charitatem, qua bonum nostrum vult, quia *Pater*; *Secundo* eius largitatem, qua seipsum nobis dat, quia *Noster*; *Tertio* eius maiestatem, qua nos iuuare potest, quod notamus, cum dicimus, *qui es in cælis*.

3. Tertio notandum est, quod, prout trahitur

hitur ex sanctorum glossis; Deus dicitur *Pater noster* multis de causis. *Primo*, vt ostendatur, quod ei non timore seruili, sed amore filiali seruire debemus. *Secundo*, vt, cum de filiali adoptione cogitamus, ei tanquam patri, filialem affectum rependamus. *Tertio*, vt ad amorem fraternitatis admoneamur; nam cum *Pater noster* dicitur, omnium cõmunis esse docetur. Ideo nemo dicat, Pater meus, quia hoc proprie Christo conuenit, qui filius est per naturam: alij autem sunt filij eius solum per adoptionis gratiam. Vnde ipse dicit *Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum*: *meum*, scilicet, specialiter per naturam; *vestrum* vero, generaliter per gratiam. *Quarto* dicitur, *Pater noster*, vt omnibus occasio superbiæ tollatur: quia non vere possunt dicere *Pater noster*, nisi qui fratres sunt. Nullus ergo nobilis aut diues circa minores superbiat, quum eos tanquam fratres recognoscat. *Quinto* in hoc occasio mundiciæ & innocentiæ datur: quia cauendum est vnicuique à peccati sordibus, ne tanto patre reddatur indignus. *Sexto*, in hoc populi Christiani, supra populum Iudaicum excellentia notetur; quia antiquis, vt seruis, dicitur *Dominus*; nobis autem, tanquam filiis, dicitur *Pater*. *Septimo*, in hoc nobis impetrandi quod petimus, grandis datur fiducia: quid enim negabit Filiis, qui iam dedit, vt sit Pater?

4. Quarto, notandum est, quod hæc oratio, in suo exordio, & in omni sua parte breuis est: & hoc fit, secundum sanctos, propter plures rationes. *Primo*, vt fiducia cito impetrandi tribuatur, quia fiduciam dat cito annuendi, qui

vult

vult breuiter rogari. *Secundo*, vt discamus res, de quibus orandum esse instruimur: non enim docet hæc oratio verba, sed res: quia non his solis verbis oratur, sed etiam aliis, non tamen in alio, sed in eodem sensu: nam quæcunque à Deo oranda sunt, in his verbis breuiter continenter. *Tertio*, vt ea, pro quibus orandum est, paucis verbis facilius memoriæ commendentur. *Quarto* vt prudentia ingeniosorum, in paucitate verborum, de profunditate mysteriorum, & rerum multiplicitate miretur: Vnde super illo verbo Isaiæ, *Verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram*; has duas rationes tetigit glossa, dicens: *quia hunc sermonem ita abbreuiauit Dominus, vt in paucis verbis memoriter capi possit; & ita rebus impleuit, vt nemo sine gratia Spiritus sancti percipere possit*. *Quinto*, vt hæc oratio (quæ propter sui breuitatem faciliter addiscitur, & memoriter retinetur,) etiam frequentius dicatur, & sine fastidio sæpius repetatur. *Sexto*, vt de eius ignorantia nullus excusetur: quia quod tam faciliter scitur, non nisi culpabiliter ignoratur. *Septimo*, vt in mentis deuotione, & non in verborum multiplicatione, virtus orationis ostendatur; Vnde Matthei 6. dicitur, *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici* (id est, gentiles) *faciunt: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur*. Et hæc de exordio huius orationis sufficiant.

§. II. De

§. II. De petitionibus in genere.

1. S*Anctificetur nomen tuum.* Post exordium sequitur tractatus, in quo septem petitiones ordinantur: & primò circa eas aliqua sunt præmittenda generaliter; secundo singulæ earum sunt exponendæ. *Primo* ergo notandum est, quod hæc oratio Dominica perfectissima est, quia (sicut dicit Augustinus) si recte & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quàm quod in hac oratione positum est. Quia enim oratio nostra est quodammodo desiderij nostri expressiua: illa solum recte orando petimus, quæ rectè desiderare valemus. In hac autem oratione, non solum ponuntur omnium, quæ recte desiderare possumus: sed etiam eodem ordine petuntur, quo desideranda sunt; & sic hæc oratio non solum postulare instituit, sed etiam nostrum affectum ad ordinatè desiderandum informat.

2. Pro cuius declaratione, *secundo* notandum est, quod in desiderio ordinato, primo cadit finis, deinde ordinata in finem: Finis autem noster est Deus, in quem noster affectus tendit dupliciter; vno modo, prout volumus gloriam Dei: alio modo, prout volumus frui gloria eius. Primum pertinet ad dilectionem, qua Deum in seipso diligimus: secundum vero ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Ad primum, pertinet *prima petitio*, qua dicitur, *sanctificetur nomen tuum*, per quam petimus gloriam Dei. Ad secundum pertinet *secunda petitio*,

petitio, Adueniat *regnum tuum*, per quam petimus ad gloriam eius peruenire. Et sic istæ duæ petitiones ordinantur ad nostrum finem vltimum, scilicet, beatitudinem; prima ad beatitudinem obiectiuam, secunda ad beatitudinem formalem.

3. Ad finem autem prædictum ordinat nos aliquod, seu dirigit, dupliciter: vno modo per se, alio modo per accidens. Per se quidem bonum, quod est vtile in finem; Est autem aliquid vtile in finem beatitudinis dupliciter: vno modo directe & principaliter, scilicet meritum, quo beatitudinem meremur, Deo obediendo: & quantum ad hoc pertinet *tertia petitio, fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Alio modo instrumentaliter, & quasi coadiuuando nos ad meritum, & ad hoc pertinet *quarta petitio*, qua dicitur, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Siue hoc intelligatur de pane Sacramentali, siue de pane corporali. Per accidens autem ordinamur in beatitudinem per remotionem prohibentis: tria autem sunt, quæ nos à beatitudine prohibent; Primo quidem peccatum, quod directe excludit à regno. & quantum ad hoc dicitur, in *quinta petitione, dimitte nobis debita nostra*, id est peccata. Secundo prohibet nos & impedit tentatio quæ retrahit ab obedientia diuinæ voluntatis, & inclinat ad peccatum: ideo petitur in *sexta petitione, Et ne nos inducas in tentationem*. Tertio, pœnalitas præsens, scilicet malum pœnæ, quod impedit sufficientiam vitæ, de qua sequitur in *petitione septima, Sed libera nos à malo.*

4. Tertio notandum est, quod (sicut patet Lucæ

Lucæ 10. & ſicut dicit Auguſtinus in Enchiridio) Lucas in oratione Dominica, non petitiones ſeptem, ſed quinque complexus eſt. Vt enim oſtendat tertiam petitionem duarum pręmiſſarum eſſe quodammodo repetitionem, prætermittendo eam, hoc facit intelligi: quia ſcilicet ad hoc præcipuè Dei voluntas tendit, vt eius ſanctitatem cognoſcamus, & cum ipſo regnemus. Quod etiam Mathæus vltimò poſuit, *libera nos à malo*: Lucas non poſuit; vt ſciat vnuſquiſque in eo ſe liberari à malo, quod non inducitur in tentationem. Ideò nec Lucas diminutè, nec Mathæus ſuperfluè petitiones poſuit: ſed quod vnus intellexit, alius expreſsius poſuiſſe, vtile reputauit.

5. Quarto notandum eſt, quod diſtinctio, ordo & ſufficientia harum petitionum breuiter ſic poteſt colligi. Nam iſtæ ſeptem petitiones omne appetibile & recte deſiderabile continent. Omne autem appetibile, duplex eſt, ſcilicet, collatio boni, & ablatio mali. Bonum autem quod petitur conferri, eſt triplex, bonum cæleſte, ſcilicet gloriæ; bonum ſpirituale, ſcilicet gratiæ; & bonum temporale, ſcilicet, naturæ. Primum bonum, ſcilicet, cæleſte, & beatificum, duplex eſt, obiectale, & formale. Malum autem quod auferri petitur, eſt etiam triplex, præteritum, præſens, futurum: ideo petitur, vt præteritum remittatur, præſens vitetur, futurum caueatur. Sic ergo quatuor prædictis bonis, correſpondent quatuor primæ petitiones orationis Dominicæ, tribus autem malis auferendis correſpondent tres petitiones vltimæ. Vnde licet prius ſit malum amoueri, quam bonum

num conferri: non tamen inconuenienter præmittuntur petitiones quæ pertinent ad consequendum bonum, petitionibus quæ pertinent ad remouendum malum. Ratio est: quia ordo petitionum non correspondet ordini exequutionis; sed, cum oratio sit interpres desiderij, correspondere debet ordini desiderij, siue intentionis, in quo prius est finis, quàm ea quæ sunt ad finem, & consequutio boni, quam remotio mali. Et hæc de petitionibus generaliter: Postea de singulis dicendum est, eas exponendo specialiter.

---

§. III. De prima petitione.

1. QVantum ad tres primas, sciendum est, quod in intellectu literali earundem (sicut dicit Aug. in lib. de ser. Domini in mõte) cum dicimus, ***Sanctificetur nomen tuum,*** non hoc petitur, quasi nomen Dei non semper sit sanctum: sed vt sanctum ab omnibus habeatur; & hoc pertinet ad Dei gloriam in omnibus propagandam. Quod autem dicitur, ***Adueniat regnum tuum,*** non ita dictum est, quasi Deus nunc non regnet; si enim Deus Rex non esset, aut regnum non haberet, quid est ergo, quod Psalmista ait, ***Rex omnis terræ Deus?*** Sed ideo illud dictum est, (vt ait Augustinus) vt nobis veniat, atque in eo regnemus; & sic ad illud regnum desiderium nostrum excitamus. Quod autem dicitur, ***Fiat voluntas tua,*** non ideo dicitur, quasi Dei voluntas beneplaciti aliquando non fiat aut non impleatur, quum scriptum sit,

omnis

omnis voluntas mea fiet, Isaiæ 46. sed de voluntate signi intelligitur, vt sit sensus, obediatur voluntati tuæ, id est præceptis tuis, sicut in cælo, & in terra; id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nec tamen intelligendum est, quod illud *sicut* sit nota quantitatis, sed qualitatis, scilicet similitudinis, & imitationem insinuet, non æqualitatem: & sic erit intellectus, quod sicut Angeli voluntatem Dei faciunt in cælo; ita homines eam faciant in terra; etsi non secundum quantitatem seu æqualitatem, tamen secundum similitudinem; id est, si non secundum eorum perfectionem, tamen secundum perfectionis imitationem. Vnde hæ tres petitiones perfectè complebuntur in vita futura: aliæ verò quatuor sunt pręsentis vitæ præsidia, vt docet Augustinus in Enchiridio.

2. Est igitur *prima* petitio, *Sanctificetur nomen tuum:* in qua petimus sanctificationem nominis Dei, id est, gloriam suam, vt scilicet in nobis sanctificetur, in nobis honoretur, in intellectu per veram cognitionem, in affectu per sanctam dilectionem, in memoria per firmam inhæsionem. Item, vt sanctificetur per beneuolentiam in corde, per reuerentiam in ore, per perseuerãtiam in opere. Sanctificetur, inquam, nomen tuum, quod est *Pater*, vt te tanquam filij semper honoremus; Nomen tuum quod est *Iesus*, vt à te saluatore salutem habeamus; Nomen tuum, quod est *Spiritus sanctus*, vt in bono gratiæ semper perseueremus.

§. IV. De secunda petitione.

1. SEquitur secũda petitio, *Adueniat regnum tuum*; in qua petimus beatitudinem nostram, scilicet regnum gloriæ. Adueniat, id est, ad nos veniat regnum tuum: de quo Mathæi 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*. Tunc enim regnabit Deus omninò inter nos, non diabolus, non mundus, non carnalis affectus.

2. Hic autem est aduertendum, quod regnum Dei quadruplex est: scilicet, sacræ scripturæ, de quo dicit Christus Iudæis, *Auferetur à vobis regnum Dei*, Math. 21. Secundo regnum diuinæ gratiæ, Lucæ 17. *Regnum Dei intrà vos est*. Tertio regnum vniuersalis ecclesiæ, de quo Math. 15. *Colliget de regno eius omnia scandala*. Quarto regnum cælestis gloriæ, Math. 6. *Primum quærite regnum Dei*. Et secundum hoc, quadrupliciter potest exponi; *adueniat*, id est, ad nos veniat regnum tuum, sacræ scripturæ, per veram cognitionem, vt destruat regnum erroris & ignorantiæ; Regnum etiam gratiæ diuinæ per spiritualem inhabitationem, vt destruat regnum peccati & malitiæ. Regnum quoque vniuersalis ecclesiæ, per Christianæ fidei declarationem & exaltationem, vt destruat regnum Antichristi, & falsæ Synagogæ. Et Regnum tandem cælestis gloriæ per æternam præmiationem, vt destruat regnum præsentis & futuræ malitiæ.

§. V. De

§. V. De tertia petitione.

1. SEquitur tertia petitio, *Fiat voluntas tua*; In qua petimus donum gratiæ, quia per gratiam fit voluntas Dei in nobis, & à nobis. Licet enim voluntas Dei semper fiat; tamen per gratiam fit, quod voluntas præceptorum suorum à libertate nostra impleatur. Fiat ergo voluntas tua in peccatorum conuersione per opus pœnitentiæ; In conuersorum sanctificatione per munus gratiæ; In sanctificatorum saluatione per bonum perseuerantiæ; In saluatorum perpetua clarificatione, per donum gloriæ.

2. Fiat, inquam, *sicut in cælo, & in terra*; quod quadrupliciter exponitur; scilicet, sicut in Angelis, sic in hominibus; sicut in iustis, ita in peccatoribus; sicut in Christo, ita in Ecclesia; sicut in synderesi, id est, portione superiore rationis, sic in inferiori portione sensualitatis. Declarationem autem istorum per concordantias scripturarum, transeo causa breuitatis.

§. VI. De quarta petitione.

1. SEquitur quarta petitio, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: in qua, petitis illis, quæ ad beatitudinem pertineat directe & principaliter: consequenter illud petimus, quod ad eam pertinet instrumentaliter. Vbi primo notandum est, quod hoc ad literam po-

test dupliciter exponi. vno modo de *pane Sacramentali*, cuius quotidianus vsus cum debitis conditionibus prodest homini: vnde ipsum, panem nostrum quotidianum dicimus; licet in euangelio scriptum sit, *panem nostrum, supersubstantialem*, id est, præcipuum, vt exponit Hieronymus; per quem intelligimus Eucharistiam, quod est sacramentum præcipuum; vnde & in ipso alia omnia Sacramenta subintelliguntur. Alio modo potest exponi de *pane corporali*, vt etiam per panem intelligatur omnis sufficientia victus, sicut dicit Augustinus, quo *supersubstantialem* dicimus, id est superadditum ad substantiæ sustentationem; Lucas verò dicit *quotidianum*, id est, non annuum, vel à decem annis prouisum, vel in horreis reseruatum. Ideo ipsum petimus hodie, id est, in præsenti, quia nescimus, si ad crastinum perueniamus. Vnde per hoc inordinata solicitudo excluditur, & superfluitas condemnatur: quia solum quod est naturæ necessarium & conueniens petitur; iuxta illud Ecclesiastici 29. *Initium vitæ hominis, aqua & panis.*

2. *Secundo* notandum est, quod dicimus, *panem nostrum*, &, *da nobis* quadruplici ratione. Primo vt nemo sibi temporalia approprìet: vnde Chrysostomus, omnia (inquit) quæ nobis dat Deus, non solis nobis dat, sed aliis per nos: vt de eo quod accepimus per nos partem impotentibus faciamus. Secundo, vt nemo aliena vsurpet: vnde idem Chrysostomus ait: qui de iustitia panem acquisitum manducat, panem suum manducat: qui autem cum peccato, alienum. Tertio, vt nemo pro se solùm, sed

ſed etiam pro aliis oret: vnde Cyprianus lib. de orat. Dominica : ideo, (inquit) non dicimus pater meus, ſed noſter; nec da mihi, ſed nobis: quia vnitatis magiſter noluit priuatim precem fieri; vt ſcilicet quis tantum pro ſe precetur: vnum enim pro omnibus orare voluit, quomodo in vno omnes ipſe portauit. Quarto dicimus, *da*, vt nemo de ſe præſumat, quaſi ſine Deo vel paulum, vel aliquid minimum habere poſſet.

3 *Tertio* notandum eſt, quod extendendo illam petitionem ad ſenſum myſticum, vel moralem; ipſam de quintuplici pane poſſumus exponere : vt dicamus, da panem *pœnitentiæ*, ad releuationem languoris, iuxta illud pſalmi, *ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris;* ſecundo, panem *intelligentiæ*, contra famem errorum, de quo pane Eccleſiaſtici 15. *Cibauit illum pane ſapientiæ & intellectus.* Tertio, panem *Euchariſtiæ*, ad impinguationem amoris, quem panem Chriſtus in memoriam ſuæ amoroſæ paſsionis ſuis tradidit diſcipulis; *Quotieſcunque*, inquit, *manducabitis panem hunc, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quarto, panem *gloriæ* ad delectationem saporis, de quo ſcribitur, *panem Angelorum manducauit homo.* Quintò ad literam, panem naturæ, ad ſuſtentationem indigentiæ naturalis, ſeu ad confortationem naturalis vigoris : & de iſto pane dicitur hic. Et ſic habebimus quinque panes, quibus ſatiauit Dominus quinque millia hominum. Ioan. 6.

4. *Quarto*, moraliter notandum eſt, quod licet ad Deum pertineat, panem nobis dare;

propter quod petimus, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: tamen ad homines pertinet ipsum dispensare; videlicet, *panem corporalem* dispensant filiis suis patres carnales; *spiritualem* vero dispensare debent patres spirituales, seu Prælati & Doctores. Sed iam *quæritur* inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Quis enim est his temporibus seruus fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore, fideliter, & prudenter? Fideliter, quantum pertinet ad Deum: prudenter, quantum ad homines. *Fideliter* quantum ad Deum, vt scilicet, cum tanta fide, tanto timore, tanta instantia, tanta diligentia, quantum sibi commissum est, verbum Dei dispenset. *Prudenter* verò quantum ad homines, vt secundum capacitatem cuiusque singulos erudiat, & spiritualiter nutriat. Ideò, oramus deuotè, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: panem scilicet non solum corporalem, sed & spiritualem; vt inspires Prælatis & Doctoribus Ecclesiæ tuæ, vt veritatem tuam nobis studeant fideliter & prudenter dispensare. Et si illi nobis panem istum frangere negligant, aut contemnant: tu ipse da nobis, & pasce nos per occultam inspirationem, vt intus, per se capiamus panem, quo exterius fraudamur per ipsorum taciturnitatem; Alioquin moriuntur & fame pereunt paruuli Ecclesiæ tuæ filij; quia non est, qui frangat eis panem fidei, & spiritualiter eos reficiat verbo Dei. Tu ergo Pater clementissime, panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

§. VII. De

§. VII. De quinta petitione.

1. SEquitur. *Et dimitte nobis debita nostra.* Vbi post petitiones boni conferendi, sequuntur petitiones mali auferendi. Et primò ponitur quinta petitio pro amotione mali præteriti, scilicet, præteritæ culpæ. Vbi,

2. Notandum est *primò* quod à beatitudine consequenda prohibet nos triplex malum: primò, peccatum iam commissum, secundò, peccatum de proximo committendum; tertio malum præsens ad peccatum inclinatiuum. Primum ergo petimus amoueri, dicendo, dimitte nobis, id est, peccatoribus: quia, *si dicimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*, vt dicit scriptura. Ideo omnes dicere possumus; *dimitte nobis debita nostra*, id est, peccata commissa, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam: quia aliter non possumus ingredi beatitudinem æternam. Quia verò nobis est regula imposita, quod si nos volumus nobis dimitti peccatum nostrum, nos etiam debemus dimittere proximo nostro peccatum in nos commissum: ideo subditur, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vnde post hanc orationem Dominicam, statim posuit Christus huius dicti rationem dicens: *si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater cælestis delicta vestra.*

3. Vbi *secundo* notandum est, quod ista dimissio potest intelligi dupliciter: vno modo, quantum *ad offensam*, & hoc est necessitatis,

quia tenemur omnes diligere ex charitate; Alio modo quantum *ad iniuriam*, & hoc non est necessitatis, sed supererogationis. Sicut enim pecuniam ablatam non tenetur quis auferenti dimittere, sed eam potest licitè repetere: sic de iniuria sibi illata potest compensationem per emendam petere secundum ordinem iustitiæ.

4. *Tertio* moraliter notandum est, quod dimittere alteri peccata, est magni meriti apud Deum: quia certa fiducia datur dimittenti, quod etiam peccata sua dimittentur ei; vnde dicit Christus, *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra.* Vbi glossa: *Hoc* (inquit) in fine concludit, vt certum sit nobis quid in oratione promiserimus: neque aliud exigit iudex, quem rogamus, nisi vt tales simus fratribus, qualem nobis eum exposcimus. Et qui hoc non facit, dupliciter reus est: primò, quia peccauit, & debet; deinde, quia monitus à iudice, non indulget. Ideoque multis timenda, multis periculosa est ista sententia, qui scilicet per longum & odiosam maliciam indurati, illos, qui per aliquam iniuriam eis facti sunt debitores modis omnibus lædere & confundere concupiscunt; nec pro timore Dei, nec pro precibus hominum, satisfactionem accipere, aut concordiam habere volunt. Qui cum tales sint, securi tamen ad ecclesiam confluunt, & coram Deo dicere præsumunt, Pater noster, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ideoque aduersum se iram Dei prouocare videntur, quia hominibus seruant iram, & à Deo quærunt misericordiam. Necesse ergo est, vt

vt ſaltem tunc debitoribus ſuis dimittant debita, cum ipſi debitores ab eis poſtulauerint indulgentiam ſibi dari : ſicut Dominus ſeruo ſuo nequam feciſſe legitur, quemadmodum ſcriptum eſt, *Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Quicunque autem rogatus à debitore debitum cuiuſlibet iniuriæ, dimittere contemnit : in vanum à Domino dimitti ſibi debitum peccati ſui petit:imò magis peccatum ſuum coram oculis iudicis aggrauat, quàm alleuiat.

5. Quarto notandum eſt, quod quamuis imperfectis concedatur, ſic ſua debita poſſe relinquere, vt à debitoribus de indulgentia rogari debeant, & ſatisfactionem de illata ſibi iniuria recipere valeant : tamen, ſi contingat nihil horum fieri, debent omnibus modis iram proprij cordis refrænare, & de ſemetipſis tenebras odiorum repellere : memores illius, quod ſcribitur, *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur.* Sed tamen virorum perfectorum eſt,& ſine precibus, & ſine ſatisfactione iniuriarum corde puro & vultu iucundo ſuis debitoribus indulgere; inſuper & ſua tribuere,& obſequia charitatis exhibere. Prouideat ergo vnuſquiſque ſibi in hac oratione Dominica, vt qualem indulgentiam à Deo cupit accipere, talem ſtudeat aliis facere: alioquin conſultiùs videtur tacendum, quàm dicendum,Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

§. VIII. De sexta petitione.

1. SEquitur sexta petitio, *Et ne nos inducas in tentationem* : in qua petimus amoueri malum de propinquo aliàs committendum : & hoc contingit, quando sumus positi in graui tentatione, cui probabiliter timemus succumbere, ideoque petimus, & ne nos inducas, id est, ne induci permittas in tentationem.

2. Vbi *primò* notandum est, quod per hoc non simpliciter petimus, vt non tentemur; quia tentari non est per se malum, sed quandoque valet ad virtutis exercitium, quando scilicet ei viriliter resistitur : propter quod dicit psalmus, *Proba me Domine, & tenta me.* Sed petimus, ne in tentationem inducamur, ita vt ab ipsa vincamur; quasi dicamus, etsi nos permittas duci per sensum, vt exercitemur : non tamen permittas induci per consensum, vt succumbamus; tunc enim inducimur, id est, intus ducimur, quando intus à tentatione vincimur.

3. Secundo notandum est, quod duplex est tentatio; quædam ad bonum : alia ad malum. Primâ tentat nos Deus, non vt de nouo aliquid sciat, nisi impropriè loquendo de scire, eo modo quo dicitur scire, quia facit alios scire; vnde dicitur Deuteronomij 13. *Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam faciat vtrum diligatis eum*; Et de illa intelligitur autoritas psalmi supradicta, *Proba me Domine, & tenta me*, & illud Genesis 22. *Tentauit Deus Abraham*. Aliâ vero tentatione, scilicet, ad malum, Deus nullum tentat

tentat per se immediate, vnde dicit scriptura *Deus intentator malorum est*, (id est, non tentator ad malum) *vnusquisque autem tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*. Ista tamen tentatio, sicut & quælibet alia res, à Deo est.

4. Tertio notandum, quod tria sunt quæ nos tentant ad malum, scilicet, mundus, caro, diabolus: mundus tentat per prospera & aduersa; caro per carnalia desideria; diabolus per varia deceptionum genera. Vnde licet infirmitati humanæ sufficeret ad exercitium tentatio, quæ est à mundo, & à carne; tamen hoc non sufficit dæmonũ malitiæ: sed vtroque vtuntur ad hominum impugnationem. Hæc enim impugnatio procedit ex dæmonum malitia, qui propter inuidiam profectum hominum impedire nituntur. Deus autem huiusmodi tentationem & impugnationem permittit: imo ad eam causaliter concurrit, non tamen ad malum culpæ ordinat, nec tale malum intendit: sed ipse qui ordinatè nouit vti malis, eam ad bonum ordinat. Vnde ex eius ordinatione, huiusmodi tentatio ad bonum, & gloriam electorum prouenit: quia per tentationum victoriam perueniunt ad coronam: Sicut beatus Iacobus testatur, dicens: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiat coronam vitæ*. Ideo oramus, *& ne nos inducas in tentationem*, id est, ne nos permittas tentari vltra id quam possumus: sed fac cum tentatione prouentum; vt per tentationes probemur, non reprobemur; nec vincamur à tentatione mundi per cupiditatem; à tentatione carnis per vo-

 luptatem;

luptatem; à tentatione diaboli, per iniquitatem.

§. IX. De septima petitione.

SEquitur septima petitio, *sed libera nos à malo*: in qua petimus amoueri malum præsens, ad mala prædicta (scilicet peccata) inclinatiuum; sicut est *fomes* peccati, qui est quædam pœna ex peccato primorum parentum derelicta; & hoc malum pœnæ & generaliter omnia mala præsentis vitæ, inquantum possunt nos ad peccatum inducere, petimus amoueri, & ab eis liberari: Hæc autem liberatio (secundum glossam) quotidie est necessaria dum in malo animæ & corporis nunc viuitur: sed in fine complebitur, quando immortales & impassibiles erimus. Et hæc sufficiant de septem petitionibus.

§. X. Conclusio orationis. Amen.

POst exordium, & tractatum, ponitur conclusio, & quasi prædictarum petitionum confirmatio. Nam, *Amen*, est dictio Hebraica, quæ lingua latina interpretatur, *vere, & fideliter fiat*. Et sic optamus, vt vere fiant omnia, quæ suprà fideliter petiuimus. Vnde patet, quod licet oratio sit actus intellectus & rationis, tamen præsupponit actum voluntatis, scilicet desiderium optatiuum illius, quod oratio petit. Itaque cum oratio sit quodammodo desiderij interpres:

interpres: desiderium est causa petendi & orandi, iuxta illud psalmi, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.*

---

§. XI. Expositio mystica Orationis Dominicæ.

POst prædicta, quæ ad sensum literalem septem petitionum orationis Dominicæ posita sunt: adhuc ad sensum mysticum vel moralem quædam breuiter sunt annotanda.

1. Primo ergo notandum est, quod numerus prædictarum petitionum potest septem virtutibus adaptari: ita vt sumatur prima petitio, scilicet, *sanctificetur nomen tuum*, penes *fidem*, cuius est corda sanctificare; Secunda, scilicet, *Adueniat regnum tuum*, penes *spem*, cuius est regnum expectare; Tertia, *fiat voluntas tua*, penes *charitatem*, cuius est voluntatem Dei complere; Quarta, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, penes *fortitudinem*, cuius est in aduersis confortare; Quinta, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, penes *iustitiam*, cuius est vnicuique ius suum reddere. Sexta, *Et ne nos inducas in tentationem*, penes *prudentiam*, cuius est mala futura præcauere. Septima, *sed libera nos à malo*, penes *temperantiam*, cuius est à malis præsentibus abstinere.

2. Secundo notandum est, quod istæ septem petitiones, possunt donis & beatitudinibus conuenienter aptari; vnde Augustinus in libro

de

de sermone Domini in monte, eas aptando, sic dicit. Si timor Dei est, quo beati sunt pauperes: petamus, vt sanctificetur in hominibus nomen Dei timore casto permanente in sæculum sæculi. Si pietas est, qua beati sunt mites: petamus, vt adueniat regnum eius, vt mitescamus, nec ei resistamus. Si scientia est, qua beati sunt, qui lugent: oremus, vt fiat voluntas eius, quia sic non lugebimus, si caro spiritui consentiat. Si fortitudo est, qua beati sunt, qui esuriunt & sitiunt iustitiam: oremus, vt detur nobis panis, quo ad iustitiæ satietatem perueniamus. Si consilium est, quo beati sunt misericordes: dimittamus, & nobis dimitti oremus. Si intellectus est, quo beati sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: oremus non induci in tentationem, quæ ex immundo corde procedit. Si sapientia est, qua beati sunt pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: oremus vt liberemur à malo, quia liberatio facit liberos, id est, filios Dei. Sic igitur, (vt dicit glossa) precibus laborandum est, vt dona percipiamus ex gratia: donis vero agendum est vt veniamus ad merita, & tunc beatitudo pro meritis est speranda.

3. Tertio, notandum est, quod prædictæ septem petitiones contra septem vitia capitalia possunt aptari: *Prima* petitio contra *luxuriam*: quæ non sanctificat, sed polluit; *Secunda*, contrà *auaritiam*: quæ non regnum Dei, nec diuitias cæli, sed terræ cupit. *Tertia*, contrà *acediam*: quæ voluntatem Dei fieri non quærit, sed in otio nihil facit. *Quarta*, contrà *gulam*: cui panis non sufficit. *Quinta*, contrà *iram*:

quæ

quæ rancorem non dimittit. *Sexta*, contrà *superbiam*: quæ in tentationem inducit. *Septima*, contrà *inuidiam*: quæ malum alterius quærit, & bono alterius sibi male facit. Et sic patet sufficientia huius orationis, vt, (sicut dicit glossa) nihil omnino desit, quod his septem petitionibus non contineatur, siue ad præsentem, siue ad futuram pertineat vitam.

PARS SECVNDA, CONTINENS DVBIA ALIQVA DE ORATIONE.

SED adhuc videnda sunt aliqua dubia circa orationem Dominicam specialiter; & circa totam materiam orationis generaliter. Et circa ipsam orationem Dominicam specialiter, tria occurrunt dubia.

§. I. Dubium I. De oratione pro inimicis.

1. PRimum est, quia hæc oratio non videtur sufficiens, ex eo, quod non docet orare

orare pro inimicis: & tamen Christus pro eis orare monuit, Math. 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos*: & per consequens hæc non continet omnia de quibus est orandum.

Pro huius dubij solutione, Primo Notandum est, quod non solùm pro nobis orare debemus, sed etiam pro aliis, iuxta illud Iacobi 5. *Orate pro inuicem vt saluemini.* Et ratio est, quia illud debemus orando petere, quod debemus desiderare: at desiderare debemus bona, non solùm nobis, sed & aliis; quia hoc pertinet ad rationem charitatis. Vnde Chrysostomus super Mathæum; *Pro se orare, necessitas cogit: pro altero vero, charitas fraternitatis hortatur*. Dulcior est autem ante Deum oratio, quam non necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.

2. Secundo notandum est, qnod quia, sicut dictum est, orare pro alio charitatis est, ideo quantum tenemur alium diligere, sic & tantum tenemur pro eo orare. Et ideo, quia inimicos diligere in generali est de præcepto; in speciali autem non est de præcepto, nisi secundum præparationem animi: (vt scilicet quis sit paratus etiam in speciali inimicum diligere, & eum iuuare in necessitatis periculo, & si veniam petierit, indulgere: nam in speciali, & absolute inimicos diligere & iuuare, perfectionis est.) ita etiam necessitatis est vt à communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus: quod autem specialiter pro eis oremus, perfectionis est & non necessitatis, nisi in aliquo casu.

3. Tertio notandum est, quod in oratione

Do-

Dominica, modo prædicto, scilicet in generali, pro inimicis oramus: quia in ea non solum pro nobis, sed etiam generaliter pro omnibus petimus: ideo, (vt suprà dictum est) non dicimus, *da mihi*, sed, *da nobis*; nec, *dimitte mihi*, sed, *dimitte nobis*; atque ita oramus, non solum nobis ipsis dimitte peccata nostra, sed etiam *debitoribus*, id est, inimicis nostris; vt sic pro salute omnium oremus; vnde patet responsio ad dubium.

§. II. Dubium II. De oratione pro omnibus bonis & malis.

1. SEd ex hac responsione oritur secundum dubium: quia videtur, quod non debeamus orare pro omnibus: quia, pro bonis non oportet orare, cùm ipsi pro seipsis orantes exaudiantur, & sic frustra pro eis ab aliis oratur. Sed pro malis orare prohibemur: iuxta illud Ieremiæ 7. *Tu ergo noli orare pro populo isto, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Similiter in Scriptura sacra contrà malos, & præcipuè contra inimicos, multæ maledictiones imprecantur iuxta illud psalmi, *Conturbentur omnes inimici mei.* Igitur pro illis non est orandum.

2. Ad istud, dicendum est, quod pro peccatoribus est orandum, vt conuertantur: pro iustis vt perseuerent & proficiant; Tamen non pro omnibus peccatoribus exauditur oratio, sed pro quibusdam tantùm. Exauditur enim oratio pro prædestinatis ad vitam, non autem

pro

pro præscitis ad mortem. Vnde 1. Ioan. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem, oret, & dabit ei Deus vitam* Et subdit: *Est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico vt oret quis.* Sed quia nos distinguere non possumus prædestinatos à reprobis: ideo nulli in præsenti vita est denegandum orationis suffragium. Atque ita pro omnibus est in generali orandum.

3. Secundo dicendum est, quod pro iustis est orandum triplici ratione. *Primò*, quia multorum preces faciliùs exaudiuntur, vnde ad Rom. 15. super illud, *Adiuuetis me in orationibus vestris*; dicit glossa; vnde rogat Apostolus memores pro se orare? Multi enim minimi, dum congregantur vnanimes, fiunt magni: & multorum preces impossibile est non impetrare; illud scilicet quod est impetrabile. *Secundo*, vt cum multis gratia agatur Deo de beneficiis, quæ confert iustis, quæ etiam in vtilitatem multorum vergunt, vt patet 2. Corynt. 1. *Tertio*, vt maiores non superbiant, dum considerant se minorum suffragiis indigere.

4. Vltimo dicendum est, quod licet pro malis, etiam inimicis, sit orandum: tamen in scripturis quandoque eis maledictiones imprecantur. Sed istæ imprecationes quadrupliciter possint intelligi. *Vno* modo, vt non optando, sed prædicendo exponantur: nam prophetæ solent sub figura imprecantis futura prædicere, vt dicit Augustinus libro de sermone Domini in monte. *Secundo*, prout quædam temporalia mala peccatoribus quandoque à Deo ad eorum correctionem infliguntur. *Tertio*, quia intelliguntur petere, non contrà ipsos

homines,

homines, sed contrà regnum peccati: id est, non contra hominum naturam, sed contra culpam; vt scilicet, correctione peccatum destruatur; & sic etiam licitum est inimicos impugnare, & temporalia mala eis inferre. Sic etiam sancti de inimicis vindictam optant & quærunt, iuxta illud Apocalypsis 6. *Vsque quo non vindicas sanguinem nostrum?* Vnde dicit Augustinus, quod vindicta martyrum, est, vt euertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt. *Quarto* istæ imprecationes fiunt à sanctis conformando voluntatem suam voluntati diuinæ, circa punitionem perseuerantium in peccato: & sic etiam lætantur sancti de vindicta, non propter seipsam, sed propter diuinam iustitiam: iuxta illud psalmi, *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Atque ita patet, non obstantibus istis, qualiter pro omnibus tam bonis, quàm malis generaliter est orandum.

---

§. III. Dubium III. De oratione eorum qui non dimittunt debitoribus suis.

1. SEd adhuc est tertium dubium. Quia videtur quod oratio Dominica non conueniat omnibus: ex eo scilicet quod non conuenit peccatoribus: nam in ea dicitur dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. Hoc autem multi peccatores non faciunt. Ergo, vel mentiuntur hoc dicendo, & sic non sunt exauditione digni: vel si hoc non dicunt, non exaudiuntur, quia non seruant formam orandi institutam à

Christo;

Christo; de qua dicit Chrysostomus, quod Pater non libenter audit orationem, quam filius non dictauit.

2. Ad hoc dupliciter potest responderi. Vno modo quod multi sunt peccatores, qui peccata aliis dimittunt, ideoque ipsi orantes exaudiuntur, iuxta illud Ecclesiastici 28. *Relinque proximo tuo nocenti, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* De illis vero peccatoribus, qui hoc non faciunt, sed odium & rancorem contrà proximum retinent, sicut iracundi, & inuidi locum haberet illud, quod concluditur, scilicet, quod oratio Dominica eis non proficit, imò nocet, sicut dictum est, quia mentiendo nouum peccatum committunt, saltem dum illam petitionem dicunt; quare consultius illam clausulam reticerent.

3. Alio modo potest dici, quod oratio Dominica profertur ex persona communi totius ecclesiæ. Et ideo, si aliquis, nolens dimittere debita proximo, dicat orationem Dominicam; non mentitur, quamuis illud quod dicit non sit verum quantum ad personam suam, quia est verum quantum ad ecclesiam: Vnde non dicit, *sicut ego dimitto*, sed, *sicut nos dimittimus*, quod ad pluralitatem ecclesiæ potest referri. Quia tamen talis, licet sit de ecclesia quantùm ad numerum, non est tamen de ecclesia quantum ad meritum: ideo fructu orationis caret. Et sic patet duplex responsio ad dubium: vltima tamen mitior est, quam prima. Et hæc sufficiunt de oratione Dominica in speciali.

De oratione in communi.

NVnc vero, postquam de oratione Dominica dictum est specialiter: consequenter circa materiam de oratione aliqua quærenda sunt generaliter. Vnde, sicut de oratione, prout de ea ad Dialecticum pertinet considerare, quæri solet, *qua*, *qualis*, *&* *quanta*: sic de oratione, prout de ea Theologus considerat, quæri potest, *qua* sit eius definitio, *qualis* sit eius conditio, & *quanta* sit eius perfectio. Et secundum hoc tractabuntur hic tres quæstiones principales. *Prima*, de orationis quidditate, & eius definitione. *Secunda*, de eius qualitate & conditione. *Tertia*, de ipsius quantitate & perfectione.

Quæstio I. De orationis quidditate.

1. QVantum ad primum principale, quæritur vtrum bene definiatur oratio, quod sit *petitio decentium à Deo*. Et videtur quod non. *Primo*, quia petitio fit alicui, vt ei intimemus illud, quo indigemus, vel vt ipsius animum flectamus ad illud faciendum, quod petimus. Sed neutrum istorum cadit in Deum: quia sine nostra intimatione scit omnia quibus indigemus; nam (sicut dicitur Math. 6.) *Scit pater vester calestis, quia his indigetis.* Quia etiam voluntas Dei est immutabilis, nec vlla nostra

nostra actione flectitur: sicut patet 1. Corynt. 15.

Secundo, quia secundum hanc definitionem solus Deus esset orandus: hoc tamen falsum est, quia non solùm à Deo, verum etiam à sanctis in orationibus nostris decentia petimus.

Tertio, quia hæc definitio non conuenit omnibus orationis partibus. Nam (secundum Apostolum 1. Tim. 3) tres sunt orationis partes, scilicet, obsecrationes, postulationes, & gratiarum actiones. Sola autem *postulatio* nomine petitionis significatur, ergo &c. Oppositum patet per Damascenum lib. 3. qui sic definit orationem, quod sit petitio decentium à Deo.

2. Iuxta materiam trium argumentorum ante oppositum, tria sunt hic consideranda quo fine sit orandum; ad quem fieri debeat oratio; & quæ sint eius partes.

§. I. Quid sit orare, & pro quibus orandum?

QVantum ad primum, Notandum est *primo*: quod triplex fuit circa orationem antiquorum error. *Vnus*, quod res humanæ non regantur diuina prouidentia, ex quo sequitur, quod vanum sit Deum orare. *Secundus* fuit, quod omnia etiam in rebus humanis ex necessitate eueniunt, siue ex immutabilitate diuinæ prouidentiæ, siue ex necessitate influentiæ stellarum, siue ex conuentione & connexione cau-

causarum; & secundum hoc etiam excluditur orationis vtilitas. *Tertius* error fuit, quod quia res humanæ diuina prouidentia reguntur, nec tamen de necessitate eueniunt: ideo oportet dicere diuinam prouidentiam mutabilem, & variabilem esse; & quod orationibus & aliis quæ ad diuinum cultum pertinent, dispositio diuinæ prouidentiæ mutatur. Præsupposito ergo, quod hæc tria falsa sunt, & fidei Christianæ aduersa: oportet sic orationis vtilitatem saluare, vt neque rebus humanis diuinæ dispositioni subiectis necessitas imponatur; nec etiam diuina prouidentia mutabilis aut variabilis æstimetur.

3. Pro quo notandum est secundò, quod ex diuina prouidentia non solum disponitur qui effectus fiant: sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proueniant. Inter alias autem causas, actus humani sunt quorundam effectum causæ. Vnde oportet homines aliqua agere; sicut, Deum orare, vel adorare: non vt per tales actus diuinam dispositionem immutent; sed vt per huiusmodi actus impleant quosdam effectus secundum ordinem à Deo dispositum. Et ideo patet, quod non propter hoc oramus, seu à Deo aliquid petimus, vt diuinam dispositionem immutemus, vel eius animum flectamus: sed vt illud impetremus, & nostris orationibus mereamur, quod Deus disposuit per orationes esse implendum; vt scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare; sicut dicit Gregorius lib. 1. Dialogorum.

4. Tertio notandum, quod Deo orationes

& pe-

& petitiones nostras non ideo porrigimus, vt ei nostras indigentias, vel desideria manifestemus: sed vt nosipsi consideremus, in his ad diuinum auxilium esse recurrendum; Nam Deus scit, quid sit nobis vtile, quod nos ipsi quandoque & sæpius ignoramus. *Vnde* Socrates (vt refert Valerius Maximus) nihil vlterà petendum à diis immortalibus arbitrabatur, quàm vt bona tribuerent: quia hi scirent quid vnicuique esset vtile; Nos autem plærunque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. Hæc autem sententia Socratis vera est, quantùm ad illa bona, quæ possunt malum euentum habere, quibus etiam homo potest bene vel male vti, sicut sunt diuitiæ, de quibus ibidem apud Valerium dicitur, quod multis exitio fuerunt honores, qui plures pessundederunt; regna, quorum exitus sæpe miserabiles cernuntur; splendida coniugia, quæ nonnunquam domos funditùs euertunt, & similia. Sed tamen sunt quædam bona, quibus hómo malè vti non potest, quæ etiam malum euentum habere non possunt: hæc autem sunt illa, quibus beatificamur, & quibus beatitudinem meremur; & ista absolute petere possumus, iuxta illud psalmi, *Ostende faciem tuam & salui erimus*; & iterum, *Deduc me in semita mandatorum tuorum*. Nam ista petendo, quæ ad salutem nostram pertinent, scimus nos voluntatem nostram conformari voluntati diuinæ: quæ, (sicut dicit Apostolus 1. Tim. 2.) *vult omnes homines saluos fieri*. Alia autem bona non debemus petere absolute, sed solum conditionaliter, sub conditione scilicet diuinæ voluntatis, & inquantum sunt

vtilia

vtilia ad salutem. Sola ergo talis petitio debet dici petitio decentium; & talis est oratio; omnis autem alia magis est execratio. Et sic patet, qualiter oratio est petitio, qua Deus honoratur; & propter quod est petitio, quia non vt Deus de nostris indigentiis instruatur, vel vt eius animus flectatur: sed vt illud, quod nobis dare disposuit, nostris petitionibus impetretur; Patet etiam quorum sit petitio, scilicet, decentium, id est, illorum, in quibus nostra salus consistit, vel per quæ acquiritur. Et sic patet responsio ad primum.

---

§. II. Ad quem dirigi debeat oratio.

5. QVantum ad secundum, in quo videndum est, ad quem fieri debeat huiusmodi petitio, an scilicet petere debeamus à solo Deo; videtur quod ab eo solo sit petendum: quia frustrà porrigitur oratio, ad eum, qui orationem non cognoscit: sed solius Dei est orationem cognoscere: tùm quia plærunque oratio magis agitur interiori actu, quem solus Deus cognoscit, quàm voce; iuxta illud 1. Cor. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente*; Tum etiam quia, (vt dicit August. libro de cura pro mortuis agenda) nesciunt mortui, etiam sancti, quid agant viui, etiam eorum filij. Sed oppositum seruat ecclesia, quæ sanctos orat.

6. Ideoque breuiter dicendum, quod oratio porrigitur alicui dupliciter: *vno modo*, quasi per ipsum implenda; *alio* modo tanquam per ipsum impetranda. *Primo* modo soli Deo ora-

tionem porrigimus, quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam & gloriam obtinendam, quæ solus Deus dat, iuxta illud psalmi, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Sed *secundo* modo orationem porrigimus sanctis hominibus, & Angelis; non scilicet vt per eos Deus petitiones nostras cognoscat, (sicut posuit Apuleius in libro suo de Deo Socratis) sed vt eorum precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Ideo dicitur Apocalypsis 7. *Ascendit fumus aromatum*, (id est, vt ibidem exponitur orationes sanctorum) *de manu Angeli coram Domino*.

7. Ad argumentum autem in oppositum, dicendum est, quod mortui ea quæ in hoc mundo aguntur, non cognoscunt naturaliter, & præcipuè interiores motus cordis: sed (vt dicit Gregorius 12. moralium) beatis in verbo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere, de his, quæ circà nos aguntur; maximè autem eorum excellentiam decet, vt cognoscant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde. Et ideo sanctos adhuc viuentes, vel in purgatorio existentes non oramus (propriè loquendo) quia nondum fruuntur visione verbi, vt possint cognoscere ea, quæ cogitamus, vel dicimus: sed beatis orationes nostras porrigimus; tamen soli Deo petitionem facimus quantum ad finem orationis principalem, scilicet vt impleatur quod petimus; Et sic intelligit Damascenus, orationem esse petitionem decentium à Deo. Et hæc de secundo.

§. III. Quæ

§. III. Quæ ſunt partes orationis.

8. QVantum ad 3. in quo videndum de tribus orationis partibus, quæ ſunt, ſecundum Apoſtolum, obſecrationes, poſtulationes, & gratiarum actiones: ſciendum eſt, quod ad orationem tria requiruntur: quorum *primum* eſt, vt orans ſpiritualiter aſcendat ad Deum, quem orat: quod ſignificatur nomine orationis, quia oratio (ſecundum Damaſcenum) eſt aſcenſus intellectus in Deum. *Secundo*, requiritur *petitio*, quæ ſignificatur nomine *poſtulationis*, ſiue ſupplicationis. *Tertio* requiritur ratio impetrandi, quod petitur: & hoc vel ex parte Dei, à quo petitur, vel ex parte illius qui petit. Ratio autem impetrandi ex parte Dei, eſt eius ſanctitas propter quam petimus exaudiri, iuxta illud Danielis *9. Propter temetipſum inclina Deus meus aurem tuam*: & ad hoc pertinet *obſecratio*, quę eſt per ſacra obteſtatio, ſicut cùm dicimus, per incarnationem tuam libera nos Domine. Ratio autem impetrandi ex parte petentis, eſt *gratiarum actio*, quia de acceptis beneficiis gratias agendo, meremur accipere potiora. Et ideo dicit gloſſa 1. Tim. 2. quod in miſſa *obſecrationes* ſunt quę pręcedunt conſecrationem, in quibus quædam ſacra commemorantur; *orationes* autem ſunt in ipſa conſecratione, in qua debet mens maximè eleuari in Deum. *Poſtulationes* vero in ſequentibus petitionibus; ſed *gratiarum actiones* ſunt in fine. Ex his ergo patet, quod obſecrationes, poſtulationes & gra-

tiarum actiones non sunt orationis partes subiectiuæ: ideoque non oportet quod definitio orationis conueniat cuilibet harum partium. Sed sunt partes integrales, ex quibus componitur oratio perfectissimè sumpta. Tamen oratio principaliter consistit in ipsa postulatione seu petitione: ideo bene definitur oratio, quod sit petitio decentium à Deo. Et sic apparet responsio ad tertium. Et hæc de prima principali quæstione.

Quæstio secunda, de conditione & qualitate orationis.

1. QVantum ad 2. principale, in quo videndum est de orationis qualitate & eius conditione: sciendum est, quod ad debitam & Deo acceptam orationem quatuor conditiones requiruntur; *primò*, quod sit discreta in intentione. *Secundo*, quod sit deuota in affectione; *Tertio*, quod sit sancta in operatione; *Quarto*, quod sit certa in expectatione.

---

§. I. De recta intentione.

PRima ergo conditio ad debitam orationem requisita, est, quod sit *discreta in intentione*. Est autem in intentione discretio, si ad debitum finem, scilicet ad beatitudinem ordinetur: aliter enim est indiscreta oratio; & de tali dicitur Iacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eo quòd male*

male petatis. Vnde quia talem indiſcretam petitionem fecit mater filiorum Zebedæi, ideo habuerunt repulſam, dicente Deo, *Neſcitis quid petitis.* Math. 20.

2. Iuxta quod quæri poteſt, *vtrum in oratione bona temporalia diſcretè poſſimus petere?* & videtur quod non: quia illa quærimus, quæ orando petimus: ſed temporalia non debemus quærere; iuxta illud Math. 6. *Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia* (ſcilicet temporalia) *adijcientur vobis.* Vbi ſola ſpiritualia dicit eſſe quærenda: temporalia vero adiicienda non quærenti. Ibidem etiam prohibet ſolicitudinem temporalium, dicens, *Nolite eſſe ſoliciti quid manducetis.* Ergo pro temporalibus habendis non eſt orandum. Sed oppoſitum tamen patet, quia pro temporalibus orabat Sapiens prouerb. 30. *Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria.*

3. Ad hoc ergo reſpondendum eſt, quod, (ſicut dicit Auguſtinus) orando Deum hoc licebit orare, quod licet deſiderare. Licitum autem eſt deſiderare temporalia, non quidem principaliter, quaſi in eis finem conſtituamus; ſed tanquam quædam inſtrumenta, quibus ad conſequendum beatitudinem adiuuemur; inquantum ſcilicet per ea vita corporalis adiuuatur, & ſuſtentatur; & in quantum nobis ad actus virtutum deſeruiant; & iſto modo diſcretè oramus etiam pro temporalibus. Vnde Auguſtinus dicit: Sufficientiam vitæ non indecenter vult, quiſquis eam vult, & non amplius: quæ quidem non appetitur propter ſeipſam,

 ſed

ſed propter ſalutem corporum, & congruentem habitum perſonæ hominis, vt non ſit inconueniens eis, quibuſcum eſt viuendum. Iſta ergo, cum habentur, vt teneantur: cum non habentur, vt habeantur, orandum eſt.

4. Ad argumentum, dicendum eſt, quod temporalia non ſunt quærenda principaliter, ſed ſecũdariò. Vnde Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: cum dixit, illud, ſcilicet, regnum Dei primo quærendum, ſignificauit quia hoc, ſcilicet, temporale bonum poſterius quærendum eſt, non tempore, ſed dignitate: illud, tanquam bonum noſtrum; hoc, tanquam neceſſarium noſtrum. Nec ibidem ſimpliciter prohibetur omnis ſolicitudo rerum temporalium: ſed ſuperflua & inordinata, de qua dicit Apoſtolus, *Nihil ſoliciti ſitis in oratione*. Philip.

---

§. II. De deuota affectione.

5. SEcunda conditio ad debitam orationem requiſita, eſt vt ſit *deuota* in affectione. Eſt autem in affectione deuotio, ſi in Deum principaliter eleuetur, & finaliter dirigatur, iuxta illud pſalmi, *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Vbi valde conuenienter incenſo boni odoris comparatur, cuius fumus ante faciem Dei præſentatur: quia ſicut incenſum, niſi prius comburatur in igne, non poteſt ſuauiter odorare, nec fumus eius in altum aſcendere: ſic oratio, niſi ardeat igne deuotionis, non poteſt bene odorare Deo, nec ſurſum

ſurſum aſcendere in cælum. Debet ergo oratio ſpiritualiter ardere, ardore charitatis; ſuauiter redolere odore virtutis; eminenter aſcendere vigore deuotionis.

Sed iuxta hoc quæri poteſt, quæ ſint illa, per quæ in oratione principaliter impeditur deuotio? Ad quod dicendum eſt, quod tria ſunt, ſcilicet, vaga cogitatio, vana occupatio, ficta oſtentatio. *Primo* ergo deuotionem orationis impedit *vaga cogitatio*, id eſt, mentis euagatio, qua ſcilicet cor noſtrum ex infirmitate & fragilitate humana per varias & vanas cogitationes, & quandoque ſordidas ac ad peccatum inclinantes fluctuat & vagatur: quod etiam viris perfectis contingit, iuxta illud pſalmi, *Cor meum dereliquit me Secundo* deuotionem impedit *vana occupatio*, qua ſcilicet cor noſtrum circa terrena occupatur, & cæleſtia negligit: quod ſæpe viris ſæcularibus contingit, qui licet in ore habeant verba orationis: tamē in corde habent cogitationes vanæ occupationis; de quibus dicit Dominus per Prophetam, *Populus iſte labijs me honorat. Cor autem eorum longe eſt à me;* Contra eoſdem dicit Iſidorus: quod oratio cordis eſt, non labiorum; neque Deus verba, ſed cor orantis aſpicit. *Tertio* deuotionem orantis impedit *ficta oſtentatio*, quando ſcilicet coram hominibus oramus: tunc enim faciliter ad vanam gloriam incitamur: & ſic plærumque quod per deuotionem incepimus, ad noſtram oſtentationem terminamus. Ideo conſulit Chriſtus in ſecreto orare, dicens: *Et cum oratis, nolite orare ſicut hypocritæ, qui orant, vt videantur ab hominibus. Tu autem cum ora-*

ueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum &c. Math. 6. Vbi dicit Chrysostomus, quod hoc verbo vetat Christus in conuentu, id est, in publico orare, vt à conuentu videamur: ideoque orando coram aliis nullam nouitatem aut singularitatem facere debemus, per quam homines ad nos peculiarius intuendum moueantur. Nec tamen (vt dicit Augustinus in lib. de serm. Domini in monte) videri inter orandum ab hominibus nephas est: sed ideo hoc agere, vt ab hominibus videaris. hoc enim conuenit hypocritis.

---

§. III. De sancta operatione.

6. TErtia conditio ad debitam orationem requisita, est quod sit *sancta in operatione:* tunc enim sancta est oratio, cum ex bonis operibus sanctificatur. Vnde dicit Scriptura, *Bona est oratio cum eleemosyna & ieiunio.* Tobiæ 12. nam inter cætera opera virtuosa, hæc duo, scilicet, ieiunium & eleemosyna, orationem faciunt sanctam & Deo acceptam: Ideo dicit Isidorus, qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, scilicet orationem & ieiunium. Sicut autem hæc, & alia bona opera orationem sanctificant: sic opera mala eam commaculant, & Deo displicentem efficiunt; vnde dicit Dominus per Prophetam: *Cum multiplicaueritis orationes, non exaudiam: manus enim vestra sanguine plena sunt.* Isaiæ 1. id est, opera vestra peccatis maculata sunt.

7. Iuxta quod quæri potest, *vtrum orationes pecca-*

peccatorum aliquid impetrent apud Deum? Et videtur quod non, quia Ioannis 9. dicitur, *Scimus quia peccatores Deus non audit*; & Prouerb. 28. *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Sed contrà hoc dicit Augustinus super Ioannem, *Si peccatores non exaudiret Deus, frustrà publicans dixisset, Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Chrysostomus dicit super Mathæum, *Omnis, qui petit, accipit*, id est, *siue sit iustus, siue peccator.* Ad hoc igitur dicendum est, quod in peccatore duo sunt consideranda, scilicet, natura, quam diligit Deus; & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, inquantum peccator, id est, secundum desiderium peccati, hoc à Deo non exaudietur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam: dum scilicet Deus permittit hominem amplius ruere in peccatum. *Deus enim* (vt dicit Augustinus) *quædam negat propitius, quædam concedit iratus.* Si verò oratio peccatoris ex bono desiderio naturæ procedit, Deus ipsam audit: non quidem ex iustitia, quia peccator hoc non meretur; sed ex pura misericordia: Obseruatis tamen quatuor conditionibus, scilicet, *vt pro se petat, & necessaria ad salutem, & pie, & perseueranter*; de quibus postea dicetur.

8. Ad illud verò, quod primo obiicitur, dicendum est, quod (sicut dicit Augustinus super Ioannem) illud verbum est cæci nondum illuminati, & ideo non est tenendum in scriptura dici sicut assertiuè dictum, sed sicut recitatum: Potest tamen verificari, si intelligatur de peccatore, inquantum est peccator; & sic etiam,

iuxta aliam autoritatem obiectam, oratio peccatoris (vt peccator est) est execrabilis.

§. IV. De fiducia expectationis.

QVarta conditio ad debitam orationem requisita, est, quod sit *certa in expectatione:* tunc enim efficaciter oramus, cum firmam fidem, & certam spem habemus obtinendi, & impetrandi, quod petimus. Vnde Iacobi 1. dicitur, *Postulet autem cum fide nihil hæsitans.* Et hanc certam fiduciam obtinendi illud, quod oramus, nobis dedit Christus, cum dicit, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ioan. 16. Illud vero, *In nomine suo*, id est, in nomine Iesu petere, intelligimur, quod ad salutem pertinet, quia *Iesus* hebraice, latine *saluator* interpretatur. Vel illud in nomine suo petimus, quod ipse petere præcipit: vel in quo voluntatem nostram suæ voluntati conformamus, & tunc securè petere possumus. Vnde Augustinus: Cum illa, quæ Deus præcipit, petitis, securè petite, quia propitio Deo conceduntur: sed cum petitis temporalia, cum modo petite, & cum timore illi committite, vt si prosit, det, si scit obesse, non det. Quid enim prosit vel obsit, nouit medicus non ægrotus. Sicut namque contingit, quod ægrotus sæpe petit, non illud, quod est sibi sanum, sed contrarium: & tunc bonus medicus non dat ei, quod petit; ægrotus vero, si sit bonæ obedientiæ, voluntatem suam medico subiicit: sic debemus facere Deo, & tunc dat nobis quod est vtile. Vnde 1. Ioan. 5. dicitur;

dicitur; *Si petierimus secundum voluntatem eius, dabit nobis.*

Sed contra hoc dubitari potest, quia aliqui iusti in gratia existentes, & debito modo orantes petunt vt beatitudinem assequantur, & tamen non exaudiuntur: sicut patet de praescitis & reprobis in gratia existentibus, & orationem Dominicam dicentibus. Ergo sic orantes non habent certam expectationem de illo quod orant: quia certitudo non est de falso. Ideo ad orationem debitam non videtur necessaria ista quarta conditio.

Ad hoc dicendum, est, quod certa expectatio obtinendi illud, quod in oratione petimus, non est intelligenda categoricè & simpliciter, sed cōditionaliter: scilicet, si nō per nos [illegible], ita quod ad hoc obicē non ponamus: & isto modo etiam habere debemus fiduciam de beatitudine, scilicet, si in bonis meritis perseuerauerimus. Et sic intelligi potest illa eius descriptio, spes est certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis proueniens. & hęc de secundo principali.

Quæstio III. De quantitate & perfectione orationis.

1. QVantum ad tertium principale, in quo videndum est de *quantitate orationis & eius perfectione*, sciendum est, quod orationis perfectio principaliter consistit in mente, cuius autem effectus apparet in voce, iuxta illud Psal. *Voce mea ad Dominum clamaui.* Pr[illegible]

autem vtriusque, scilicet tam mentalis quam vocalis orationis, est, in mercede: Vnde dicitur in Psal. *Et oratio mea in sinu meo conuertetur.* Et ideo quantitatem perfectionis in oratione in tribus possumus considerare. *Primo* in mentis affectu; *Secundo* in vocis effectu; *Tertio* in mercedis profectu. Et iuxta hæc tria possumus hic triplicem quæstionem tractare. *Prima* erit de quantitate orationis quantum ad mentis affectum: vtrum scilicet ad debitam & perfectam orationem requiratur mentis attentio continua. *Secunda* erit de quantitate orationis, quantum ad vocis effectum; vtrum scilicet oratio vocalis debeat esse diuturna. *Tertia* quantum ad mercedis profectum; Vtrum oratio tanti boni, quantum petitur, sit meritoria. De his ergo per ordinem videndum est.

§. I. De continua attentione mentis in oratione.

2. QVantum ad *primam* quæstionem arguitur, quod de necessitate debita orationis sit *continuatio mentalis attentionis:* quia (secundum Damascenum) *oratio est ascensus mentis in Deum*; Vbi autem non est attentio, non est ascensus in Deum: imo ille, qui non attendit ad id, quod orat, videtur deridere Deum: sicut & si quis alicui homini loqueretur, & non attenderet ad illud quod proferret. Vnde Basilius dicit, quod est diuinum auxilium implorandum, ne remisse & mente huc illuc vagante oratio

oratio fiat: eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed & magis Deum irritabit. Sed in contrarium arguitur: quia sancti viri in oratione quandoque euagationem mentis patiuntur, iuxta illud supra allegatum: *Cor meum dereliquit me.* igitur &c.

Pro responsione sciendũ est PRIMO, aliquid requiri seu necessarium ad aliud dupliciter: *Vno modo*, per quod melius peruenitur ad finem: & sic attentio orationi necessaria est; *Alio modo*, dicitur aliquid necessarium, sine quo res non potest consequi suum effectum. Triplex autem est effectus orationis sine finis.

3. *Primus* quidem communis omnibus actibus charitate formatis, quod est *mereri*: & quantum ad hunc effectum, siue finem, non de necessitate requiritur, quod attentio sit continua per totam orationem; sed virtus primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut & in aliis meritoriis actibus contingit.

Secundus autem orationis effectus, & ei proprius, est, *impetrare*: & ad hunc etiam sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec est meritoria nec impetratiua: & ad hunc intellectum dicit Gregorius: *Illam enim orationem Deus non audit, cui ille, qui orat, non attendit.*

Tertius autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam *spiritualis refectio* mentis. & ad hoc requiritur in oratione continua attentio: vnde de hoc fructu dicit Apostolus 1. Corynt. 14. *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.*

4. Hic

4. Hic tamen notandum est SECVNDO, quod orationi vocali triplex potest attentio adhiberi: *Vna*, qua attenditur ad *verba*, ne in eis erretur; *alia*, qua attenditur ad *sensum*, qui per verba significatur; *tertia*, qua attenditur ad *finem orationis*, scilicet, *ad Deum*, in quem per orationem spiritualiter ascenditur; & *ad rem* pro qua oratur; & ista est maximè necessaria; & eam habere possunt etiam idiotæ; Et quandoque (vt dicit Hugo de S. Victore) in tantum abundat hæc attentio, qua mens in Deum fertur, vt etiam omnium aliorum mens obliuiscatur.

5. TERTIO, notandum est, quod duplex est mentis euagatio: *vna*, quæ fit *ex proposito*, & hæc est peccatum, & impedit orationis fructum; maximè si euagetur mens ad aliquid quod est peccatum, vel fini orationis contrarium. *Alia* est euagatio mentis, quæ fit *præter propositum*; & hæc orationis fructum non tollit. Vnde Basilius dicit; si vero debilitatus à peccato, fixè nequis orare: quantumcunque potes teipsum cohibeas, & Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, vt oportet, assistere coram eo. Vnde mens humana propter infirmitatem naturæ lapsæ diu in alto stare non potest, quia pondere humanæ fragilitatis ad inferiora deprimitur: & inde contingit, quod ipsa, dum orando in Deum ascendit per contemplationem, subito euagatur per quandam fragilitatem; & hoc non est peccatum: quia non ex electione, sed ex naturali fragilitate procedit. Et per ista patet responsio ad istud primum dubium.

§ II. De

§. II. De diuturnitate orationis; an diu, & quamdiu debeamus orare.

6. QVantum ad secundum quæstionem, arguitur primò, quod oratio vocalis non debeat esse diuturna, quia Math 6. dicitur, *Orantes nolite multum loqui:* & ibidem Christus modum orandi præfixit breuem, & sine verborum prolixitate, per institutionem orationis Dominicæ. Ergo non videtur licitum vltrà orationem protendere, nec terminos à Deo præfixos transcendere, quod prohibetur Exodi 17. Sed contrà esse videtur, quod dicitur Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere;* & 1. ad Thessal. 5. *Sine intermissione orate.*

7. Pro responsione, PRIMO notandum est, quod duplex est oratio, scilicet, communis, & singularis. *Communis*, quæ per ministros ecclesiæ in persona populi Deo offertur, & talis debet esse vocalis, vt populo, pro quo fit, innotescat. Oratio verò *singularis* est quæ fit à singulari persona quacunque, siue pro se, siue pro aliis, & de tali non est necesse quod sit vocalis. Hoc tamen est expediens tribus de causis. *Primò*, ad excitandum sanctum desiderium, & interiorem deuotionem, qua mens eleuatur in Deum: vnde Augustinus ad Probam dicit, quod verbis & aliis signis ad augendum sanctum desiderium nos ipsos acriùs excitamus, & ideo huiusmodi vocibus & signis tantum est vtendum, quantum sufficit ad mentem excitandam.

tandam. Si verò mens per hoc distrahatur, vel qualitercunque impediatur, à talibus est cessandum: quod præcipuè illis conuenit, quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter deuota, iuxta illud psalmi, *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea.* Vnde 1. Regum 1. legitur, quod *Anna loquebatur in corde suo.*

Secundo conueniens est vox in oratione, quasi ad redditionem debiti cultus: vt scilicet homo seruiat Deo secũdum totum illud quod habet ab eo; id est, non solum mente, sed etiam corpore. Et hoc conuenit orationi maximè secundum quod est satisfactoria: vnde dicitur Oseæ vltimo, *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Tertio vtilis est vocalis oratio, quasi ex quadam redundantia lætitiæ animæ in corpus: iuxta illud psalmi, *Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.*

8. SECVNDO notandum est, quod dupliciter potest intelligi continuatio seu diuturnitas orationis: *Vno modo*, secundum seipsam: *alio modo* secundum causam; Causa autem orationis est desiderium charitatis ex quo procedere debet oratio: quod debet in nobis esse continuum vel actu vel habitu; manet enim habitus seu virtus huius desiderij in omnibus; quæ ex charitate facimus, iuxta illud, 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Et quantum ad hoc oratio debet esse continua: vnde dicit Augustinus ad Probam, In ipsa fide spe & charitate continuato desiderio semper oramus. Sed ipsa oratio secundum seipsam considerata non potest esse continua, quia oportet aliis operi-

bus

bus occupari; & (ſicut ibidem dicit Auguſtinus) ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogámus Deum, vt illis rerum ſignis noſipſos admoneamus; & quantum in hoc deſiderio profecerimus nobiſipſis innoteſcamus, & ad hoc augendum noſipſos acriùs excitemus.

9. TERTIO notandum eſt, quod quia vniuſcuiuſque rei quantitas debet eſſe proportionata fini, (ſicut potionis quantitas proportionatur ſanitati;) ideo vtile eſt vt oratio tam ſit diuturna, quantum expedit ad excitandum interioris deſiderij feruorem. Cum vero hanc menſuram excedit, ita quod ſine tædio prolongari non poſsit, non eſt vlterius oratio protelanda. Et Auguſtinus vbi ſuprà, approbat conſuetudinem quorundam fratrum in Ægypto, qui crebras dicuntur habere orationes, ſed tamen breuiſsimas, & raptim quodammodo iaculatas: ne ſcilicet per productiores moras euaneſcat deuotio, atque hebetetur attentio. Et ſicut hoc eſt obſeruandum in oratione ſingulari per comparationem ad intentionem orantis: ſic & in oratione communi per comparationem ad deuotionem populi aſtantis.

10. Ad rationem oppoſitam dicendum eſt, quod in oratione multa loquutio prohibetur: ſed (ſecundum quod exponit Auguſtinus ad Probam) *multum loqui* orando, eſt rem non neceſſariam ſuperfluis agere verbis; Nam & de Chriſto legitur, quod *pernoctauerit in oratione*; & quod *diutius orauerit*: vt ſcilicet nobis præberet exemplum. Licet autem ipſe Chriſtus orationem Dominicam breuem inſtituerit:

non

ueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum &c. Math. 6. Vbi dicit Chrysostomus, quod hoc verbo vetat Christus in conuentu, id est, in publico orare, vt à conuentu videamur: ideoque orando coram aliis nullam nouitatem aut singularitatem facere debemus, per quam homines ad nos peculiarius intuendum moueantur. Nec tamen (vt dicit Augustinus in lib. de serm. Domini in monte) videri inter orandum ab hominibus nephas est: sed ideo hoc agere, vt ab hominibus videaris. hoc enim conuenit hypocritis.

---

§. III. De sancta operatione.

6. TErtia conditio ad debitam orationem requisita, est quod sit *sancta in operatione:* tunc enim sancta est oratio, cum ex bonis operibus sanctificatur. Vnde dicit Scriptura, *Bona est oratio cum eleemosyna & ieiunio.* Tobiæ 12. nam inter cætera opera virtuosa, hæc duo, scilicet, ieiunium & eleemosyna, orationem faciunt sanctam & Deo acceptam: Ideo dicit Isidorus, qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, scilicet orationem & ieiunium. Sicut autem hæc, & alia bona opera orationem sanctificant: sic opera mala eam commaculant, & Deo displicentem efficiunt; vnde dicit Dominus per Prophetam: *Cum multiplicaueritis orationes, non exaudiam: manus enim vestra sanguine plena sunt.* Isaiæ 1. id est, opera vestra peccatis maculata sunt.

7. Iuxta quod quæri potest, *vtrum orationes pecca-*

peccatorum aliquid impetrent apud Deum? Et videtur quod non, quia Ioannis 9. dicitur, *Scimus quia peccatores Deus non audit*; & Prouerb. 28. *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Sed contrà hoc dicit Augustinus super Ioannem, *Si peccatores non exaudiret Deus, frustrà publicans dixisset, Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Chrysostomus dicit super Mathæum, *Omnis, qui petit, accipit*, id est, *siue sit iustus, siue peccator.* Ad hoc igitur dicendum est, quod in peccatore duo sunt consideranda, scilicet, natura, quam diligit Deus; & culpa, quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit, inquantum peccator, id est, secundum desiderium peccati, hoc à Deo non exaudietur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam: dum scilicet Deus permittit hominem amplius ruere in peccatum. *Deus enim* (vt dicit Augustinus) *quadam negat propitius, quadam concedit iratus.* Si verò oratio peccatoris ex bono desiderio naturæ procedit, Deus ipsam audit: non quidem ex iustitia, quia peccator hoc non meretur; sed ex pura misericordia: Obseruatis tamen quatuor conditionibus, scilicet, *vt pro se petat, & necessaria ad salutem, & pie, & perseueranter*; de quibus postea dicetur.

8. Ad illud verò, quod primo obiicitur, dicendum est, quod (sicut dicit Augustinus super Ioannem) illud verbum est cæci nondum illuminati, & ideo non est tenendum in scriptura dici sicut assertiuè dictum, sed sicut recitatum: Potest tamen verificari, si intelligatur de peccatore, inquantum est peccator; & sic etiam,

 iuxta

iuxta aliam autoritatem obiectam, oratio peccatoris (vt peccator est) est execrabilis.

§. IV. De fiducia expectationis.

QVarta conditio ad debitam orationem requisita, est, quod sit *certa in expectatione:* tunc enim efficaciter oramus, cum firmam fidem, & certam spem habemus obtinendi, & impetrandi, quod petimus. Vnde Iacobi 1. dicitur, *Postulet autem cum fide nihil hæsitans.* Et hanc certam fiduciam obtinendi illud, quod oramus, nobis dedit Christus, cum dicit, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ioan. 16. Illud vero, *In nomine suo,* id est, in nomine Iesu petere, intelligimur, quod ad salutem pertinet, quia *Iesus* hebraice, latine *saluator* interpretatur. Vel illud in nomine suo petimus, quod ipse petere præcipit: vel in quo voluntatem nostram suæ voluntati conformamus, & tunc securè petere possumus. Vnde Augustinus: Cum illa, quæ Deus præcipit, petitis, securè petite, quia propitio Deo conceduntur: sed cum petitis temporalia, cum modo petite, & cum timore illi committite, vt si prosit, det, si scit obesse, non det. Quid enim prosit vel obsit, nouit medicus non ægrotus. Sicut namque contingit, quod ægrotus sæpe petit, non illud, quod est sibi sanum, sed contrarium: & tunc bonus medicus non dat ei, quod petit; ægrotus vero, si sit bonæ obedientiæ, voluntatem suam medico subiicit: sic debemus facere Deo, & tunc dat nobis quod est vtile. Vnde 1. Ioan. 5. dicitur;

dicitur; *Si petierimus secundum voluntatem eius, dabit nobis.*

Sed contra hoc dubitari potest, quia aliqui iusti in gratia existentes, & debito modo orantes petunt vt beatitudinem assequantur, & tamen non exaudiuntur: sicut patet de præscitis & reprobis in gratia existentibus, & orationem Dominicam dicentibus. Ergo sic orantes non habent certam expectationem de illo quod orant: quia certitudo non est de falso. Ideo ad orationem debitam non videtur necessaria ista quarta conditio.

Ad hoc dicendum, est, quod certa expectatio obtinendi illud, quod in oratione petimus, non est intelligenda categoricè & simpliciter; sed cõditionaliter: scilicet, si nõ per nos stet, ita quod ad hoc obicẽ non ponamus: & isto modo etiam habere debemus fiduciam de beatitudine, scilicet, si in bonis meritis perseueremus. Et sic intelligi potest illa eius descriptio, spes est certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis prouenìens. & hęc de secundo principali.

Quæstio III. De quantitate & perfectione orationis.

1\. QVantum ad tertium principale, in quo videndum est de *quantitate orationis & eius perfectione*, sciendum est, quod orationis perfectio principaliter consistit in mente, eius autem effectus apparet in voce, iuxta illud Psal. *Voce mea ad Dominum clamaui.* Profectus

autem vtriusque, scilicet tam mentalis quam vocalis orationis, est, in mercede: Vnde dicitur in Psal. *Et oratio mea in sinu meo conuertetur.* Et ideo quantitatem perfectionis in oratione in tribus possumus considerare. *Primo* in mentis affectu; *Secundo* in vocis effectu; *Tertio* in mercedis profectu. Et iuxta hæc tria possumus hic triplicem quæstionem tractare. *Prima* erit de quantitate orationis quantum ad mentis affectum: vtrum scilicet ad debitam & perfectam orationem requiratur mentis attentio continua. *Secunda* erit de quantitate orationis, quantum ad vocis effectum; vtrum scilicet oratio vocalis debeat esse diuturna. *Tertia* quantum ad mercedis profectum; Vtrum oratio tanti boni, quantum petitur, sit meritoria. De his ergo per ordinem videndum est.

---

§. I. De continua attentione mentis in oratione.

2. QVantum ad *primam* quæstionem arguitur, quod de necessitate debita orationis sit *continuatio mentalis attentionis:* quia (secundum Damascenum) *oratio est ascensus mentis in Deum*; Vbi autem non est attentio, non est ascensus in Deum: imo ille, qui non attendit ad id, quod orat, videtur deridere Deum: sicut & si quis alicui homini loqueretur, & non attenderet ad illud quod proferret. Vnde Basilius dicit, quod est diuinum auxilium implorandum, ne remisse & mente huc illuc vagante

oratio

oratio fiat: eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed & magis Deum irritabit. Sed in contrarium arguitur: quia sancti viri in oratione quandoque euagationem mentis patiuntur, iuxta illud supra allegatum: *Cor meum dereliquit me.* igitur &c.

Pro responsione sciendũ est PRIMO, aliquid requiri seu necessarium ad aliud dupliciter: *Vno modo*, per quod melius peruenitur ad finem: & sic attentio orationi necessaria est; *Alio modo*, dicitur aliquid necessarium, sine quo res non potest consequi suum effectum. Triplex autem est effectus orationis sine finis.

3. *Primus* quidem communis omnibus actibus charitate formatis, quod est *mereri*: & quantum ad hunc effectum, siue finem, non de necessitate requiritur, quod attentio sit continua per totam orationem; sed virtus primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut & in aliis meritoriis actibus contingit.

Secundus autem orationis effectus, & ei proprius, est, *impetrare*: & ad hunc etiam sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec est meritoria nec impetratiua: & ad hunc intellectum dicit Gregorius: *Illam enim orationem Deus non audit, cui ille, qui orat, non attendit.*

Tertius autem effectus orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam *spiritualis refectio* mentis. & ad hoc requiritur in oratione continua attentio: vnde de hoc fructu dicit Apostolus 1. Corynt. 14. *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.*

4. Hic

4. Hic tamen notandum est SECVNDO, quod orationi vocali triplex potest attentio adhiberi: *Vna*, qua attenditur ad *verba*, ne in eis erretur; *alia*, qua attenditur ad *sensum*, qui per verba significatur; *tertia*, qua attenditur ad *finem orationis*, scilicet, *ad Deum*, in quem per orationem spiritualiter ascenditur; & *ad rem* pro qua oratur; & ista est maximè necessaria; & eam habere possunt etiam idiotæ; Et quandoque (vt dicit Hugo de S. Victore) in tantum abundat hæc attentio, qua mens in Deum fertur, vt etiam omnium aliorum mens obliuiscatur.

5. TERTIO, notandum est, quod duplex est mentis euagatio: *vna*, quæ fit *ex proposito*, & hæc est peccatum, & impedit orationis fructum; maximè si euagetur mens ad aliquid quod est peccatum, vel fini orationis contrarium. *Alia* est euagatio mentis, quæ fit *præter propositum*; & hæc orationis fructum non tollit. Vnde Basilius dicit; si vero debilitatus à peccato, fixè nequis orare: quantumcunque potes teipsum cohibeas, & Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, vt oportet, assistere coram eo. Vnde mens humana propter infirmitatem naturæ lapsæ diu in alto stare non potest, quia pondere humanæ fragilitatis ad inferiora deprimitur: & inde contingit, quod ipsa, dum orando in Deum ascendit per contemplationem, subito euagatur per quandam fragilitatem; & hoc non est peccatum: quia non ex electione, sed ex naturali fragilitate procedit. Et per ista patet responsio ad istud primum dubium.

§. II. De

§. II. De diuturnitate orationis, an diu, & quamdiu debeamus orare.

6. QVantum ad secundum quæstionem, arguitur primò, quod oratio vocalis non debeat esse diuturna, quia Math. 6. dicitur, *Orantes nolite multum loqui:* & ibidem Christus modum orandi præfixit breuem, & sine verborum prolixitate, per institutionem orationis Dominicæ. Ergo non videtur licitum vltrà orationem protendere, nec terminos à Deo præfixos transcendere, quod prohibetur Exodi 17. Sed contrà esse videtur, quod dicitur Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere*; & 1. ad Thessal. 5. *Sine intermissione orate.*

7. Pro responsione, PRIMO notandum est, quod duplex est oratio, scilicet, communis, & singularis. *Communis*, quæ per ministros ecclesiæ in persona populi Deo offertur, & talis debet esse vocalis, vt populo, pro quo fit, innotescat. Oratio verò *singularis* est quæ fit à singulari persona quacunque, siue pro se, siue pro aliis, & de tali non est necesse quod sit vocalis. Hoc tamen est expediens tribus de causis. *Primò*, ad excitandum sanctum desiderium, & interiorem deuotionem, qua mens eleuatur in Deum: vnde Augustinus ad Probam dicit, quod verbis & aliis signis ad augendum sanctum desiderium nos ipsos acriùs excitamus, & ideo huiusmodi vocibus & signis tantum est vtendum, quantum sufficit ad mentem excitandam.

tandam. Si verò mens per hoc distrahatur, vel qualitercunque impediatur, à talibus est cessandum: quod præcipuè illis conuenit, quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter deuota, iuxta illud psalmi, *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea.* Vnde 1. Regum 1. legitur, quod *Anna loquebatur in corde suo.*

Secundo conueniens est vox in oratione, quasi ad redditionem debiti cultus: vt scilicet homo seruiat Deo secũdum totum illud quod habet ab eo; id est, non solum mente, sed etiam corpore. Et hoc conuenit orationi maximè secundum quod est satisfactoria: vnde dicitur Oseæ vltimo, *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Tertio vtilis est vocalis oratio, quasi ex quadam redundantia lætitiæ animæ in corpus: iuxta illud psalmi, *Lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea.*

8. SECVNDO notandum est, quod dupliciter potest intelligi continuatio seu diuturnitas orationis: *Vno modo*, secundum seipsam: *alio modo* secundum causam; Causa autem orationis est desiderium charitatis ex quo procedere debet oratio: quod debet in nobis esse continuum vel actu vel habitu; manet enim habitus seu virtus huius desiderij in omnibus; quæ ex charitate facimus; iuxta illud, 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Et quantum ad hoc oratio debet esse continua: vnde dicit Augustinus ad Probam, In ipsa fide spe & charitate continuato desiderio semper oramus. Sed ipsa oratio secundum seipsam considerata non potest esse continua, quia oportet aliis operi-

bus

bus occupari; & (ſicut ibidem dicit Auguſtinus) ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis noſipſos admoneamus; & quantum in hoc deſiderio profecerimus nobiſipſis innoteſcamus, & ad hoc augendum noſipſos acriùs excitemus.

9. TERTIO notandum eſt, quod quia vniuſcuiuſque rei quantitas debet eſſe proportionata fini, (ſicut potionis quantitas proportionatur ſanitati;) ideo vtile eſt vt oratio tam ſit diuturna, quantum expedit ad excitandum interioris deſiderij feruorem. Cum vero hanc menſuram excedit, ita quod ſine tædio prolongari non poſsit, non eſt vlterius oratio protelanda. Et Auguſtinus vbi ſuprà, approbat conſuetudinem quorundam fratrum in Ægypto, qui crebras dicuntur habere orationes, ſed tamen breuiſsimas, & raptim quodammodo iaculatas: ne ſcilicet per productiores moras euaneſcat deuotio, atque hebetetur attentio. Et ſicut hoc eſt obſeruandum in oratione ſingulari per comparationem ad intentionem orantis: ſic & in oratione communi per comparationem ad deuotionem populi aſtantis.

10. Ad rationem oppoſitam dicendum eſt, quod in oratione multa loquutio prohibetur: ſed (ſecundum quod exponit Auguſtinus ad Probam) *multum loqui* orando, eſt rem non neceſſariam ſuperfluis agere verbis; Nam & de Chriſto legitur, quod *pernoctauerit in oratione*: & quod *diutius orauerit*: vt ſcilicet nobis præberet exemplum. Licet autem ipſe Chriſtus orationem Dominicam breuem inſtituerit:

non

non tamen hoc fecit, quasi illis solum verbis vti debeamus orando: sed quia quibuscunque verbis vtamur, ad illa sola impetranda tendere debet nostræ orationis intentio. Ad autoritates autem post oppositum dicendum est; quod aliquis semper & sine intermissione dicitur orare, & nunquam deficere vel propter continuitatem desiderij charitatis actu, seu habitu vt dictum est; vel quia non intermittit quin debitis & statutis temporibus oret, & sic patet ad secundum dubium.

---

§. III. De merito orationis, & exauditione.

XI. QVantum ad tertiam quæstionem, arguitur, quod oratio non semper tantum meretur, quantùm per eam petitur: quia Paulus, licet sanctus esset, orauit à se remoueri stimulum carnis, & tamen hoc obtinere non meruit. Sed oppositum tamen videtur, ex illo dicto Christi, *Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16.

Pro responsione notandum est, quod oratio duplicem habet virtutem, respectu futuri profectus, scilicet, virtutem merendi, & virtutem impetrandi. Oratio autem, sicut & quilibet actus meritorius, habet *efficaciam merendi*, inquantum procedit ex radice charitatis; *efficaciam* autem *impetrandi* habet ex radice diuinæ liberalitatis, quia Deus ideo nos ad petendum inducit, vt det liberaliter. Vnde Augustinus dicit,

cit, libro de verbis Domini, *Non nos hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet*. Et Chrysostomus super Mathæum, *Nunquam orandi beneficia denegat, qui vt orantes non deficiant sua pietate instigat.*

12. Secundò notandum est, quod meritum orationis, quandoque ad aliud principaliter respicit, quàm ad illud quod petitur: quia meritum orationis principaliter respicit beatitudinem, petitio autem orationis quandoque directè respicit ad aliqua alia. Si ergo illud, quod aliquis petit orando, non sit beatitudo, vel ad beatitudinem vtile, non meretur illud; sed quandoque sic orando meritum amittit, scilicet, si petat complementum alicuius peccati; & hoc non est piè orare. Si vero illud quod petitur non est necessarium ad salutem, nec manifeste saluti contrarium: tunc licet orans possit orando mereri vitam æternam, quandoque tamen non meretur obtinere illud quod petit. Vnde Augustinus in libro sententiarum Prosperi, *Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur: quid enim infirmo sit vtile, magis nouit medicus, quam ægrotus.* Et propter hoc Paulus non est exauditus, petens amoueri stimulum carnis, quia non expediebat. Si autem illud, quod petitur, sit vtile ad beatitudinem hominis, quasi pertinens ad eius salutem, meretur illud, non solùm orando, sed etiam alia opera meritoria faciendo: & ideo accipit quod petit, sed tamen quando debet accipere. Quædam autem non negantur, sed vt congruo dentur tempore, differuntur; vt dicit Augustinus

super

super Ioannem. Quia tamen hoc impediri potest, si in petendo non perseueret; ideo ad hoc oportet quod perseueranter oret. Et propter hoc dicit Basilius: *Ideo quandoque petis, & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel quia destitisti.* Sed adhuc hoc potest impediri, si non pro se petat, sed pro alio, ex eo, quod homo non potest mereri alteri de condigno vitam æternam, nec illa quæ ad eam pertinent: propter quod non semper exauditur, qui pro alio orat. Vnde Augustinus super illud Ioan. 11. *Siquid petieritis Patrem in nomine meo*. dicit: *Exaudiuntur omnes pro seipsis, non autem pro omnibus: ideo non vtcunque dictum est, dabit; sed dabit vobis.* Et idcirco, *pro se orare*, ponitur conditio quarta ad hoc, requisita, vt oratio exaudiatur. Non quasi conditio requisita ad effectum merendi, sed sicut necessaria ad efficaciam impetrandi. Nam quandoque contingit quod oratio pro alio facta non impetret, etiamsi fiat pie, & perseueranter, & de pertinentibus ad salutem: scilicet, propter impedimentum quod est ex parte eius, pro quo oratur; iuxtà illud Hieremiæ 15. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Nihilominus tamen meritoria est oratio oranti, qui ex charitate pro alio orat; iuxtà illud, *Et oratio mea in sinu meo conuertetur.* vbi dicit glossa, *etsi eis non prosint, ego tamen non sum frustratus mea mercede.* Ex prædictis ergo colliguntur quatuor conditiones, quibus concurrentibus. semper aliquis impetrat quod petit, scilicet, *si pro se petat, & necessaria ad salutem, & pie, & perseueranter.*

23. Tertio

13. Tertio notandum est quod *pie* petere vel orare, non importat quod oratio ex habitu pietatis, seu virtutis fiat: sicut apud Aristotelem, iuste agere importat agere ex habitu iustitiæ, propter quod dicit, quod aliud sit *iustè* agere, aliud, *iustum* agere; nam isto modo non posset peccator pie orare, qui non haberet charitatis habitum, quæ est virtus pietatis, (vt dicit glossa 2. Timot. 5. super illud, *Habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*;) cuius contrarium supra dictum est. Nec etiam pie orare solùm importat petere aliquid ad pietatem pertinens: quia sic pie orare, includeret petere pertinentia ad salutem, atque ita non essent conditiones distinctæ. Sed vltra illud importat, quod procedat ex pio desiderio: & sic potest etiam peccator pie orare: sicut iniustus carens habitu iustitiæ potest iustum velle, & ex iusto desiderio. Sic ergo, quamuis peccatorum oratio non est æternæ vitæ meritoria: tamen illis quatuor conditionibus obseruatis, potest esse impetratiua; quia meritum, quodammodo innititur iustitiæ; impetratio autem innititur misericordiæ; quamuis tamen vtraque sit ex libera acceptatione, & gratuita liberalitate diuina. Licet ergo peccator orando non mereatur gratiam; quia nec oratio, nec aliquis actus est meritorius sine gratia gratum faciente: tamen oratio quandoque impetrat gratiam gratum facientem, iuxta illud Lucæ 11. *Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se*. Hæc tamen impetratio procedit ex aliqua gratia, quasi ex gratuito dono: quia, (vt dicit Augustinus in libro de perseuerantia)

etiam

etiam ipsum orare est quoddam donum Dei. Et per ista patet responsio ad tertium dubium. Et hæc sufficiunt ad præsens de oratione, ex doctrina sanctorum breuiter recollecta.

EIVSDEM REVERENDMI D. PETRI ALLIACENSIS CARDINALIS ET APOSTOL. SEDIS LEGATI, ORATIONIS DOMINICÆ, Anagogica expositio:

Scripta Basileæ anno 1414. die 6. Iulij.

Pater noster qui es in cælis.

O *Pater*, qui spirituales filios generas per viuificantem charitatiui amoris propagationem: vtinam mihi misero, sic tuæ amorosæ charitatis geminæ gratiam infundas, vt filius tãti Patris efficiar. O *noster*, qui te nobis dare non cessas per largissimam tuæ bonitatis diffusionem, vtinam per intimam ardentissimi amoris adhæ-

adhæsionem verè tuus dic: merear. O *qui es in cælis*, id est, in sanctis per specialem tuæ gratificæ illustrationis habitationem, vtinam miserabilis anima mea, tibi sit cælum clarum ac nitidum, ac variis virtutum sideribus adornatum, vt tuæ sanctæ habitationis dignus hospes inueniar.

Sanctificetur nomen tuum.

O sancte Pater, vtinam sanctum nomen tuum, quod est Pater, huiusque sancti nominis vera cognitio sanctificatur, id est, sine terra, vel obscuritate terrena in me clarificetur: quod vtique fiet, quum hospitium miserabilis animæ meæ, mirabilis flammæ tuæ ardore & ardentissimi amoris tui flamma succensum, à terrenis fecibus, fœdisque obscuritatibus purgabitur.

Adueniat regnum tuum.

Heu me miserum! heu miserabile regnum meum! heu desolatum & diuisum regnum animæ meæ! in quo sæpe habitare & regnare vult, nunc superbia, nunc inuidia, nunc auaritia, nunc luxuria, aliorumque vitiorum hostilis rabies. Sed nolo regnare in me quicquam, nisi te ô rex omnipotens. Ideo desidero vt adueniat regnum tuum: vt contrà regnum meum, quod est regnum peccati & miseriæ; adueniat regnum tuum, quod est virtutis & gratiæ; & tandem regnum tuum quod erit fœlicitatis & gloriæ. Tunc autem in me vere regnabis, si in hospitium animæ meæ per inhabitationem amoris vehementis adueneris.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.

O Rex regum, ô iuste Iudex omnium, qui non

non nisi iustè vis, & quicquid vis, potenter efficis: vtinam voluntas tua, id est, voluntatis tuæ præceptum, sicut fit in cælo, sic fiat in terra: hoc est, sicut in cælo ab Angelis, & beatis Spiritibus, sic in terra ab hominibus impleatur. Tunc autem implebitur in me, si sic diligam te, vt indissolubilis amoris glutino tibi vnitus adhæream: & abiectis contrariis voluntatibus, tuæ soli iustissimæ voluntati consentiam.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

O Pater æternæ, da filiis tuis panem tuum æternum, & fac de pane tuo æterno panem ipsis quotidianum. Da nobis *hodie*, in hoc miserabili tempore, vnde tandem pascamur in illa mirabili æternitate. Dabis autem hunc panem, si tui perfecti amoris dulcem dederis refectionem. O vtinam hoc pane, quo in patria viuunt Angeli, & animæ beatæ, in huius miserabilis vitæ via merear refici: & de micis comedere quæ cadunt de mensa Domini mei. Da mihi, Domine, da mihi seruo tuo hunc panem *hodie*, hoc est, sine dilatione: quia verè inquietum est cor meum, donec reficiatur hoc cælesti pane. Nec immerito: quoniam ideo quotidianum dicitur, quia qnanto plus comeditur, tanto per quotidianum desiderium ampliùs appetitur.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

O piissime ac misericordissime Pater; dimittes vtique nobis filiis tuis debita & peccata nostra, si nos ob amorem tui, Patris nostri, dimiserimus debitoribus nostris, fratribus nostris peccata sua. O vtinam hoc in me fieri

notitia

notitia experimentali mentaliter ſentiam: quod omnino eſſe non poteſt, niſi te multùm ardenter diligam; vt de me verum ſit, quod à te dictum eſt, *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Et ne nos inducas in tentationem.

O bone Deus, qui bonorum inſpirator, & intentator malorum es, vtinam non me inducas, id eſt, induci permittas in malæ tentationis conſenſum; quod vtique per me à te eſſe impetrandum, non in mea, ſed in tua virtute ſecurus fideliter confido; ſi tibi per amorem intimum firmiter adhæream.

Sed libera nos à malo.

Non ſolum à malo præteritorum debitorum, non ſolum á malo præſentium tentationum: ſed etiam á malo futurarum pœnarum; nec ſolùm à malo pœnę inferni, ſed & purgatorij. Da mihi, Domine, hoc petere, non tam formidine pœnæ, quam virtutis amore. Da mihi hoc appetere, non tam timore pœnalis afflictionis, quam deſiderio tuæ facialis viſionis. Da vt non tantum timeam pœnarum tormenta, quantum perditionis aut prolongationis tuæ finalis fruitionis detrimenta. O vtinam flamma amoris tui hoc in me efficiat; vtinam peccatorum meorum rubiginem ſic exurat, vt in mortis exitu ſpiritus meus penitus expurgatus, ſine vlla dilatione ad te diu deſideratum aſcendat; & ſic liberatus ab omni malo, frui valeat ſummo bono: quod tu præſtare digneris, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

EIVSDEM D. CARDINALIS PETRI DE ALLIACO MEDITATIO DEVOTA IN SALVTATIONEM ANGELICAM,

scripta Basileæ anno 1414. Iulij 12.

COGITANTI mihi, sanctissima virgo-mater Maria, Mater non cuiuscunque sed Dei, mater vnigeniti & coæterni Dei Patris Filij; cogitanti mihi peccatori, tuo tamen, licet indigno, seruitori; & desideranti animo cupienti ad laudem tuam aliquid dicere; stupet mens mea ad hoc inualida, nec habet indigna lingua mea tuis dignissimis auribus verba digna; ideo merito non mea, sed Angelica verba tibi profero, dicens:

Aue Maria Gratia plena, Dominus tecum.

O beata mater, & intacta virgo, quid sacræ aures tuæ audire possunt iucundius, quid recipere suauius, quid benignius acceptare, quam verba hæc angelica? quibus gratissime salutaris; *Aue*; quibus dignissime commendaris, *gratia plena*;

plena; quibus dulcissime consolaris, *Dominus tecum.* O igitur verba gratissima, verba dignissima, verba dulcissima, merito deuotis cordibus inscribenda, piis vocibus depromenda, tuis quoque clementissimis auribus à nobis, licet peccatoribus humiliter proferenda, & cum infatigabili deuotione sæpius repetenda.

Audi igitur, ô *clemens* Maria, tuam gratissimam salutationem, *Aue*. Nulla tibi esse potest gratiosior, acceptabiliorue salutatio, eâ, quam Deus per Angelum suum Gabrielem transmisit de cælo. *Aue*, inquit, ô virgo salutifera, quæ Euæ maledictionem in benedictionem transferens, sola esse meruisti sine væ. Meruisti quidem, non tua iustitia, sed diuina gratia, vt sola esses sine væ culpæ venialis & mortalis, & (vt piè creditur) etiam originalis: vt insuper esses sola sine væ miseriæ finalis, hoc est, pœnæ purgatoriæ vel infernalis; vt tibi merito à sponso suo intelligatur illud dictum esse in Canticis, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Per hanc ergo gratissimam salutationem te deprecor, vt mihi seruo tuo impetres gratiam salutarem, vt sic tibi dicam *Aue*, quod per te liberer à væ non solum præsentis culpæ, sed etiam futuræ miseriæ. Amen.

Audi deinde, ô *pia*, Maria, tuam dignissimam commendationem, *gratia plena*. ô quam magna & admiranda Dei dignatio, dignaque virginis commendatio! Ecce à Deo mittitur Angelus ad virginem, ab excelso ad humilem; à Domino ad ancillam, à creatore ad creaturam; cui tamen, non ex creaturæ merito, sed ex creatoris dono, subito dicitur, *gratia plena*. Per hanc igi-

tur gratiæ plenitudinem, per hanc tuam gratuitam dignitatem, tuamque dignissimam commendationem, quam non à te, sed à filio tuo, nuntiante Angelo recepisti, te supplex oro, vt huius plenitudinis gratiæ me participem efficias, & apud filium tuum acceptabilem reddas. Amen.

Audi denique, *ô dulcis Maria*, tuam dulcissimam consolationem, *Dominus tecum*. Magna valde dulcedo, dulcis multum consolatio tibi est, quia gratia plena, plena in corde, plena in ore, plena in opere: sed omnino consolatio dulcissima, non solum tibi, sed toti humano generi, quia *Dominus tecum*; nam & ideo gratia plena es quia Dominus tecum est: Tecum vtique non solum generaliter, vt est in cæteris sanctis; sed tecum specialiter in vtero, vt ex te pro totius generis humani redemptione sibi carnem assumat, & vnus Dei & virginis filius, verus Deus, temporaliter homo fiat. O magnum & admirabile sacramentum! Dominus tecum, non solum Dominus filius, quem carne tua induis; sed Dominus Pater, qui genuit quem concipis, & Dominus Spiritus sanctus, ex quo concipis: qui tuum cum Patre & Filio sanctificat vterum; ipsique pariter in te sic reserant genitale secretum, vt miro modo reseruent virginale signaculum. O totius mundi melliflua dulcedo, salutiferaque consolatio! Per hanc non solum tuam, sed etiam nostram consolationem dulcissimam, te virgo & mater imploro, vt Dominus, qui est tecum per specialem illam assistentiam, esse dignetur mecum per spiritualem gratiam, vt sim tandem secum per

finalem

finalem gloriam. Amen.

Sed præmissæ Angelicæ salutationi, quam nuntius Gabriel, ita conclusit, *benedicta tu in mulieribus*; etiam salutationem sanctæ Elisabeth deuotio Christiana subiungit dicens, *Et benedictus fructus ventris tui*. Hic, ô gloriosa Domina, tria tuæ excellentiæ priuilegia video signanter esse notata. Primo quidem tuam perfectionem singularem, quia *benedicta tu*; Deinde tuam specialem electionem, *in mulieribus*; Postremo, tuam salutarem generationem, quia benedictus fructus ventris tui: ventris vtique virginei, sed diuina humanaque prole fœcundi; ventris denique pro hac materna fœcunditate, in cælo ab Angelis, & in terra ab hominibus venerandi.

Audi igitur, ô regina cæli, & in his verbis lætare, cum audis priuilegia magnifica, quibus cælestis regis magnificentia te dotauit. Audi tuam *perfectionem* singularem, *benedicta tu*; tu singulariter perfecta, quia tu singulariter benedicta; Maledictio Euæ in benedictionem, commutatur Mariæ; imperfectio matris culpæ, in perfectionem matris gratiæ. Audi tuam *electionem* specialem, *in mulieribus*, quia tu specialiter benedicta, ideo specialiter electa es inter omnes, & super omnes mulieres. Multæ filiæ congregauerunt diuitias; multæ mulieres filiæ Euæ congregauerunt speciales gratias: tu supergressa es vniuersas.

Audi tuam *generationem* salutarem, *benedictus fructus ventris tui*; benedicta sit tua generatio salutaris, cuius fructus causa est tuæ & nostræ salutis. Ideo tu benedicta es in mulieri-

bus, quia fructus ventris tui benedictus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula: de cuius benedictionis plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, et si differentiùs à cæteris. Tu ergo benedicta præ cæteris, quia ipse te præuenit in benedictionibus dulcedinis.

Audis hæc, ô benedicta in mulieribus, audis & merito lętaris in his tuis laudibus: nec tamen ex eis superbe extolleris, sed magis magisque humiliaris. Nec te, ô regina cæli, dominam vocas, sed ancillam reputas: respondens ad Angelum tibi de cælo missum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* O magnæ humilitatis responsum! ô humile verbum, per quod in te se humiliauit verbum excelsum; verbum non transitorium, sed æternum; verbum diuinum à patre æternaliter natum, & ex matre temporaliter incarnatum. Et ideo *ecce gratia plena, Dominus tecum.*

Aue virgo beata, aue mater benedicta, aue sine væ Maria; & ideo sine væ, quia gratia plena. Aue plena gratia, non solum creata, sed increata, quia *Dominus tecum.* Tecum Dominus tuus, tecum Filius tuus. Aue benedicta in mulieribus, & ideo benedicta, quia Dominus tecum; non solum Dominus Filius, sed & Dominus Pater, Dominus Spiritus sanctus, hi tres vnus Dominus tecum sunt in corde: sed ille specialiter tecum est in carne, qui est benedictus fructus ventris tui. Aue igitur specialiter benedicta, quia singulariter benedictus est fructus tuus: non solum tuus, sed etiam Dei Patris Filius; qui non solum in te, non solum in tua carne, non solum in tuo ventre, sed vbique est

vnus

vnus verus Deus per omnia loca, & per omnia ſæcula benedictus.

Ad te igitur, ô Maria, ad te ô clariſsima maris ſtella, ad te ego miſerabilis ſeruus tuus in obſcuro huius mundi pelago naufragus confugio, ad te profugus clamo, & per illam Angelicam, ſeu verius diuinam Salutationem; per illam ſaluciferam tuam & fructus ventris tui benedictionem; per illam benedictam tuam & Filij tui humiliationem, te humiliter deprecor, te ſuppliciter oro, vt tantorum meritorum veſtrorum me procures fieri participem; & coram te & filio tuo ita me conſtituas humilem, vt cæleſtium præmiorum veſtrorum me impetres fieri conſortem. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

PETRI DE ALLIACO, EPISCOPI CAMERACENSIS, S. R. E. CARDINALIS, ET APOSTOLICI LEGATI

VERBVM ABBREVIATVM in lib. psalmorum.

PROLOGVS.

VERBVM *abbreuiatum faciet Dominus super terram.* Aptùm ab Isaia propheta transsumptum, de Christo dictum est, qui est verbum Dei æternum: nam *verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, & ideo hoc verbum non est à Deo factum, sed est verbum in quo dixit Deus, & facta sunt omnia.

Et tamen hoc verbum æternaliter infinitum & immensum, abbreuiatum fecit Deus super terram, quando verbum caro factum, id est, Deus homo factus est, assumens carnem terrenam,

nam, quia tunc sub breui carnis clausura, habitauit in nobis: & quem totus non capit orbis, in viscera Virginis matris se clausit factus homo.

Per hoc itaque verbum sic abbreuiatum, omnia verba de Christo dicta, quæ multa, multumque prolixa, atque diffusa, compendiose abbreuiata fuerunt: dum in eo tanquam in breui verbo, plene completa sunt; ipso teste, qui ait: *Necesse est compleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me.*

Nec absque mysterio, postquam dixerat, *in lege Moysi & prophetis*, addidit, *& psalmis*: non quia psalmista è numero prophetarum non fuerit: sed quia tanquam prophetarum eximius; ea quæ in lege Moysi & aliis prophetis de Christo diffusius obscuriusque scripta erant, breuius & clarius prophetauit.

Est ergo liber psalmorum de Christo verbo abbreuiato, quia propheticum verbum abbreuiatum: hoc est, velut breue compendium omnium prophetarum. Propterea liber iste in Christi ecclesia summa cum veneratione legitur: & præ cæteris scripturis propheticis frequentius decantatur.

Hac igitur occasione, vt ij, qui Deo psallunt, in ipso psalmo sensu spiritualis suauitatis saporem vtcunque percipiant: vtile reputaui hoc opusculum componere, quod verbum abbreuiatum voco, quia in eo non ad longum, & per singula verba, psalterium exponere, quod à maioribus factum est; sed sub ea, qua potero, breuitate, singulorum psalmorum titulos, ipsorumque sententias coaptare, coarctareque pro-

posui, & à Doctoribus approbatis dicenda colligere.

TITVLVS PSALTERII.

EST itaque titulus talis, *Incipit liber hymnorum, vel soliloquiorum prophetæ* de Christo. *Liber* dicitur & non libri; contra eos, qui plures psalmorum libros esse dicebant: ipsomet Dauid in persona Christi è contra dicente, *In capite libri scriptum est de me.*

Vnde etiam in Actibus Apostolorum dicitur, *Sicut scriptum est in libro psalmorum.* Licet dici posset, non repugnare plures libros vnum vocari librum. Qui liber *hymnorum* congrue nominatur, quia docet nos laudare Deum, non solum corde, sed voce. Liber quoque *soliloquiorum* dicitur, quia Dauid non exteriori adminiculo facti vel dicti, aut visionis, vel somnij; sed solius Spiritus-sancti instinctu prophetauit, ipso dicente, *Audiam quid loquatur in me Dominus* Propterea *soliloquium* dicitur, quia solius Spiritus-sancti eloquium; vel *soliloquia* dicuntur, quasi sola de Christo eloquia; quia solus Dauid de Christo euidentius prophetauit; adeo vt magis videatur euangelizare, quam prophetare. Ideo dictus est liber soliloquiorum *prophetæ*, sine nominis adiectione, per excellentiam intelligendo Dauid: sicut cum nominatur Apostolus, intelligitur Paulus.

Quod contra illos est, qui dixerunt, plures fuisse psalmorum scriptores: eo quod nomina eorum in titulis habeantur. Sed hoc pro my-

ſteriorum ſignificatione, quæ ex interpretatione nominum percipitur, factum eſſe creditur. Non ergo illi auctores fuerunt pſalmorum: ſed poſitio nominum ſeruit rationi myſteriorum. Tangitur autem huius libri materia, quia dicitur eſſe *de Chriſto*, ſcilicet, in capite & corpore. Quandoque enim agitur de Chriſto ſecundum caput: aliquando ſecundum corpus: aliquando ſecundum vtrumque. De Chriſto vero ſecundum caput agitur tribus modis: aliquando ſecundum diuinitatem, vt ibi, *Tecum principium*; aliquando ſecundum humanitatem, vt, *ego dormiui & ſomnum cœpi*; aliquando per tranſſumptionem, vt aliquando vtitur voce membrorum, ſicut ibi, *Deus tu ſcis inſipientiam meam*.

De Chriſti autem corpore myſtico, ſcilicet eccleſia, etiam tripliciter agitur: aliquando ſecundum perfectos; aliquando ſecundum imperfectos; interdum ſecundum malos, qui ſunt in eccleſia corpore non mente.

De ordine quoque pſalmorum, hoc ſciendum eſt: quod nõ ſunt eo ordine diſpoſiti, quo compoſiti: Neque tamen ſine ratione ita diſpoſiti ſunt: quia Eſdras propheta, qui pſalterium, totamque bibliothecam à Babylonius combuſtam, inſtinctu Spiritus-ſancti reparauit; eo ſpiritu reuelante, pſalmos ita diſpoſuit, eiſdemque titulos appoſuit, qui ſunt quaſi claues pſalmorum. Sicut enim per clauem intratur in domum: ita per congruas expoſitiones titulorum clareſcit ſubiectorum intelligentia pſalmorum.

Illud etiam notandum eſt, quod licet liber pſalmorum vnus eſſe dicatur; tamen per tres

quinquagenas distinguitur; quibus tres status Christianæ religionis designantur: quorum primus est in pœnitentia, secundus in iustitia, tertius in laude diuina. Ideo prima quinquagena terminatur in pœnitentia, ibi, *Miserere mei Deus.* Secunda in iustitia, ibi, *Misericordiam & iudicium cãtabo tibi Domine.* Tertia in laude diuina, ibi, *Omnis spiritus laudet Dominum.* Prima statui incipientium; secunda, statui proficientium; tertia, statui conuenit perfectorum. Et quia de iis agitur in hoc libro, ideo hęc triplex psalmorum fit distinctio.

Hæc ergo circa totum librum aduertenda sunt. Præter hæc autem, in singulis psalmis, quædam specialia consideranda erunt:

PSALMVS PRIMVS.

BEATVS *vir qui non abijt in consilio impiorum* Hic psalmus non habet titulum, quia est caput libri, & totius operis præfatio, & quasi prologus, siue procemium, & de illo agit, qui est omnium principium, scilicet, de toto Christo in capite & corpore: & sic materia huius psalmi eadem est, quæ & totius libri.

Agit ergo primo de Christo, tanquã de beato viro, per beatitudinem nobis blandiens: deinde agit de vltionibus iniquorum, aduersis eos terrens; ibi, *Non sic impij non sic.* De beato autem viro, primò agit, ostendendo eum immunem ab omni peccato: deinde in se plenum omni bono; postea vtilem toti mundo.

Ad ostendendum vero eum immunem ab omni

omni peccato, vtitur similitudine veteris Adæ qui triplici genere peccati deliquit: scilicet voluntate, opere, & consuetudine; quæ iis tribus nominantur verbis, *abijt, stetit, sedit. Abijt* ergo Adam à Deo per peccatum voluntatis, cum persuasioni diaboli & Euæ consensit; *Stetit* per peccatum operis, cum pomum vetitum in peccato delectatus comedit; *Sedit* per peccatum consuetudinis, cum se stultè excusando & culpam in Deum referendo, in superbia, velut in cathedra pestilentiæ confirmatus perseuerauit. Ille ergo primus Adam miser fuit. E contrario vero nouus Adam, *beatus vir*, qui nullo dictorum peccatorum modo *abijt, stetit, aut sedit*: sed vt idem psalmus prosequitur, virtutibus in se plenus: aliis etiam proficiendo, prospere egit; impios autem aduersantes ei, tanquam puluerem à se proiecit.

PSALMVS II.

QVARE *fremuerunt gentes*. Titulus est: *psalmus Dauid*. Dicitur autem iste psalmus, sicut & cæteri, à *psalterio* quodam instrumento musico: quia ad vocem illius instrumenti decantabat Dauid psalmos: ante arcam in tabernaculo Domini. Et bene iuxta spiritualem intelligentiam, ab illo instrumento liber iste nomen sortitur: quia sicut illud instrumentum est decacordum, ita liber iste docet obseruantiam decem mandatorum. Sed *psalmus Dauid* dicitur, non solum quia à Dauid compositus fuit; sed quia de illo loquitur, qui per Dauid

mystice

mystice figuratur; scilicet, de Christo, qui est verè *manu fortis & aspectu desiderabilis*. Attribuitur ergo Christo, vero Dauid, qui hic de seipso rege loquitur, monens vt ei subdamur. Vbi primo persequentes increpat, & eis comminatur: deinde de omnipotenti regno, de inenarrabili genitura, de diuinitate quoque & humanitate eius, multa prosequitur. Postremo iis arcanis patefactis, admonet vt ei ab omnibus humiliter obediatur: quia ei obedientes, & in eo confidentes, beatificabuntur.

Psalmvs III.

DOMINE *quid multiplicati sunt*. Titulus, *psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalon filij sui*. Nota est historia in libro Regum, cui alludit titulus: de qua tamen non agit psalmus, sed de significato mystico literalis historiæ, id est, de Christi passione, & resurrectione. Dauid enim Christus est: Absalon filius eius, Iudas est: quem cum aliis Apostolis Christus filium vocauit; à quo Christus fugit, cum mentem eius deseruit, & cor eius diabolus intrauit. Et sicut Dauid iniquo filio pacem exhibuit, ita Christus Iudæ, & cum amicis conuiuium, & postea pacis osculum dedit. Et sicut Absalon, ita & Iudas suspensus interiit: quo mortuo Christus in pace regnauit, quando in gloria resurrexit.

Est autem intentio huius psalmi redarguere eos (& maxime paganos, & philosophos) qui non putant gloriam maiestatis posse descendere ad infima humilitatis; id est, Deum posse

hominem

hominem fieri, pati, & mori. Et primo proponit duas partes, ad similitudinem prælantium oppositas, & quasi præliando repugnantes: ex vna parte multitudinem persequentium; ibi, *Domine quid multiplicati*. Ex altera Christum oratione armatum, & Deo susceptore securum; ibi, *Tu autem Domine susceptor*. Deinde ostenditur prœlij finis, id est, resurrectio, quæ est consummatio passionis, ibi, *Ego dormiui*.

Potest etiam intelligi iste psalmus, vt loquatur totus Christus, id est, ecclesia cum capite eius inter procellas persecutionum constituta.

Posset insuper moraliter intelligi in persona cuiusque fidelis impugnati à vitiis.

PSALMVS IV.

CVM *inuocarem* Titulus. *In finem psalmus cantici Dauid*. Finis quandoque capitur pro consumptione, vt cum dicitur candela finiri, id est, deficere: quandoque capitur pro consummatione, vt cum dicitur, domus finiri, id est, perfecta esse. In titulis autem psalmorum pro *consummatione* accipitur: & significat Christum, qui est consummatio fidelium in præsenti ad iustitiam, & in futuro ad coronam. Quia verò hic habetur, *psalmus cantici*: Sciendum est, quod quandoque psalmus ante arcam Domini solo instrumento psalterij cantabatur: & tunc dicebatur *psalmus*; quandoque sola voce humana, & vocabatur *canticum*, quandoque instrumento & voce chori, & tunc, quando

instru-

instrumento præcedente & voce sequente, dicebatur *canticum psalmi*; quando vero vox chori præcedebat, & instrumentum sequebatur, vocabatur *psalmus cantici*. Et hac diuersitate vsus est Esdras in titulis. Sicut & Dauid non absque mysterio vsus est prædicto instrumento: *Psalmus*, itaque bonam operationem notat: *canticum* lætitiam mentis habitam de æternis indicat. Vnde dicitur *psalmus*, in quo tantum de bona operatione agitur; *canticum*, in quo de mentis exultatione solum tractatur; *psalmi canticum*, vbi primum de bona operatione postea de mentis iucunditate agitur; *cantici psalmus*, vbi primum de mentis lætitia, postea de bona operatione tractatur; vt hic; prius enim dicit se exauditum, & in tribulatione dilatatum: deinde de pœnitentia & sacrificio iustitiæ loquitur; & ex sic patet sensus tituli. Est autem principalis *intentio* huius psalmi, monere, vt deserantur falsi dij, & vnà temporalia sæculi. Et primo Dauid exemplo sui increpat infideles de falsis diis & falsis bonis; docens in eis non confidere. Deinde, proponens nouum hominem, veterem iubet exuere, ibi, *Et scitote*; Postremo, deposito veteri homine, nos Deo in sacrificium monet offerre ibi, *Sacrificate*, vt de veteri vita transeatur ad nouam vitam.

PSALMVS V.

VERBA *mea*. Titulus, *In finem pro ea quæ consequitur hæreditatem*. Historiæ Genesis alludit,

alludit, vbi legitur Abraham duos filios habuisse, vnum de ancilla, alium de libera; sed eiecta Ancilla de domo cum filio, libera cum filio hæreditatem obtinuit. Verum non de historia, sed de significato agitur in hoc psalmo. Libera enim Sara, quæ non secundum naturam, sed per Dei gratiam peperit; Ecclesiam significat: ancilla vero, synagogam, vel ecclesiam malignantium, quæ Christi ecclesiam persequitur; sed ipsa tandem hæreditatem æternam, aliis exclusis, consequitur. Et sic est sensus tituli, *Psalmus* iste dirigens nos *in finem*, id est, in Christum; vel in æternam fœlicitatem quæ est finis & consummatio omnium bonorum, est *pro illa* libera, id est, pro ecclesia, cui habenda *hæreditas* affirmatur, & à qua æmula, id est, synagoga, vel malorum congregatio, excluditur.

Intentio prophetæ, certificare fideles de hæreditate habenda. Et primò agit de hæreditate, quam in persona ecclesiæ sibi dari petit, & ab ea æmulam excludi asserit: deinde petit auxilium contra ea, quæ æmula ingerit, ibi, *Deduc.* Postremo prœmia bonorum ostendit, ibi, *Et latentur*; vt sicut terret pœna, ita alliciant præmia.

PSALMVS VI.

DOMINE *ne in furore.* Titulus. *In finem psalmus Dauid pro octaua.* Octaua, hic dicitur, dies iudicij: quia omnia tempora septem dierum repetitione voluuntur: post quæ erit

erit illa dies octaua iudicij, quæ nullam habet varietatem.

Psalmus ergo iste monens ad bene agendum propter tremendum iudicium: & dirigens nos *in finem*, id est, in Christum, attribuitur ipsi *Dauid*, id est pœnitenti, qui compositus est *pro octaua*, id est pro metu iudicij, in quo peccator timet argui.

Monet ergo iste psalmus ad pœnitentiam, & est primus septem psalmorum *pænitentialium:* qui, sicut & alij, à lachrimis & amaritudine pœnitudinis incipit, & in certitudine veniæ terminatur. Vnde primo captat beneuolentiam, à persona iudicis: postea exponit ærumnas pœnitentis, ibi, *Laboraui.* Deinde ostendit se protectum, vt separetur à malis, ibi, *Discedite.* Postremo, orat pro inimicis conuertendis, ibi, *Erubescant, & conturbentur.*

PSALMVS VII.

DOMINE *Deus meus*. Titulus, *In finem psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chusi filij Iemini.* Nota est in secundo libro Regum historia, qualiter Dauid persecutionem patiente ab Absalon filio suo, Chusi amicus Dauid cessit in partem Absalon ad explorada consilia: qui secreto mandauit, vt de campestribus Dauid fugeret in solitudinem: & sic eius consilio liberatus; tandem prospere dimicauit. Cui historiæ alludit titulus, de qua tamen non agit psalmus; sed de eius velato mysterio.

Chusi

Chusi namque interpretatur silentium; & filius Iemini dicitur, quia *Iemini*, dextera interpretatur: per quem secretum silentium & latens consilium in Christo absconditum, conuenienter intelligitur. Silentium ideo dicitur filius dexteræ, quia est specialis effectus potentiæ diuinæ, quæ tum vocatur *dextera*, cum aduersa mutat in prospera. Vnde scriptum est, *Hæc est mutatio dexteræ excelsi*. Sic ergo Dauid, per quem significatur Christus, contra Absalon, & Achitofel, per quos Iudas proditor, & Iudæorum populus designantur, dimicauit per verba Chusi, id est, per consilia secreti silentij diuini: quo silentio Deus occultauit Iudæ & Iudæis secretum suæ passionis sacramentum, postea fidelibus reuelandum: pro cuius secreti manifestatione cantat fidelis Domino, ei gratias referendo.

Estque principalis intentio psalmi, monere ad gratiarum actionem, pro manifestatione silentij seu sacri mysterij. Et primo petit ab omnibus persecutionibus liberari: Postea vt subueniat gloria resurrectionis Christi, Ibi, *Exurge*. Deinde terret metu futuri iudicij, Ibi *Deus iudex*; Postremo læta conclusio ponitur, de confessione laudis Dei, Ibi. *Confitebor*.

PSALMVS VIII.

DOMINE *Dominus noster*. Titulus, *In finem psalmus Dauid pro torcularibus*. Ecclesia dicitur *torcular*; eadem ratione, qua dicitur *area*; variis enim similitudinibus eadem res in

in scripturis sæpe designatur. Ideo vero torculari vel areæ comparatur, quia sicut in torculari vina separantur à vinaciis, & in area grana diuiduntur à paleis; quæ tamen necessaria erant vt simul nascerentur, & crescerent, ad maturitatemque peruenirent: sic in ecclesiâ admixtio malorum est cum bonis: In futuro vero separabuntur, cum frumenta recondentur in horreis; paleæ autem igne inextinguibili comburentur.

Est ergo *psalmus David* tendens *in finem*, id est, in Christum, de cuius exaltatione agit, est *pro torcularibus*, id est, *de ecclesijs* per Christum, & per eius Apostolos post ascensionem congregatis: de quarum constitutione & causa constitutionis hic agitur. Vnde principalis intentio prophetæ est, errorem Iudæorum confutare, qui dicunt, Deum tantum in Iudæa esse notum; seu aliorum quorumlibet, dicentium, Deum solum notum esse apud se & suam nationé, cum nomen eius prædicatione Apostolorum notum factum sit in ecclesiis vniuersæ terræ: Primo ergo propheta laudes Christi describit, maiestatem eius, & operationem excelsam: deinde ostendit naturam hominis olim vitiatam, in Christo super omnia exaltatam; Ibi, *Quid est homo*, Ex quibus finaliter concludit, nominis Christi gloriam in vniuersa terra diffusam.

PSALMVS IX.

CONFITEBOR *tibi*. Titulus, *in finem pro occultis filij, psalmus Dauid.* Cum dicitur *filius*, & non dicitur, *cuius*, (sicut hic) per excellentiam intelligitur Christus, qui est vnigenitus Dei Filius: Vel, filius est etiam ipsius Dauid, quia de eo natus. Est ergo *psalmus* iste *Dauid* prophetæ, qui hic loquitur, in persona ecclesiæ dirigens nos *in finem*, id est, in Christum. Et est *pro occultis*, id est, agit de occultis Filij Dei, vel Christi Filij Dauid secundum carnem, scilicet, de occultis iudiciis diuinis: quia principali intentione pertractat, non de iudicio vltimo futuro quod erit manifestum: sed de iudiciis Dei, quæ fiunt in præsenti sæculo, quæ etsi nota sint Deo, tamen hominibus sunt occulta: vt quòd aliqui exerceantur ad purgationem, aliqui inducantur & inspirentur ad conuersionem; aliqui contemnantur & excæcentur ad damnationem. Est ergo intentio prophetæ nos admonere, ne credamus mundum à casu, vel à fato regi; sed iusto iudicio Dei, licet nobis occulto; contra illos, qui de flore malorum, & labore bonorum murmurant: non putantes hoc diuinâ dispositione, sed casu contingere.

Primo itaque propheta lætus psallit, quia cultura diaboli aduentu Christi destruitur: & Christus regnat, iudicat, & adiuuat.

Secundo fideles ex hoc ad laudem Dei prouocat, ibi, *Psallite.*

Tertio

Tertio finem malorum venturum peccatoribus cum Antichristo prædicendo indicat, ibi, *Conuertantur peccatores.*

Quartò mala temporis Antichristi pertractat, quorum nimietate permotus dicit Deo, cur recessisti, ibi, *vt quid Domine.*

Quinto, deprecatur iudicium maturari, & vt sanctorum mala finiantur, exorat, ibi, *Exurge Domine Deus.*

PSALMVS X.

IN *Domino confido.* Titulus, *In finem psalmus David.* Hic loquitur propheta in persona alicuius fidelis, redarguendo hæreticos: & docendo, resistendum esse eis, quando volunt Catholicos ad se trahere, & ad montem suæ altæ & superbæ sapientiæ transmigrare. Et primo eos redarguendo increpat:

Secundo docet quid Deus iustus iudex bonis & malis, Catholicis, scilicet & hæreticis retribuat. Ibi, *Iustus autem quid fecit.*

Vel, potest psalmus iste de Iudæis accipi, vt Christus in passione sua loquatur secundum hominem contra terrores & machinationes Iudæorum.

PSALMVS XI.

SALVVM *me fac.* Titulus, *in finem psalmus Dauid pro octaua.* OCTAVA, sicut supra, hic accipitur pro die iudicij, quem in sexto psalmo

psalmo peccator culpæ conscius timebat, ne ibi puniretur. Hic autem Dauid in persona viri perfecti pro ea orat, vt veniat, & ibi remuneretur. Et primo, petit à sæculi peruersitate saluari: deinde ostendit Christum à Patre missum contra mala sæculi, Ibi, *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum*. Vbi docet Christi eloquia esse vera, sicut impiorum falsa.

PSALMVS XII.

VSQVEQVO *Domine*. Titulus, *in finem psalmus Dauid*: Hic propheta plenus charitate, qua auide Christi incarnationem expectat, in persona antiquorum patrum, quasi de eius dilatione conqueritur: vt superstitione diaboli abiecta vnius Dei cultura suscipiatur. Primo ergo conqueritur de dilatione aduentus Christi: Secundo orat illuminari, ne hunc aduentum expectando, interim cedat fraudibus inimici ibi, *Respice & exaudi me Domine Deus meus*.

Vel etiam potest psalmus iste intelligi, vt loquatur de secundo aduentu Christi, scilicet de aduentu ad iudicium, in persona modernorum sanctorum: Nam sicut antiqui patres primum desiderabant aduentum: sic modo sancti & perfecti cupiunt secundum, iuxta illud, *Cupio dissolui & esse cum Christo*.

PSALMVS XIII.

DIXIT *insipiens.* Titulus, *In finem psalmus Dauid*, facies Dei, id est, Christus, quam in præcedenti psalmo propheta desiderabat videre, hic ostenditur venisse: & à Iudæis contempta fore. Ideo propheta in persona sua, vel Christi increpat insipientiam & duritiam eorum, qui Christo præsenti, quem optauerunt, non credunt. Primo ergo eorum malitia describitur, & increpatur: Secundo eis iudicium comminatur, *Nonne cognoscent;* Tertio, eorum conuersio prædicitur, *Quis dabit ex Syon.*

PSALMVS XIV.

DOMINE *quis habitabit.* Titulus, *psalmus Dauid:* Psalmus iste proprie est morum instructio, & præsumptionis repressio; Nam quia in præsenti ecclesia habitant mali cum bonis: nec hic scire permittimur qui verè sint de vnitate ecclesiæ: ideo quidam, licet indigni, iactant se esse de ecclesia, cum tamen non sint. Illorum ergo præsumptionem retundens propheta, quasi sacerdos ante propitiatorium astans, quærit, qui & in præsenti ecclesiæ tabernaculo digne Deo militent: & in futuro beatitudinis monte requiescent. Et primo ponitur prophetæ interrogatio: deinde subditur Domini responsio, ibi, *Qui ingreditur.*

PSAL.

PSALMVS XV.

CONSERVA *me Domine.* Titulus, *Tituli inscriptio ipsi Dauid.* Iste Titulus, non de veteri testamento, sed de euangelio sumitur: vbi legitur, quod Pilatus Christo crucifixo talem titulum superposuit, *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Vnde Esdras de illius tituli inscriptione, quam per Spiritum sanctum futuram præuidebat, hunc psalmum post intitulauit: ostendens hic agi de regno Christi, illâ inscriptione significato, vt sit sensus: *Inscriptio tituli,* id est, victoria vel regnum, quod tituli inscriptio notauit, attribuitur vel conuenit *Dauid,* id est Christo, qui secundum hominem hic loquitur.

Est ergo intentio prophetæ omnes monere, ne regno Christi, aut eius titulo regali contradicant.

Et primo in persona Christi veram in se naturam hominis ostendens, petit se inter pericula saluari, dicens, omnia quæ pertulit ad gloriam suæ hæreditatis esse perducta:

Secundo gratias agit Patri, de intellectu sibi dato & passione ac resurrectione sua. ibi, *Benedicam Dominum.*

PSALMVS XVI.

EXAVDI *Domine.* Titulus, *Oratio Dauid.* hic psalmus primus est eorum, qui nomine *orationis* intitulantur: vnde & alij quatuor simi-

similiter postulanti sequuntur: quia cum in aliis interseratur oratio, in istis pene continuatur. Hic ergo Christus secundum hominem orat, & sibi corpus suum, id est, Ecclesiam, associat: quia eadem voce cum membris suis orat, non pro sua vtilitate, sed pro nostra necessitate. Christi enim oratio, est fidelium institutio: & ideo orat, vt formam orandi nobis proponat.

Est ergo sensus Tituli, *Oratio* psalmi huius conuenit *Dauid*, id est personæ Christi, adiuncta ecclesia, quæ corpus eius est: & primo petit secundum iustitiam retribui sibi: Secundo ab insidiis Iudæorum liberari. ibi, *Ego clamaui.* Tertio orat sibi & aduersariis retribui. ibi, *Exurge Domine.*

PSALMVS XVII.

DILIGAM *te.* Titulus, *In finem puero Domini Dauid qui locutus est Domino verba cantici huius. In die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum eius de manu Saul.* Pro liberatione à persecutione Saul videtur Dauid hunc psalmum cantasse Domino: sed quia titulus habet *in finem*, & vocat hunc psalmum *canticum*: finis autem Christus est: canticum verò exultatio de æternis: ideo non literaliter de Dauid solum intelligitur, sed melius spiritualiter accipitur de toto Christo, scilicet, de capite & membris; quem totum Dominus eripuit in die resurrectionis de manu inimicorum suorum, id est, Iudæorum, & de manu Saul,

Saul, id est, Iudæ proditoris, vel Diaboli.

Vnde primo pro hac spirituali liberatione totus Christus Deo gratias agit, summam diuinorum beneficiorum colligens.

Secundo agit de cladibus humani generis ante aduentum Christi, & qualiter Dominus sit misertus. ibi, *Circundederunt me.*

Tertio agit de virtute ac potentia. ibi, *Deus qui percinxit.*

Quarto ecclesia læta munera Dei laudat, & in eis exultat. ibi, *Viuit Dominus & benedictus Deus meus.*

PSALMVS XVIII.

CÆLI *enarrant.* Titulus, *In finem psalmus Dauid. Psalmus* iste agit de primo aduentu Christi, & attribuitur *Dauid* respicienti *in finem*, id est in Christum, qui est finis consumationis. Vel, *in finem*, id est, in tempus plenitudinis, quo acta sunt quæ hic tractantur.

Hic ergo monet propheta, vt relicta vetustate ad nouum hominem accedamus.

Et primo loquens de incarnatione Christi, commendat prædicationem nouæ legis:

Secundo laudat præcepta noui testamenti & veteris. ibi, *Lex Domini.*

Tertio vt sit dignus tanta sacramenta referre, petit purgari à vitiis. ibi, *Delicta quis.* Commendat autem prædicationem nouæ legis, qui prædicent, & quid, & quàm discrete, & quàm mirifice, & quàm late: In prima parte ostendit, per cælos, qui enarrant gloriam Christi, Apo-

stolos intelligens in quibus, tanquam in cælis, Deus specialiter habitauit.

PSALMVS XIX.

EXAVDIAT *te*. Titulus, *in finem psalmus Dauid:* hic agit propheta de Christo, quasi de sacerdote immolaturo, & rege pugnaturo: Canens primo quæ ventura erant Christo, tempore afflictionis, quod fuit vsque ad passionem: Deinde in secunda parte ea quæ futura erant tempore gloriæ & consolationis, quod fuit post resurrectionem. ibi, *Tribuat tibi*. Et ea quæ hic propheta loquitur optando, etiam affirmat prophetando.

PSALMVS XX.

DOMINE *in virtute*. Titulus, *in finem psalmus Dauid*. Iste psalmus est vnus eorum qui de duabus naturis in Christo agunt, contra hæreticos, qui vel personam diuidunt, vel naturas nephanda commixtione confundunt. Monet ergo vt Christum, Deum pariter, & hominem esse credamus.

Et primo dirigendo verba Deo Patri, Christi Filij sui meritum & præmium summatim proponit:

Secundo Christi virtutes, & gloriam specialiter describit. ibi, *Quoniam præuenisti*.

Tertio, de pœnis inimicorum suorum agit. ibi, *Inueniatur manus tua*. Et finaliter, Christi exal-

exaltationem concludit. ibi, *Exaltare Domine in virtute tua.*

PSALMVS XXI.

DEVS *Deus meus.* Titulus, *in finem psalmus Dauid pro assumptione vel susceptione matutina.* Seu *pro ceruamatutina.* Huius tituli sensus est. *Psalmus* iste tendens *in finem*, id est, in Christum, de cuius passione agit; est *Dauid*, id est, Christi qui hic loquitur in persona sua; vel sub persona ecclesiæ Christi, scilicet orantis *pro assumptione matutina* id est agentis, de passione, vbi orat pro resurrectione mane facta; Et hoc dicitur ad similitudinem solis qui paulatim ascendendo assumitur, donec vbique clarescat. Sic Christus de passione ad resurrectionem, & inde in cælum ad dexteram Patris ascendit: & postea misso in Apostolos Spiritu sancto mundum fidei radiis illustrauit. Alij autem habent, *pro cerua matutina*: quod idem est secundum aliam similitudinem: Cerua enim est humana Christi natura: quæ lutum & spinas scilicet peccatorum transiliit, & mane in gloriam resurrectionis, quasi in altum est assumpta.

Monet ergo propheta compati passioni Christi, vt suæ resurrectioni conregnemus. Et primo præmittitur conquestio de derelictione, & simul oratio coniungitur, sicut in omnibus psalmis de passione:

Secundo, passio describitur, vbi & pro resurrectione oratur. ibi, *Circundederunt.*

Tertio fructus & vtilitas passionis ostenditur. ibi, *Narrabo* &c. Christus autem primo sub persona veteris hominis culpæ ac pœnæ expositi, loqui incipit, corporis sui personam gerens; vel Christus in persona loquitur capitis, veram in eo naturam humanam exprimens: vnde in cruce ait, *Quare me dereliquisti?* psalmum istum de se scriptum esse indicans; vnde multa hic de eius passione dicuntur tam expressè, vt magis videatur historia euangelica quam prophetica. Licet etiam multa hic habeantur, non tam ad ipsum quam ad eius membra referenda.

PSALMVS XXII.

DOMINVS *regit me*. Titulus, *psalmus Dauid:* hic sub figura Iudaici populi de captiuitate Babylonica reuersi sub Zorobabel, & Iesu sacerdote magno, propheta prædicit reditum fidelis populi de Babylone huius sæculi, per Christum, ad domum Dei, & agit de misericordia Christi, quâ fit hæc reductio spiritualis, enumerans decem gratias, per quas velut per decem mansiones, homo ad Deum reuertitur. Et introducitur hic ecclesia loquens de Christo, per quem, velut per sacerdotem magnum, fit ista reductio.

In singulis versibus singulæ notantur gratiæ: nisi quod in secundo, & septimo, duæ pariter coniunguntur: Prima ergo gratia est *locus pascuæ;* id est, sermo diuinus, qui saginat meditantes.

Secunda est *aqua refectionis*, id est, baptismi, quâ reficiuntur eum suscipientes. Tertia est *animæ conuersio* pro virtutis & bonæ operationis augmentationem. Quarta est *deductio super semitas iustitiæ*, id est, super præcepta per charitatis radicationem & perfectionem. Quinta est *securitas à malis*, propter diuinam assistentiam. Sexta est *consolatio* eruditionis, quæ fit per *virgæ & baculi*, id est diuinæ correctionis disciplinam. Septima est *mensa Domini*, id est, Dominici corporis conuiuatio. Octaua est *spiritualis capitis*, id est, humani mentis *impinguatio*, scilicet, spiritualis lætitiæ repletio. Nona est *calix inebrians*, id est calix benedictionis, scilicet Christi sanguinis, qui quasi inebriat, dum vanarum delectationum obliuionem præstat. Decima est *misericordia subsequens*, id est, gratia consummans, quæ & præueniendo inspirat, & mediando adiuuat, & finiendo ad æternam habitationem perducendo feliciter collocat.

PSALMVS XXIII.

DOMINI *est terra.* Titulus, *psalmus Dauid in prima sabbati*. Prima sabbati dicitur dies prima post sabbatum, in qua die mundus conditus est, & lux diuisa à tenebris: & eodem die Christus depositis mortalitatis tenebris clarificatus est, & homo depulsa peccatorum caligine per Christi resurrectionem restauratus: vt sit sensus Tituli, *Psalmus* iste est *Dauid* qui loquitur in persona sua, vel ecclesiæ, agens de clarificatione Christi, & hominis restaura-

tione, quæ facta est *in prima sabbati*, id est in matutino diei Dominicæ, quæ dies etiam prima fuit in primordiali rerum creatione. Monet ergo propheta victorem Christum cum triumpho suscipere: vnde ad similitudinem præconis, qui post triumphum totam terram clamat esse victoris: Primo dicit, totum orbem esse Dei; vt sicut nullus ab eius imperio, sic nec ab eius fide sit alienus.

Secundo determinat, quibus virtutibus prædití sunt, qui in ecclesia persistunt. Ibi, *quis ascendet*.

Tertio Christiana religione dilatata superstitiosos à prauitate reuocat, vt patefactis cordibus Christum admittant. ibi, *Attollite portas*.

PSALMVS XXIV.

AD *te Domine leuaui*. Titulus, *in finem psalmus Dauid*; psalmus iste dirigens nos *in finem*, id est, in Christum: attribuitur *Dauid*, qui loquitur in persona ecclesiæ, inter aduersa sæculi grauiter afflictæ: vel in persona pœnitentis per flagella correcti; Monens, in aduersis non murmurare, sed ad Deum respicere. Et primo petit doceri vias Domini, quod ad Deũ per spem erectus est: Secundo orat pro peccatis dimittendis, prioribus, & pro his quæ quotidie fiunt. Ibi, *Reminiscere*. Tertio agit de æternis, ostendens quomodo habeantur. Ibi, *quis est homo*.

PSAL-

Psalmvs XXV.

IVDICA *me* Titulus, *psalmus David*; psalmus iste attribuitur *Dauid*, id est viro perfecto, qui hic loquitur, & monet vitare consortia iniquorum, & iungi iustis: quia ex conuictu mores formantur. Et primo vir iustus dicit, se non habere hic partem cum iniquis, & petit ab eis discerni in futuro: Secundo petit ne malis misceatur in iudicio, ibi, *Domine dilexi.* In hoc autem differt prima pars à secunda: quod in prima parte de iudicio & multum de innocentia sua agit; in secunda de vtroque pene pariter tangit.

Psalmvs XXVI.

DOMINVS *illuminatio mea*. Titulus, *In finem psalmus Dauid priusquam liniretur.* Hic Titulus alludit historiæ libri Regum, de trina vnctione Dauid: quarum prima linitus fuit, non vtique in regem, sed in signum futuri regni; sed duabus extremis, quæ pro vna reputantur, in regem vnctus est: secunda videlicet vt regnaret super tribum Iuda; tertia vero vt regnaret super vniuersum Israël; & post primam vnctionem Dauid hostes habuit: post secundam regnauit in pace. Sed hæc figuraliter acta sunt, vt significaretur, quod quilibet fidelis, qui à Christo Christianus dicitur, & à Christi chrismate denominatur, & de eius plenitu-

dine vnctionis linitur: Primo inungitur in signum futuri regni, dum Spiritus-sancti gratiam in baptismo, & aliis Sacramentis percipit: Secundo vero in futuro inungetur in regem cum libertatem gloriæ recipit: & sicut Dauid bis in regem vnctus est: sic vnctio glorificationis nostræ gemina erit stola corporis & animæ: sed hæ duæ quasi pro vna reputantur.

Sic ergo psalmus iste dirigens nos *in finem* futuræ consummationis, attribuitur *Dauid*, id est, cuilibet fideli: agens de eo, *priusquam liniretur secunda vnctione*, id est, de eo ante perfectam vnctionem regalem: ante quam hostes habet quia post primam vnctionem sacramentalem sub variis hostibus laborat & gemit; sed post in pace regnans requiescit: vnde vt tandem in illo regno gaudeat, hic loquitur, quasi quiddam ineffabile se desiderare ostendens, pro quo omnia patienter tolerat.

Monet ergo, ne quis post primam vnctionem torpeat: sed ad secundam se diligenter præparando disponat. Et primo agit de prima vnctione, per quam certificatur secunda: postea dicitur quis labor & gemitus sit ante secundam vt finaliter habeatur. ibi, *Exaudi Domine.*

PSALMVS XXVII.

AD te Domine clamaui. Titulus, *psalmus huic Dauid.* Per Dauid aliquando intelligitur caput, id est, Christus: aliquando corpus, id est, Ecclesia: interdum vtrumque simul, id est, totus Christus; vbi autem in titulo additur *huic*, vel

vel *ipsi*, Christus intelligitur. Hic ergo psalmus attribuitur *huic Dauid*, id est, Christo, qui hic loquitur: & est tertius eorum, qui agunt breuiter de passione Christi, & resurrectione: Monens eos aduersa tolerare, qui volunt cum Christo regnare. Et primo ponitur oratio tempore passionis habita: Secundo, auditus, de resurrectione sua gratias agit ibi, *Benedictus Christus*. Itaque secundum quod homo, se hominibus iustis in exemplum proponit: qui licet super omnes iustus & dignus sit, non tamen in se confidit, sed totum à Deo Patre humiliter petit.

PSALMVS XXVIII.

AFFERTE *Domino* Titulus, *psalmus Dauid in consummatione tabernaculi*. Cum Dauid prospere regnaret mortuo Saule, tulit arcam de Gabaa, & detulit in Hierusalem: Quâ reducta fecit ei tabernaculum, & obtulit holocausta. Ad quod iuxta litteram alias hostias offerre hic hortari videtur:

Sed spiritualiter potius de significato tabernaculi, id est, de Ecclesia hic agitur. Sicut enim arca à Philisteis reducta fuit, cui Dauid tabernaculum extendit: sic Christus à iure diaboli Ecclesiam reduxit, eique dona gratiæ contulit: de cuius perfectione hic propheta loquitur, quæ hic *tabernaculum* dicitur: quia nunc in ea contra diabolum militatur: quemadmodum secundum futurum dicitur Dominus, quia in ea quiescetur.

Primo ergo monet propheta fideles Deo hostias spirituales offerre.

Secundo agit de constitutione ecclesiæ, enumerans septem dona Spiritus-sancti. ibi, *vox Domini:*

Tertio dicitur quid constitutæ fiat ecclesiæ. ibi, *Dominus diluuium.* Et ostendens quomodo in diluuio huius sæculi Dominus fideles suos illæsos præseruabit.

PSALMVS XXIX.

EXALTABO *te.* Titulus, *psalmus cantici in dedicatione domus Dauid.* Non legitur Dauid fecisse vel dedicasse aliquam domum Domino: & ideo de spirituali domo, id est, de ecclesia hoc accipiendum est. Quæ in præcedenti psalmo tabernaculum dicitur: hic autem domus nominatur, propter causam ibi expressam. Supra ergo egit de consummatione tabernaculi tempore belli: hic autem est *psalmus cantici*, id est lætitiæ habitæ in *dedicatione domus Dauid,* id est, Ecclesiæ Christi, quæ in æterna pace manebit. Et loquitur hic totus Christus: quare verba psalmi huius quædam capiti, quædam corpori, quædam vtrique conueniunt. Et est psalmus iste de passione Christi & resurrectione vt passio non terreat, quos spes resurrectionis lætificat.

Primo ergo agit Christus de sua dedicatione, scilicet in sua propria persona, iam facta in resurrectione: postea vero futura in domo sua, id est ecclesia, in finali resurgentium consummatione,

matione, monens sanctos homines sperantes Deo laudem referre. Secundo dicitur, quando hanc dedicationem meruerit. ibi, *Ego autem.* Tertio quando eam acceperit. ibi, *Audiuit Dominus.*

PSALMVS XXX.

IN *te Domine speraui* Titulus, *in finem psalmus Dauid pro extasi.* Psalmus iste, dirigens nos *in finem*, id est, in Christum est, *Dauid* qui hic loquitur in persona Christi, vel sua, vel Ecclesiæ: habitus *pro extasi*, id est agens de excessu mentis, qui fit quando mens pauet terrena. Monens ne quis de se præsumat, sed de Dei misericordia. Et primo contra pauorem præmittitur spes: & oratio contra mala, cum certitudine liberationis & gaudio. Secundo enumerat, quot & quanta perturbant; contra quæ est oratio. ibi, *Miserere mei.* Tertio dicit quæ sint bona Dei contra mala. ibi, *Quam magna.* Vnde huius psalmi verba quædam capiti, quædam membris, quædam prophetæ conueniunt. In hac autem varietate non mutatur vox, sed caput & membra eadem voce vtuntur dicendo. *Ego, me, mihi*: quod fit propter vnitatem capitis & corporis, Christi scilicet & ecclesiæ quam facit charitas. Sicut lingua omnium membrorum suscipit vocem, dicēs pro pede, calcas me; non dicit calcas pedem; & pro manu vulneras me, non ait manum meam vulneras.

PSAL-

PSALMVS XXXI.

BEATI *quorum*. Titulus, *intellectus David*. Hic est *intellectus David*, id est; pœnitentis, in cuius persona hic loquitur, docens quid intelligere debeat, qui vere pœnitens est. Et PRIMO dicit, initium boni esse per indulgentiam Dei: se vero sequentem illud vitium hominum, qui de operibus gloriantur, & merita propria iactant, fuisse miserum: sed per manum Dei conuersum ad verum intellectum, ad quem alios deceptos reuocat; in quo etiam stantes confirmat. SECVNDO, agit de confessione, vnde est venia. ibi, *Delictum meum*. TERTIO, pœnitudinem multipliciter commendat. ibi, *Pro hac orabit*. QVARTO ponitur lætus finis, vbi, dicitur Deus dare intellectum. ibi, *Intellectum tibi dabo*.

PSALMVS XXXII.

EXVLTATE *iusti*. Titulus, *in finem psalmus David*. Hic propheta misericordiam & potentiam Dei commendat, & facta eius enumerat: agens de operibus creationis, & recreationis, vt timeatur potentia quæ creat, & ametur misericordia quæ recreat. Ad laudem ergo Dei inuitans ostendit, qui & quem: quomodo & quare laudare debeant. Et PRIMO iustos & rectos laudare monet. SECVNDO beatum dic illum, qui ad cultum Dei peruenit. ibi,

ibi, *Beata gens.* TERTIO, quid de prædictis sentiat subdit. ibi, *Anima nostra.*

PSALMVS XXXIII.

BENEDICAM. Titulus, *psalmus Dauid, cum mutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abijt.* SAVL persequens Dauid, nuncios misit ad Achis Regem, apud quem confugerat Dauid, vt eum ad se mitteret, quem volebat occidere. Quod præsentiens Dauid, timuit, & se fingens furiosum, vel fatuum, mutato vultu coram Rege, illum à se abiiciens dimisit, & sic Dauid abiit incolumis. Hic autem Rex, qui in historia Regum vocatur Achis, vocabatur etiam Abimelech, quo nomine vtitur Esdras in hoc titulo propter significationem mystici Sacramenti. Dauid enim Christum, & vultus mutatio mutationem veteris sacrificij in nouum significat: vetus autem sacrificium dicitur vultus quia in signo voluntatem diuinam indicat. Abimelech vero interpretatur patris mei regnum, & significat Iudæos, qui erant regnum patris sui; id est, Dauid, qui secundum carnem fuit pater Christi. Ecclesia vero est regnum, non illius patris carnalis, sed Dei Patris sui æterni. Mutauit ergo vultum suum Dauid coram Abimelech, id est, Christus mutauit vetus sacrificium coram Iudæis (qui erant regnum patris sui Dauid) in nouum sacrificium, quam mutationem in cœna condit, in qua corpus suum & sanguinem discipulis in Eucharistiæ sacramento exhibuit. Propter

quod

quod Abimelech, id est populus Iudæorum, & illi præcipue rudes & ignari discipuli, qui hoc Sacramentum carnaliter intelligentes abierunt retro: Christum diuiserunt, & pro tempore ab eorum cordibus abiit. Monet itaque psalmus iste ad nouum sacrificium accedere mente, non pede: & PRIMO propheta summatim Dei laudem præmittens monet mansuetos ad idem: SECVNDO ad concionem noui sacrificij fideles hortatur. ibi, *Accedite*; TERTIO incipientes monet à quibus abstineant. ibi, *Venite*; QVARTO agit de tribulatione bonorum & malorum. ibi, *Oculi Domini*; ne in periculis iustus fluctuans aliqua dubietate mollescat, nec iniustus securus superbiat.

PSALMVS XXXIV.

IVDICA *Domine*. Titulus, *in finem psalmus Dauid*. Psalmus iste dirigens nos *in finem* attribuitur ipsi *Dauid*, id est, Christo, qui hic loquitur, nunc in persona sua, nunc in persona ecclesiæ: & agit de passione Christi, monens vt aduersa eius exemplo feramus. Et PRIMO incipit ab oratione pro vtraque parte pugnæ orans, id est, pro se, & aduersariis: cum commemoratione culpæ eorum. SECVNDO præmittens de spe boni, & gaudio, narrat quæ maligne erga Christum fecerint. ibi, *Anima autem*. TERTIO de fructu passionis agit, præmittens confessionem totius ecclesiæ, & inde precatur cum commemoratione culpæ, confusionem persecutorum, & exultationem fidelium. ibi, *Confitebor*.

PSAL-

PSALMVS XXXV.

DIXIT *iniustus.* Titulus, *in finem seruo Domini psalmus Dauid* Psalmus iste agit contrà errorem dicentium omnia mala esse ex vitio naturæ, & creationis nostræ: bona vero ex libero arbitrio. Docet autem hic propheta, mala esse ex nobis: bona esse ex Deo per gratiam; vnde in titulo recte *seruus Domini* dicitur fidelis, qui in hoc psalmo loquitur, mala sibi, & Domino bona attribuens; vel *Christus seruus Domini* appellatur, quia vsquequaque patri obediens: Cui etiam verba psalmi conueniunt, & PRIMO asserit mala esse ex homine: SECVNDO dicit bona ex Deo esse per misericordiam. Ibi, *Domine in cælo.*

PSALMVS XXXVI.

NOLI *æmulari*. Titulus, *psalmus Dauid.* Psalmus iste totus est de correctione morum: & velut salubre antidotum contra illorum errorem, qui murmurant de flore malorum, & labore bonorum, quasi omnia casu agantur: Docens, hæc inferiora diuina prouidentia gubernari, non casu tractari. Et PRIMO monet ecclesiam, (in cuius persona loquitur propheta), ne quis malignantes imitetur, sed quicquid boni speratur, à Domino postuletur, à quo profutura & æterna donatur: SECVNDO dicit, malos super bonos inuidia torqueri.

torqueri. ibi, *Obseruabit peccator*. TERTIO tractat, iustum hic nunquam deseri, præmia bonorum & pœnas malorum commiscens cum interiectis adhortationibus. ibi, *Iunior fui*.

PSALMVS XXXVII.

DOMINE *ne in furore*. Titulus, *psalmus Dauid in rememoratione sabbati*. Psalmus iste est *Dauid*, id est pœnitentis, habitus *in rememoratione sabbati*, id est, æternæ requiei, quam habere desiderat, & perdere formidat. Monens ergo ad pœnitentiam, PRIMO per pœnas summatim dicturum captat Dei misericordiam. SECVNDO ponitur narratio, in quam multiplicem inciderit miseriam. ibi, *Putruerunt*. TERTIO quia inter tot mala sperauit in Domino, affirmat se audiendum cum emendationis commemoratione. ibi, *Quoniam in te Domine*. QVARTO ponitur exultatiua conclusio de salute. ibi, *Ne derelinquas me*. Vnde à lachrymis & oratione incipiens, sicut in aliis psalmis pœnitentialibus, in exultatione terminatur: vt certa spes ex his imitantibus detur.

PSALMVS XXXVIII.

DIXI *custodiam*. Titulus, *in finem custodiam Dauid pro Idithun*. Legitur in Paralippomenon, quia arca Domini reducta à Philistæis, Dauid, ante eam constituit cantores quattuor millia, & totidem ianitores quibus præfecit filios

lios Choræ: cantoribus vero proposuit ducentos octoginta & octo viros, inter quos fuerunt, Asaph, Eman, Etham, & Idithun. Quorum nomina Esdras frequenter posuit in titulis, tum pro honore mysterij, tum propter nominum interpretationes, quibus subiectorum psalmorum intellectus panditur. Vnde huius psalmi aperitur sensus per hoc nomen Idithun, quod interpretatur transiliens eos, scilicet remanentes in sæculo hærentesque terrenis; de quo transiliente agitur hic. Docet enim psalmus iste à dilectione sæculi ad legem Dei; & inde ad æternitatem mente transilire: & quia hoc iucundum est menti, licet graue sit carni, ideo psalmus iste dicitur *canticum*, quia hic fit mentio de æterna beatitudine. Monet autem hic psalmus transilientem terrena, inter blasphemos & iniquos linguæ continentiam seruare; certamina & rixas comprimere; quia hoc silentium ei multum est vtile. Vnde PRIMO agit de continentia linguæ inter blasphemos & calumniosos, & optat noscere finem, vbi hæc non sunt: SECVNDO docte, quomodo omnes sint sub vanitate, & casu: vnde opponit, se expectare Dominum petens liberari. Ibi, *Verumtamen in imagine*. TERTIO inter tot mala petit sibi Deum adesse, & peccata dimitti, vt prospero fine exeat. Ibi, *Exaudi orationem.*

PSALMVS XXXIX.

EXPECTANS *expectaui.* Titulus, *in finem psalmus Dauid*. FINIS in titulis psalmorum

rum multipliciter sumitur: aliquando significat Christum, aliquando plenitudinem temporis, aliquando nouum testamentum, aliquando passionem vel resurrectionem Christi. Hic autem per nouo testamento accipitur, quod consummat, in quod vetus testamentum mutatum esse ostenditur, quod ecclesia longo tempore expectauit, desiderans Christum, & cum eo nouum testamentum. In qua expectatione multa à diabolo sustinuit, & occulte, & manifeste à quibus etiam post Christi aduentum penitus immunis non fuit. Monet ergo psalmus iste, relictis ceremoniis legis, & idolatriæ superstitione, ad nouum testamentum accedere: & PRIMO inducit, ecclesiam expectasse Deum, & accepisse eum, & ab eo nouum testamentum, quod & multi secuturi sunt: vnde percutit omnes superstitiones, & inuitat ad mirabilia Dei; SECVNDO exponit mirabilia, quæ sunt incarnatio, iustitia prædicationis, liberatio hominum ab iniquitatibus, confusio inimicorum, lætitia sperantium. ibi, *Annunciaui* Et loquitur in hoc psalmo Christus in persona membrorum.

PSALMVS XL.

BEATVS *qui intelligit super.* Titulus, *in finem psalmus Dauid* Vel, sicut Hieronymus transfert: *in finem intellectus filijs Chore.* Sicut legitur in libro Numeri, Chore cum Dathan & Abyron mouit seditionem, contrà Moysen & Aaron, pro quâ à Deo grauiter puniti sunt.

Fuerunt

Fuerunt autem quidam filiorum Chore, qui patris nequitiam non sunt secuti: vnde & postea à Dauid in ministerium domus Domini sunt & assumpti, & à Domino benedicti. Propter quod in titulis psalmorum sæpe fit mentio de eis: maxime tamen propter nominum interpretationem, ex qua spiritualis intelligentia aperitur, vt hic. *Chore* namque *Caluaria* interpretatur: quæ fuit locus Dominicæ passionis. Vnde per Caluariã Christi passio intelligitur. Filij ergo Caluariæ filij sunt passionis: qui in cruce Domini cum Apostolo gloriantur: & his huius psalmi intellectus attribuitur, qui credunt Christum, etsi pauperem esse, & mortuum, tamen verum Deum, & sic est sensus tituli. *Intellectus* huius psalmi tendens *in finem*, id est Christum, attribuitur *filijs Chore*; id est filiis crucis. Monens vt Christus etsi pauper & passus, credatur tamen Deus. Et PRIMO propheta intelligentem super egenum & pauperem concelebrat: SECVNDO, Christus de passione sua agit qui secundum eam egenus fuit. Ibi, *Inimici mei*. TERTIO agit de resurrectione, quæ est gloria egeni, ad confirmandam spem fidelium. Ibi, *Tu autem Domine*, & est in hoc psalmo vox totius Christi, id est, capitis & corporis: quasi vnius hominis quædam enim verba capiti conueniunt, quædam membris, quædam prophetæ. Primo propheta loquitur in sua persona, postea inducit Christum loquẽtem & in membris, & in se: in membris, ibi, *Ego dixi*. In se. ibi, *Inimici mei*.

PSAL-

PSALMVS XLI.

QVEMADMODVM *desiderat*. Titulus, *in finem intellectus*, vel, *in intellectu filÿs Chore*, vt supra. Filij Chore sunt filij Caluariæ, id est Christi in Caluo Helisæo præsignati. Qui trophæum Christi, id est, signum crucis in fronte cordis, & corporis susceperunt: quibus intellectus huius psalmi attribuitur. Et est psalmus iste contra tristitias sæculi, ne nos à Domino retrahant: vbi est vox fidelis Deum desiderantis, qui spretis vitiis ad fontem gratiæ vel contemplationis diuinæ ascendere cupit. Monens ne sæculi tristitiæ animam in desperationem vel tædium trahant, & à sancto desiderio retrahant. Et PRIMO, omne desiderium huius fidelis dicitur esse ad Deum; SECVNDO agit de conturbationibus, contra quas confortat sensualitatem spe consolationis diuinæ. Ibi, *Quare tristis es.*

PSALMVS XLII.

IVDICA *me Deus*. Titulus, *in finem psalmus Dauid*. Hic loquitur in persona ecclesiæ inter zizania constitutæ, & pressuras sæculi, petēs ne ipsam à Deo retrahant. Et PRIMO conqueritur de permixtione malorum, & precatur ab eis separari. SECVNDO agit de lætitia finali, pro qua laudat Deum in tribulatione. ibi, *Et introibo*. Et ex hoc se confortat, qui prius tristis erat.

PSAL-

PSALMVS XLIII.

DEVS *auribus*. Titulus, *in finem psalmi filijs Chore ad intellectum*. Psalmus iste dirigens *in finem*, id est, in Christum; attribuitur *filijs Chore*, id est, filiis passionis; scilicet sanctis martyribus, *ad intellectum*, id est, vt intelligant cur martyres Deus videtur relinquere, subtrahendo temporalia bona, & affligi præmittendo: cum patres antiquos iuuerit in manu valida, & eis temporalia abundanter contulerit. Quod primo facit, id est temporalia perfectis subtrahit, vt amplius desiderent æterna; & aduersa infert, vt feruentius quærant futura bona. Illis autem antiquis, tanquam rudibus, & adhuc imperfectis, temporalia contulit: vt eos ad credendum & seruiendum alliceret; & per illorum temporalia nostra spiritualia voluit figurari. Monet ergo psalmus iste ad contemptum terrenorum, & ad appetitum cælestium. Et PRIMO distinguit beneficia Dei, ostendens quæ incipientibus data sunt in mundo, & quæ perfectis dabuntur in cælo: SECVNDO enumerat mala, quæ hic ferunt boni, non tamen obliti Domini. *Nunc autem repulisti*. TERTIO precatur auxilium, vt his afflictis tempore resurrectionis Christus subueniat, *exurge*. Loquitur autem propheta in persona martyrum seu fidelium persecutionem patientium.

PSAL-

Psalmvs XLIV.

ERVCTAVIT *cor meum*. Titulus, *in finem pro his qui commutabuntur filijs Chore, ad intellectum canticum pro dilecto*. CANTICVM istud tendens *in finem*, id est, in Christum, vel in consummationem æternæ beatitudinis, habitum *pro his qui commutabuntur*, id est, de veteri homine in nouum mutabuntur, & *pro dilecto*, scilicet Christo ecclesiæ sponso: cantatur *filijs Chore*, id est, filiis crucis *ad intellectum*, scilicet vt intelligant mysterium dilecti & dilectæ, id est Christi & ecclesiæ sponsæ suæ, ad quorum laudem & venerationem monet psalmus iste. Et PRIMO propheta cælestibus epulis saginatus, præconia Dei se eructaturum præmittit: SECVNDO incipit de laude sponsi, laudans eum quadriformiter, à forma, à pietate, à iudicio, ab ornatu. ibi, *Speciosus forma*. TERTIO, laus sponsæ cantatur submissius, etiam quadrupliciter, à forma, à gloria, ab amictibus, à plebe. Ibi, *Audi filia*. Hoc ergo canticum merito dicitur epithalamium, id est, laus thalami, quia laus sponsi & sponsæ, & desponsationis eorum.

Psalmvs XLV.

DEVS *noster refugium*. Titulus, *in finem psalmus David, filijs Chore pro arcanis*. Psalmus iste tendens *in finem*, id est, in Christum, est *David*, id est, cuiuslibet fidelis: & attribuitur

buitur *filijs Chore*, id est, filiis crucis: habitus pro arcanis, id est, pro manifestatione arcanorum aduentus Christi, de quibus hic agitur. PRIMO namque, quod in aduentu Domini omnis spes habenda sit ostendit, & in transitu Apostolorum ad gentes: SECVNDO dicit, quod ecclesia fundatur in Christo, cui gentes & Reges subiiciuntur. ibi, *Fluminis impetus.* TERTIO, narrat magnalia incarnationis tempore facta. ibi, *Venite & videte opera.* Videns ergo propheta in Christi aduentu multas insurgere tribulationes, & eas consolatione præmuniens: in persona filiorum Chore seu cuiuscumque fidelis de Iudæa, ad fidei constantiam exhortatur.

PSALMVS XLVI.

OMNES *gentes*. Titulus, *in finem psalmus Dauid pro filijs Chore.* Psalmus iste est *Dauid* prophetæ, qui hic loquitur in voce Apostolorum, habitus pro *filijs Chore*, id est, pro vniuersis, dirigens *in finem*, id est in Christi laudem. Vnde PRIMO gentes, ad quas gratia transiuit, ad Dei laudem inuitat: SECVNDO ascensio & regnum Dei describitur, vnde instanter psallere monet. ibi, *Ascendit.*

PSALMVS XLVII.

MAGNVS *Dominus*. Titulus, *psalmus* vel *laus cantici filiorum* vel *filijs Chore secunda sabbati.*

sabbati. Psalmus iste, qui est *Laus cantici*, est *filiorum*; vel, cantatur *filijs Chore*: habitus *secunda sabbati*, id est, secunda die post sabbatum, scilicet die, qua fecit Dominus firmamentum: per quod hic intelligitur ecclesia supra petram firmata, de qua hic agitur, quam vocat ciuitatem. Dei, eam & Dominum eius commendans: vnde PRIMO agit de fundatione ciuitatis, quam commendat & describit; SECVNDO agens gratias de aduentu Christi, monet de gradibus ecclesiæ distribuendis, per quos saluator agnosci possit. ibi, *Suscepimus Deus*.

PSALMVS XLVIII.

AVDITE *hac*. Titulus, *in finem filijs Chore psalmus Dauid*. Hic agit propheta de amatoribus mundi: ostendens eos cum sua gloria perituros; & illos redarguens, qui colunt Deum vt hic bene sit eis, murmurantes quia mali florent & ipsi premuntur: quasi de hoc ignoret vel non curet Deus. Vnde monet *filios Chore*, id est fideles Christi, vt in mundo deiecti non ideo apprecientur elatos. Et PRIMO attentos facit ad ea quæ dicturus est: SECVNDO incipit prosequi illa, dicens quod Christus non redimet impios. ibi, *Cur timebo*. TERTIO dicit, quæ impiis & iustis reddenda sunt. ibi, *Sicut oues*; QVARTO admonet ne timeantur potentes. Qui omnia cum luce relinquunt. ibi, *Ne timueris*.

PSAL-

PSALMVS XLIX.

DEVS *Deorum.* Titulus, *psalmus Asaph*, vt supra dictum est. Asaph cum aliis multis præfectus fuit cantoribus in tabernaculo Domini: Hebraice interpretatur congregatio, Græce vero synagoga, quæ hic loquitur in persona fidelium expectantium Christum. Agit autem psalmus de mutatione legalium sacrificiorum in sacrificium laudis: sicut supra egit de mutatione eorum in sacrificium Dominici corporis & sanguinis. Agit etiam PRIMO de vtroque aduentu Domini, per primum blandiens, per secundum terrens; SECVNDO vox Christi inducitur, monentis, vt relictis sacrificiis pecudum, fiat sacrificium laudis. ibi, *Audi populus meus:* TERTIO dicit à quibus velit accipere sacrificium laudis, vbi peccatori suæ nequitiæ imputantur. Ibi, *Peccatori autem.* Duo primi versus ad primum aduentum: sequentes ad secundum pertinent.

PSALMVS L.

MISERERE *mei Deus.* Titulus, *psalmus Dauid cum venit ad eum Nathan propheta, quando intrauit ad Betsabee.* Titulus iste patet ex historia libri Regum, de adulterio Dauid cum vxore Vriæ: vnde hic psalmus agit de pœnitentia & humilitate, quam habuit Dauid, quando super hoc eum propheta redarguit: mouens

nos exemplo ipsius ad pœnitentiam. Et PRIMO ponitur deprecatio vbi iudicis beneuolentia captatur; SECVNDO ex auctoritate Dei manifestantis, confidentia absolutionis ostenditur. ibi, *Incerta*. TERTIO ex confidentia securus petit deletionem omnium peccatorum, & plenam restitutionem. ibi, *Auerte*. QVARTO dicit, quid restitutus persoluat. ibi, *Docebo*. QVINTO de ædificatione Hierusalem prophetat. ibi, *Benigne fac*.

PSALMVS LI.

QVID *gloriaris*. Titulus, *in finem intellectus Dauid cum venisset Doeg Idumeus & nunciasset Sauli, venit Dauid in domum Abimelech*. Ab historia libri Regum non discrepat titulus iste: nisi quia sacerdos ille, qui hic dicitur Abimelech. ibi, *Achimelech nominatur*. Historiæ autem mysterium ex nominum interpretatione attendendum est. *Abimelech* ergo *patris regnum*, interpretatur: & signat Iudæos; & *domus eius* regnum Iudæorum. *Doeg* motus, *Idumeus* terrenus, *Saul* petitio; *Dauid* manu fortis, vel desiderabilis aspectu. Primo Dauid signat Christũ: & Doeg Idumeus, id est motus terrenus designat Antichristum, qui terrenum genus malorum hominum, non cæleste genus fidelium & spiritualium hominum, mouebit per mirabilia signorum. Saul vero signat diabolum, quem mali petunt in regem suum: vnde rex factus est super omnes filios superbiæ. Hic autem terrenum regnum & cæleste mixta sunt, id est, boni, qui sunt

regnum Christi, & mali, qui sunt regnum diaboli & Antichristi. Et de his duobus generibus agit iste psalmus. Est ergo tituli sensus, *intellectus Dauid propheta*, tendens in finem, qui hic aperitur; *quem habuit de hoc* quod factum est *cum venisset Doeg Idumeus*, id est Antichristus, vel terrenum genus hominum impiorum: qui sunt corpus eius, *& annũciasset Sauli*, id est diabolo eius auxilium petendo, vel eum in regem postulando, annunciasset inquam, *venit Dauid*, id est, Christus; *in domum Abimelech*, id est in regnum, vel synagogam Iudæorum, & deinde ad ecclesiam fidelium quæ synagogæ successit, & factũ est Dei regnum. Monet ergo hic psalmus, vt roborentur fideles, contra Antichristum, & complices eius, qui finaliter inuasuri sunt Christum & eius regnum. Et PRIMO inuehit in Doeg, id est, Antichristum, & cõtra eum fideles roborat: SECVNDO agit de celeri fine iniqui. ibi, *Propterea Deus destruet te.* TERTIO pro deiectione eius ponitur irrisio, ibi. *Videbunt.* QVARTO dicit quomodo bonus contra eum se habeat cũ laude partis contrarię. ibi, *Ego autem.*

PSALMVS LII.

DIXIT *insipiens.* Titulus, *in finem intellectus Dauid pro Amalech.* Tangit historiam libri Regum de Amalechitis, qui absente Dauid inuaserunt Sicheleg, ciuitatem eius: *Amalech* autem interpretatur populus lingens terram: & significat Antichristum, & eius populum, amantes terrena: qui in fine mundi pro viribus

 vasta-

vastabant ecclesiam, sed *Dauid*, id est Christus, percussis Amalechitis eam liberabit. Vel secundum aliam litteram, quam ponit Augustinus, per Amalech, *melech*, quia melech interpretatur dolens, vel parturiens; hic significatur cœtus fidelium, qui nunc dolet, & maxime dolebit tempore Antichristi, refrigescente charitate multorum: & parturit, donec formetur Christus in illis, pro quo increpantur hic homines inter quos gemit. Vnde hic intendit propheta ecclesiam contrà Antichristum, vel peruersos qui eius membra sunt, roborare & consolari. Et PRIMO ponitur increpatio malorum: SECVNDO comminatio per finem eorum. ibi, *Nonne*. TERTIO dicit, quod salus sit parturienti ecclesiæ. ibi, *Quis dabit*.

PSALMVS LIII.

DEVS *in nomine tuo*. Titulus, *in finem in carminibus vel hymnis, intellectus Dauid, cum venissent Ziphei ad Saul, & nunciassent Saul, nonne Dauid absconditus est apud nos*. Legitur in libro Regum, quod Dauid fugiens venit in desertum Ziph, & ibi latuit: quod Ziphei nunciauerunt Sauli: sed inde fugiens, & in spelunca latens, euasit. Vnde sumitur titulus, sed tamen non de historia, sed de eius significato agit psalmus. *Ziphei* enim interpretantur *florentes*: & significant illos, qui in præsenti florent copia temporalium, quorum gloria est vt flos feni, qui hodie floret, & cras in clibanum mittitur: inter hos latet Dauid, id est, sancti mortui mundo,

mundo, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo; hos produnt Ziphei Regi Sauli, cum eos ad regnum mortis trahere moliuntur: & hic eſt *intellectus* Dauid, id eſt prophetæ, vel alterius cuiuſcumque viri ſpiritualis: qui intelligit florem malorum tranſiturum; & iſte intellectus eſt *in carminibus vel hymnis*, id eſt, in laudibus: quia hoc intelligens ſcit quod etiam in aduerſis laudandus eſt Deus, & hoc ſcit ille, qui dirigit aciem mentis *in finem*, id eſt, in nouiſsima, non in præſentia. Monet ergo in aduerſis laudare Deum: & PRIMO ſunt verba eccleſiæ orantis & latentis inter Zipheos cuius bonum intus eſt, & merces occulta: SECVNDO dicit, quid ſibi & Zipheis faciat Deus, vnde ſoluit laudes. ibi, *Ecce enim.*

PSALMVS LIV.

EXAVDI *Deus.* Titulus, *in finem in carminibus vel hymnis intellectus Dauid.* Per Dauid hic intelligitur eccleſia, quæ ſummopere aduertere debet in quo malum nunc eſt, à quo liberari optat, plangens inter mala ſæculi: quia non eſt in præſenti incolatu locus gaudij, ſed mœroris; & huius rei *intellectus eſt in carminibus*, vel hymnis, id eſt in laudibus, vt hoc intelligens ſemper Deum laudet, quia ſemper laudandus eſt, ſiue erudiat nos aduerſis, ſiue conſoletur lætis: quod fit ſi dirigitur mentis acies *in finem*, id eſt in Chriſtum, vel in futuram conſummationem. Et loquitur hic eccleſia ſiue in perſona ſua, ſiue iuſti, quaſi in perſona hominis

pusillanimis in tempestate positi. Et PRIMO ponitur oratio contra fluctus sęculi: SECVNDO, iste pusillanimis iam in solitudine solus, sperat auxilium Dei, & imprecatur ciuibus, ibi. *Expectabam.* TERTIO affirmat, quid sibi & illis fiat alternatim procedendo. ibi, *Ego autem.* Et est psalmus iste vnus qui de passione Christi & resurrectione latius agunt.

Psalmvs LV.

MISERERE *mei*. Titulus, *in finem pro populo qui à sanctis longe factus est, ipsi Dauid, in tituli inscriptione cum tenerent eum Allophyli in Geth.* Hic titulus partim sumptus est ex Euangelio, vbi legitur de inscriptione tituli per Pilatum in cruce Christi; partim ex libro Regum, vbi habetur, quod Dauid fugiens Saulem venit ad Achis Regem Geth, quæ est ciuitas Allophylorum: vbi legitur fuisse peregrinus, sed non retentus: quod non litteraliter sed spiritualiter intelligendum est, vt sit sensus: psalmus iste tendens *in finem*, id est in Christum, est *pro populo* saluando, *qui à sanctis longe factus est*, quibus appropinquant, qui Christum recipiunt, *in tituli inscriptione.* Populus autem qui est à sanctis longe factus in tituli inscriptione, cui contradicit, est tàm populus Iudæus quam omnis qui non vult habere Regem Christum; & ipsi idem sunt qui tribulant ecclesiam, scilicet *Allophyli*, id est, alienigenæ, à Christi nomine alieni, contradicentes inscriptioni tituli: factus scilicet *ipsi Dauid*, id est Christo in cruce pen-

pendenti; *cum tenerent eum Allophyli*, id est, perſecutores ſui *in Geth*, id est, in torculari, ſcilicet in preſſuris paſsionis, ſicut & adhuc in corpore & membris eccleſiæ multipliciter premitur. Ideo hic PRIMO eccleſia, velut vna in torculari ab Allophylis preſſa, ſummatim tangens tribulationes, finaliter in Deo ſperans, dicit, ſe non timere: SECVNDO enumerat mala, quæ ſuſtinet: ex quibus tandem fit inimicorum conuerſio. ibi, *Tota die.* TERTIO iam velut de malis ſæculi libera, laudem cantare ſe promittit. ibi, *In me ſunt Deus.*

PSALMVS LVI.

MISERERE *mei Deus.* Titulus, *in finem ne diſperdas vel corrumpas Dauid, in tituli inſcriptione, cum fugeret à facie Saul in ſpeluncam.* Legitur in libro Regum, quod Dauid fugiens Saul venit ad loca tutiſsima Engaddi, vbi abſconditus in ſpelunca latuit: quod tangit titulus; ſed hoc ab hiſtoria retrahit, quod de *tituli inſcriptione* dicit: quia nullus titulus legitur fuiſſe inſcriptus Dauidi, quem Saul vellet corrumpere; ſed Chriſto, qui de Dauid natus eſt, inſcriptus eſt titulus, quem populus Iudæorum corrũpere voluit, ſed quia per S. Spiritum ſcriptum erat, *ne corrumpas*, ait Pilatus, *Quod ſcripſi, ſcripſi*: ſpelunca vero ſepulchrũ Chriſti accipitur, vbi latuit Iudæis incognitus. Eſt ergo tituli ſenſus, pſalmus iſte dirigens nos *in finem*, id eſt, in Chriſtum, hoc agit *ne* tu Pilato vel alius qui-

cumque *disperdas* vel *corrumpas Dauid*, id est Christum, *in tituli inscriptione*, id est, negando Christum esse Regem, quod tituli inscriptio confirmabat. *Cum fugeret à facie Saul*, id est, cognitione Iudæorum, *in speluncam*, scilicet carnis, id est, carne tectus, vel in sepulchro absconditus. Caro enim, vel mors, quæ in sepulchro patuit, Iudæis Christi diuinitatem abscondit. Agit ergo psalmus iste de passione Christi & resurrectione: mouens, ne quis titulo crucis contradicat: sed Christum Regem credat. Et PRIMO propheta loquens in persona Domini, quasi inter mala exclamat, & prædicit liberationem: SECVNDO per quid liberatus sit, & de quibus, dicit. ibi, *Misit Deus*. TERTIO post resurrectionem laudes promittit. ibi, *Paratum cor meum*.

PSALMVS LVII.

SI *vere vtique*. Titulus, *in finem ne corrumpas vel disperdas, Dauid in tituli inscriptione* Patet vt supra, & PRIMO, ponitur exprobatio Iudæorum, ne similia faciamus: SECVNDO quæ eis fit retributio, dicit, ibi. *Deus conteret*. TERTIO ostenditur correctio Iudæorum & de vltione iniquorum. ibi, *Lætabitur*.

PSALMVS LVIII.

ERIPE *me*. Titulus, *in finem, ne corrumpas vel disperdas Dauid, in tituli inscriptione*: quando

quando misit Saul & custodiuit domum eius vt interficeret eum. Patet vt supra: nisi quod additur ex libro Regum, quod Saul quærens interficere Dauid, misit satellites suos, vt custodirent domum eius, & eum inde exeuntem occiderent. De qua tamen historia, non agit psalmus, sed de eius significato: vnde *Dauid* Christum significat, *Domus* eius, sepulchrum Christi: *Saul* regnum Iudæorum, qui miserunt custodire sepulchrum vt interficerent eum, & si non tunc corporaliter, quia iam interfectus est: tamen spiritualiter, id est, nomen eius, & famam suæ resurrectionis, quod non potuerunt. Quod præuidit hic propheta, monens, ne quis regno eius quod *in tituli inscriptione* designatur, contradicat. Et loquitur hic totus Christus (id est, caput & corpus) quasi ab inimicis obsessus, & PRIMO orat liberari ascendendo ab imis ad alta orans etiam pro salute gentium; SECVNDO affirmat salutem gentium, orans etiam pro salute Iudæorum. ibi, *Conuertentur ad vesperam.* TERTIO affirmatur salus Iudæorum, & vtroque pariete collecto gentes aguntur. ibi, *Conuertentur.*

PSALMVS LIX.

DEVS *repulisti.* Titulus, *in finem pro his qui commutabuntur in tituli inscriptione ipsi Dauid in doctrinam: cum succendit Mesopotamiam Syriæ,* (vel Syriam & Syriam Sobab) *& conuertit Ioab, & percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.* In Paralippomenon legitur, quod

quod Naas Rege Amonitarum mortuo, misit Dauid nuncios ad consolandum filium eius Amon: cui suggesserint Principes sui, quod causa explorandi misisset. Ideo Amon nuncios iniuriose remisit, vnde postea Dauid vindictam sumpsit. Legitur in libro Regum quod Dauid percussit Adarezer Regem Sobab, quæ est pars Syriæ capta vero Syria, percussit Dauid Edom duodecim millia: has historias tangit titulus: sed quia ibi non legitur quod Dauid conuertit Ioab, vel quod in prædictis vastationibus aliquid succenderit, ideo superficie relicta, ad spiritualem sensum diriguntur, qui ex interpretatione nominum sumitur, interpretatur enim *Mesopotamia*, eleuata vocatio; *Syria* sublimis; *Sobab* vana vetustas. *Ioab* inimicus; *Edom* terrenus. His omnibus significantur elati magnitudine terrenæ vanitatis: quos omnes Christus igne charitatis, quem misit in terram, accendit, & conuertit inimicum ad fidem suam. Et percussit *Edom*, id est terrenos, vt viuerent cælestes, pro his ergo qui sic *commutabuntur* de veteri vita in nouam. *In tituli inscriptione*, id est suscepto Christi regno, per fidei suæ doctrinam, loquitur psalmus iste. Quod autem *duodecim millia in valle Salinarum percussos* esse dicit titulus, significat quod totus mundus, qui in duodenario tanquam in numero perfecto designatur, à quatuor orbis partibus, ad fidem sanctæ Trinitatis admonitus per duodecim Apostolorum doctrinam, *percussus* ad contritionem, & vocatus est ad salutem: & hoc *in valle Salinarum*, id est, in humilitate sapientiæ Christianæ; *vallis* enim humilitatem, & *salina* sapientiæ saporem

porem significat. Intendit ergo propheta docere, beatam esse contritionem sęculi, per quam probat omnes homines commutandos de temporalibus ad æterna, & PRIMO referuntur percussiones factæ pro æternis pœnis vitandis: SECVNDO agit de liberatione, quam precatur & affirmat. ibi, *Vt liberentur.* Loquitur autem in voce percussorum, in melius mutatorum.

PSALMVS LX.

EXAVDI *Deus.* Titulus, *in finem, in hymnis psalmus Dauid.* Hic est vox ecclesiæ laborantis in terra: quasi vnius hominis, sed non est vnus homo; qui à finibus terræ clamat, quia etsi laboret inter impedimenta sæculi, Deum tamen laudare non desinit, ideo intitulatur *psalmus in hymnis,* id est, in laudibus exhibitis *Dauid,* id est, Christo. Et PRIMO ecclesia vndique pressa orat, & se perseueraturam, & per quid, indicat: SECVNDO iam audita de hæreditate habenda affirmat, vnde laudes promittit. ibi, *Quoniam tu Deus.*

PSALMVS LXI.

NONNE *Deo.* Titulus, *in finem pro Idithim psalmus Dauid.* Patet supra psalmus iste est *Dauid* prophetæ habitus *pro Idithim,* id est, pro transiliente, scilicet à terrenis ad cælestia; mouens pigros illum sequi, & laudans locum, quo

quo transiliendo peruenit. Et PRIMO propheta loquens in persona transilientis, respondet inuidis volentibus decipere: SECVNDO se subiici hortatur, & reliquos ad idem monet. ibi, *Verumtamen Deo subiecta esto*. TERTIO errantes, exprobrat, & monet, in Deo, non in caducis confidere. ibi, *Verumtamen vani*, & hæc est principalis intentio psalmi.

PSALMVS LXII.

DEVS *Deus meus*. Titulus, *psalmus Dauid cum esset in deserto Idumeæ* In libro Regum legitur, quod Dauid fugiens Saul, abscondit se in deserto Idumeorum: de quo tamen non agit psalmus, sed de eius significato. Vnde psalmus iste attribuitur *Dauid* loquenti in persona ecclesiæ, de his quæ sustinuit *cum esset in deserto Idumea*, id est in ariditate huius sæculi, vbi ipsa sitit, & misericordiam à Deo piis precibus expetit. Donec æterna capiat: docens nos suo exemplo bene conuersari in medio huius nationis prauæ atque peruersæ. Et PRIMO dicit ecclesia, quomodo se habeat in deserto, videlicet, quod ipsa necessitatibus huius vitæ æstuans ad Deum clamat, & eum videre desiderat: quem & laudat, & id amplius agere optat. SECVNDO, exponit bona & mala vtriusque partis; scilicet contra difficultates huius sæculi quas patitur, dicit: securitatem suam esse ex Deo, in qua memor est eius. Memorans inimicos perituros, & Regem suum cum suis lætaturum. ibi, *Sic memor fui*. Et loquitur hic in persona capitis & membrorum.

PSAL.

PSALMVS LXIII.

EXAVDI. *Deus orationem meam.* Titulus, *in finem psalmus Dauid.* Hic agit de passione Christi, & resurrectione: & loquitur totus Christus, id est, caput & corpus, monens in passionibus sperare in Domino. Et PRIMO enumerat, quæ pertulerit, & quomodo se contra habuerit, vt in similibus passionibus spem in Domino habeamus. SECVNDO Iudæorum prauitatem irridet, ibi, *Sagitta.*

PSALMVS LXIV.

TE *decet.* Titulus, *in finem psalmus Dauid. Canticum Hieremiæ & Aggei & Ezechielis de verbo prædicationis vel de populo transmigrationis cum inciperent proficisci.* Notæ sunt historiæ, qualiter filij Israel de Hierusalem translati sunt in Babiloniam: sed quia omnia in figura nostri contingebant eis, hæc ad nos spiritualiter referenda sunt: est ergo psalmus iste *Canticum*, id est exultatio populi Christiani, prius per peccatum *in Babiloniam*, id est in ciuitatem diaboli transmigrantis, in hac quoque vitæ miseria peregrinantis; sed postea *in Hierusalem*, id est, in ciuitatem Dei per gratiam redeuntis, & *incipientis proficisci*; quam spiritualem liberationem præuidentes prophetæ in titulo nominati gaudebant. Intendit ergo hic psalmus nos consolari in hoc exilio, ne quis desperet: quia certificat

tificat reditum, & per quem fiat, & quæ diuitiæ ſint reuerſis. Vnde PRIMO propheta in voce reuertentium lætus cantat, & affirmat reditum, & precatur, SECVNDO laudes Dei, & virtutes deſcribit. ibi, *Spes omnium finium terræ.*

PSALMVS LXV.

IVBILATE *Deo.* Titulus, *in finem canticum pſalmi reſurrectionis. Canticum* iſtud dirigens nos *in finem*, id eſt in Chriſtum, vel in futuræ beatitudinis conſummationem. Eſt *reſurrectionis*, quia hic eſt exultatio de reſurrectione tam capitis, quæ præceſsit; quam etiam membrorum, quæ futura eſt. Et dicitur *canticum pſalmi*, quia pro ſpe reſurrectionis monet ad bene operandum, & ad iubilum & pſalmum. Et PRIMO monet omnes de reſurrectione Chriſti gaudere, quæ omnibus dat vitam. SECVNDO incipientes inuitat ad opera Dei conſideranda, vt vna fides iungat, quos vnum præmium expectat. ibi, *Venite & videte.* TERTIO monet gentes benedicere Deum, qui licet probet tribulationibus, tamen ducit ad regnum. ibi, *Benedicite gentes.* QVARTO, iterum monet non iam rudes, ſed deuotos, exemplo ſuæ liberationis amplius confidere in Domino. ibi, *Venite & audite.*

PSALMVS LXVI.

DEVS *miſereatur noſtri.* Titulus, *in finem in hymnis pſalmus cantici Dauid.* Pſalmus iſte dirigens

dirigens *in finem* dicitur *canticum*, quia eſt exultatio de benedictione, quę per aduentum Christi omnibus data erat; & dicitur *canticum pſalmi*, quia monet ad bene operandum, ſcilicet, ad laudem Dei, & ideo eſt *in hymnis*, id eſt, in laudibus, exhibendũ. Dauid, id eſt Chriſto, PRIMO ergo precatur benedici, vt habeatur notitia ſaluatoris. SECVNDO hortatur confiteri pro directione, & iudicio. ibi, *Confiteantur*. TERTIO eadem admonitio ponitur, ſed ad aliud tendens. ibi, *Confiteantur*. Per hoc autem quod in vltimo verſu ter nominatur Deus, notatur Trinitas perſonarum, à qua benedictio poſtulatur.

PSALMVS LXVII.

EXVRGAT *Deus*. Titulus, *in finem pſalmus cantici Dauid*. Hic agit propheta de exaltatione Chriſti & eccleſiæ, & inimicorum deiectione; vt bonos lætificet, & malos terreat: monens pſallere Deo, & exultare. Et PRIMO dicit, quid malis boniſque futurum ſit, cum Chriſtus exurget ad iudicium: SECVNDO agit de verbo euangelij exhibito hominibus per Chriſti egreſſum, id eſt, per incarnationem: qua velut à Patre egrediens ad homines egreſſus eſt. ibi, *Deus cum egrederetur*. TERTIO agit de donationibus Chriſti aſcendentis. ibi, *Dum diſcernit*. QVARTO operationes Dei exponit. ibi, *Deus noſter*. QVINTO precatur & affirmat vt eccleſia Dei, dilatetur, & confirmetur. ibi, *In eccleſijs*. SEXTO dicit, quod veniet Chriſtus ad iudicium, qui aſcendit. ibi, *Pſallite*.

PSAL-

PSALMVS LXVIII.

SALVVM *me fac*. Titulus, *in finem pro his qui commutabuntur ipsi Dauid*. Duæ sunt commutationes, vna de bono in malum, qua commutatus est Adam: alia de malo in bonum, & de bono in melius, qua commutantur fideles per Christi gratiam: & pro his agit iste psalmus. Et est vnus eorum, qui de Christi passione & resurrectione latius tractant; monens ad laudem pro commutatione fidelium per ipsum facta. Et PRIMO precatur Christus, clamans ad Patrem, saluus fieri, quia multa patitur quantum ad se, gratis; sed quæ alius rapuit soluit. SECVNDO qui soluerit exponit. ibi, *Deus tu scis*. TERTIO prædictis malis orationem opponit. ibi, *Ego vero*. QVARTO contra aduersarios prophetat. ibi, *Fiat mensa*. QVINTO dispensationem incarnationis & sanctitatem propositi aperit. ibi, *Ego sum pauper*.

PSALMVS LXIX.

DEVS *in adiutorium*. Titulus, *in finem psalmus Dauid in rememoratione quod saluum eum fecit Dominus*. Psalmus iste dirigens *in finem*, id est, in Christum, attribuitur *Dauid*, id est omni iusto, qui hic loquitur *in rememoratione quod saluum eum fecit Dominus*: Vnde in hac memoria gloriatur, non in se, sed in Deo salutari suo: & PRIMO in persona cuiuslibet iusti

petit

petit se adiuuari & saluari,& malos erubescere: SECVNDO monet lætari bonos, quos egenos Deus adiuuat & liberat. ibi, *Exultent & lætentur.*

PSALMVS LXX.

IN *te Domine speraui.* Titulus, *psalmus Dauid filiorum Ionadab & priorum captiuorum.* Sic psalmus totus est de commendatione gratiæ, vt tota spes nostra in Deo sit, non in nostris viribus. Quod autem *filiorum Ionadab* fit hic mentio, hoc ideo, quia iste commendatur à Hieremia propter obedientiam, quam ipse & filij eius Deo seruauerunt. Vnde & Deus benedixit eis propter obedientiam, eosque per Hieremiam obiicit filiis Israel, qui propter inobedientiam trina vice captiuati sunt. Cum vero dixisset *filiorum Ionadab*, adiecit & *eorum qui primi captiui* ducti sunt: non quia illi captiui fuerunt, sed potius oppositi sunt filiis Israel captiuandis peccato inobedientiæ. Sed cum de his non sonet psalmus, potius de nobis spiritualiter est intelligendus. *Ionadab* interpretatur spontaneus Domini, id est qui ex voluntate seruit: *filij* autem eius sunt filij obedientiæ; scilicet, qui ex dilectione seruiunt. Qui *primi captiui* dicuntur, quia per inobedientiam primi hominis in quo omnes peccauerunt, sub lege carnis captiui sunt. Vel *primi captiui* intelliguntur, non *filij Ionadab* per quos intelligimus obedientes; sed potius filij inobedientes, qui nolunt corrigi, & ideo in peccato captiuati. Est ergo psalmus iste

iste *Dauid propheta*, qui cantatur filiis obedientiæ, vt perseuerent, & filiis inobedientiæ vt desistant: omnes monens, ne falso de seipsis præsumant, sed in gratia Dei gratis data spem ponant. Et PRIMO petit iustus à captiuitate, in qua natus est, & ab omnibus malis liberari; SECVNDO agit de gratia danda tempore senectutis & senij. ibi, *Ne proijcias*. TERTIO dicit cui personæ sit danda gratia. *Deus quis similis*.

PSALMVS LXXI.

DEVS *iudicium tuum*. Titulus, *in Salomonem*. Salomon interpretatur pacificus: quod verissime Christo congruit, qui mediator Dei & hominum nos reconciliauit, ideo in eum dirigitur psalmus iste, quia commendatur ipse hic, secundum vtramque naturam; monendo, vt Christum verum Regem credamus. Et PRIMO agit de iudicio, optando illud dari filio: SECVNDO agit de eodem, affirmãdo, quod optauerat. ibi, *Iudicabit*. TERTIO dicit, quis, & qualis ante veniet Rex ille in futuro iudicaturus, *descendet sicut pluuia*. QVARTO agit de operibus eius; *quia liberabit*. QVINTO agit de honorificentia Regis, *& viuet & dabitur*. SEXTO monet omnes, laudes ei dicere. ibi, *Sit nomen eius*. SEPTIMO ipsemet propheta Deo laudes eructat, BENEDICTVS DOMINVS, & more principis, omnibus dictis subscriptionem pro confirmatione subiicit. ibi, *Fiat, fiat*.

Psalmvs LXXII.

QVAM *bonus Israel*. Titulus, *Defecerunt hymni Dauid filij Iesse, psalmus Asaph*. In titulis sæpe nomen Dauid reperitur: sed præter solitum hic additum est *filij Iesse*: quod ideo factum est, quia hic agitur de hoc, quod defecerunt laudes vel hymni Dauid, non Christi filij Dei, sed filij Iesse, id est, Iudaici populi, qui per illum Regem significatur. Cuius laus *deficere* dicitur, quia illo tempore, quo latebant spiritualia, pro regno illo, vbi regnabat homo filius Iesse, & pro huiusmodi carnalibus, carnalis populus laudabat Deum: sed regno illo, & cæteris temporalibus deficientibus, deficit laus, non Dauid filij Dei, sed *Dauid filij Iesse*; id est carnalis populi. Et attribuitur hic psalmus *Asaph*, id est, synagogæ fideli, non iam carnaliter, sed spiritualiter, nec pro temporalibus, sed pro æternis Deo seruienti. Monens etiam, vt non pro temporalibus, sed pro æternis Deum laudemus. Et PRIMO Asaph describens nequitiam malorum, dicit se zelasse prospera eorum, tamen correctum; & correctus alios corrigit. SECVNDO exponens suum & aliorum errorem, dicit, se inde reuersurum ad melius consilium. ibi, *Ideo conuertetur*. TERTIO aperit, quid didicit in sanctuario Dei. ibi, *Verumtamen*. QVARTO comparat præmium cæleste voluntati suæ, & se arguit: *Quid enim mihi.*

PSAL.

PSALMVS LXXIII.

VT *quid Deus*. Titulus, *intellectus Asaph*. Asaph Hebraice, Græce *synagoga*: quæ hic loquitur. Vnde hic aperitur intellectus synagogæ non carnalis, sed iam fidelis, quæ intelligit, quod veritas venit, figuris ablatis: & quod æterna, non temporalia, quærenda sunt: monens, relictis figuris, transire ad veritatem. Et quia propheta præuidebat vastationem Hierusalem, propter repugnantiam, quam factura erat veritati, occidendo Christum. Ideo hanc vastationem Hierusalem lamentatur, & deplorat. Et PRIMO describens euersionem Hierusalem, quærit causam, quare fuerit; quasi admirans & conquerens, & precatur pro repulso populo, & vltione in destructores. SECVNDO ostendit salutem vndique factam in aduentu Christi. ibi, *Deus autem*. TERTIO quod vbique fit, precatur fieri Iudæis, *memor esto*.

PSALMVS LXXIV.

CONFITEBIMVR *tibi*. Titulus, *in finem ne corrumpas vel dissipes psalmus cantici Asaph*. Psalmus iste, qui monet ad bene operandum, est *cantici*, quia de remuneratione æterna; & est *Asaph*, id est, fidelis synagogæ, dirigens *in finem*, id est, in beatitudinem, *ne corrumpas vel dissipes*, id est, ne violes spem, quæ habetur in promissione Dei: sed sit tibi certa eius promissio,

ſio, vt proſpera & aduerſa deſpicias, & in Dei promiſsione gaudeas. Monet ergo pſalmus iſte, ne quis ſuperbus de ſe præſumat, nec humilis de Deo deſperet: quia licet affligat, certa tamen promiſsione conſolatur, & PRIMO proponitur humilis, qui & alios inuitat, SECVNDO terretur ſuperbus, iudicio, quod effugi non poteſt. ibi, *Cum accepero tempus.*

PSALMVS LXXV.

NOTVS *in Iudæa*. Titulus, *in finem. In carminibus canticum ad Aſſyrios pſalmus Aſaph* Aſſyrij, interpretantur *dirigentes*, quaſi erigentes, & ſignificant Iudæos, qui erigunt ſe contra Chriſtum, ipſum perſequendo, & eius eccleſiam: ſicut olim Aſſyrij perſequebantur Iudæos, & eorum ſynagogam; contra quos hic loquitur *Aſaph*, id eſt, ſynagoga fidelis, confutans eos, & dirigens *in finem*, id eſt Chriſtum, & hoc *in carminibus*, id eſt, in laudibus, ad quas monet, & eſt *canticum*, quia agit de bonis Chriſti, vt quod illuminat, & quod ſaluat, & iudicat: ibi, *Illuminans*. TERTIO admonet deuotos ei reddere vota. ibi, *Quoniam cogitatio.*

PSALMVS LXXVI.

VOCE *mea ad Dominum*. Titulus, *in finem pro Idithum pſalmus Aſaph*. Pſalmus iſte attribuitur *Aſaph*, id eſt, congregationi fideli, quæ hic loquitur: & agit pro Idithum, id eſt, pro

pro seipsa transiliente *in finem*, id est, in Christum, qui est super omnia: docens nihil ei proponere, sed pro eo desiderabilia & illecebras mundi calcare. Et PRIMO dicit, quomodo transcendens omnia Deum quærit, & inuenit: SECVNDO, inuento Deo, deliberat an sit eum redempturus. ibi, *Anticipauerunt*. TERTIO, dicit, quid deliberando inuenerit. ibi, *Et dixi*. QVARTO exponit, quæ in mundo Christus operatur. ibi, *Viderunt te*.

PSALMVS LXXVII.

ATTENDITE *populе meus*. Titulus, *intellectus Asaph*. Hic est intellectus Asaph, id est, fidelis congregationis, quia hic historialiter narrata, in nobis spiritualiter intelligenda sunt: quæ enim figuraliter illis contigerunt, eadem modo nobis in re fiunt; vnde per acta in veteri populo Iudæorum, intendit monere nouum Christianorum populum, ne sint ingrati beneficiis Dei, & eius iram in se prouocent. Et PRIMO, auditores attentos facit, quia quæ videntur aperta, parabolæ sunt, & ænigmata, & vt maior detur verbis suis reuerentia, Dominum loquentem inducit: SECVNDO, summatim dicit, quid Deus Iudæis, licet ingratis, fecerit. ibi, *Quanta*. TERTIO dicit, quæ ab exitu de Ægypto fecit eis, nec tamen resipuerunt. ibi, *Coram patribus*. QVARTO dicit, quod dilatâ vindictâ Deus dedit eis prius, quæ petebant, vt pateret eius potentia. ibi, *Audiuit*. QVINTO agit de vindictis Dei, & quod non obstante simulatâ

mulata eorum conuersione, timore pœnæ, sententia diuina temperata est. ibi, *Adhuc esca eorum.* SEXTO, dicturus plagas Ægypti propter eos factas, comparando mala eorum beneficiis Dei, dicit eos oblitos, & temptasse Deum. ibi, *Quoties exacerbauerunt.* SEPTIMO dicit, quod Iudæos de Ægypto eductos in terram promissionis induxit, & tamen iterum offenderunt. ibi, *Et abstulit.* OCTAVO agit de vltione facta in terra promissionis, quæ etiam retorta est in ipsos, per quos puniuit. ibi, *Audiuit Deus.* NONO dicit, quod repulsis inimicis & percussis, aliquos sibi electos, & dilectos ædificauerit. ibi, *Et repulit.* Et ibi agit de regno Dauid, & loco regni, in quo regnum Christi intelligitur, qui in Dauid figurabatur, & in regno eius Christi ecclesia.

PSALMVS LXXVIII.

DEVS *venerunt gentes.* Titulus, *psalmus Asaph.* Psalmus iste attribuitur *Asaph*, id est, fideli synagogæ, quæ hic loquitur de percussione sibi facienda per gentiles, seu infideles; monens in bonis Christianorum lętari, & in eorum calamitatibus affligi. Et PRIMO, conqueritur, narrans quanta pertulerit Hierusalem, scilicet ex operibus Antiochi, licet destructa non fuerit; pro qua significatur ecclesiæ persecutio, in qua ipsa non deficit, sed proficit. SECVNDO ponitur deprecatio pro parte sua contra inimicos. ibi, *Vsquequo Domine.* TERTIO exultatiua conclusio victorum. ibi, *Nos autem.*

Vbi post persecutionis lamenta suauiter exultat ecclesia.

PSALMVS LXXIX.

QVI *Regis Israel intende*. Titulus, *in finem pro his qui commutabuntur, psalmus pro Assyrijs testimonium Asaph*. Asaph prius in superioribus psalmis pro peccatis trepidus orabat: iam vero illuminatus, & confortatus, agit de primo aduentu Christi, & de vinea eius: & hoc est *testimonium suum*; scilicet de Christo capite, & eius corpore, de rege & plebe, de pastore & grege. Per hoc ergo *testimonium, Asaph*, dirigens nos *in finem*, scilicet Christum venturum, agit *pro his qui commutabuntur*, scilicet de malo in bonum, vel de bono in melius; & *pro Assyrijs*, id est, Iudæis, contra Christum se superbe & contumaciter erigentibus, vt *commutandis*, id est, conuertendis, sit *testimonium* rectæ fidei; & *Assyrijs*, id est, peruertendis sit testimonium perfidiæ. Monet ergo psalmus iste in melius commutari, & ad Christum dirigi. Et PRIMO ponitur deprecatio primi aduentus, per quem fit reparatiua commutatio generis humani: SECVNDO agitur de vinea, id est ecclesia, ostendendo quomodo incepta sit, & perfecta. ibi, *Vineam de Ægypto*.

PSALMVS LXXX.

EXVLTATE *Deo*. Titulus, *in finem pro torcularibus, psalmus ipsi Asaph, quinta sabbati*.

bati Iste psalmus dirigens nos *in finem*, id est, in Christum, cantatur *ipsi Asaph*, quia secundum litteram ipse loquitur Iudæis, sed spiritualiter Christianis: agens *pro torcularibus*, id est, de ecclesijs, quæ propter causam prætactam per torcularia designantur: quia in eis est pressura tribulationum, per quam boni à malis discernuntur; habitus *quinta sabbati*, scilicet, vt significaretur, quod hic agitur de baptizatis aqua baptismi sacramentalis; nam *quinta die* creauit Deus ex aquis natatilia & volatilia, id est, pisces & aues, in quo figuratum est baptismi sacramentum, per quod renati, alij sunt tanquam pisces in fluctibus huius sæculi remanentes: alij tanquam aues ad cælestia tendentes.

Monet ergo psalmus iste, vt post baptismum, spretis terrenis, mente ad cælestia conscendamus, & PRIMO quasi proposita sibi imagine cuiusdam solemnitatis, electos ad celebritatem incitat, ostendens, quid eis inter huius sæculi pressuras agendum sit: SECVNDO reprobos redarguit. ibi, *Audi populus*.

PSALMVS LXXXI.

DEVS *stetit in synagoga*. Titulus, *psalmus Asaph*. Psalmus iste fit Asaph, id est, synagogæ, quæ hic à Christo, vel à propheta redarguitur, quia Deum corporaliter vidit, & tamen eum non agnouit: monens, vt saltem nunc credat Christum, quem tunc in medio sui vidit, verum Deum fuisse & hominem. Et PRIMO nunciat Deum secundum humanitatem in sy-

nagoga stetisse, & sibi contrarios redarguit: SECVNDO, monet intelligere Christum esse Deum, licet pauper & egenus fuerit, quod tamen eos non fecisse asserit: ibi, *Iudicate.* TERTIO, dicit quod perierunt & à cælesti gloria reciderunt, quia gratiam adoptionis filiorum Dei neglexerunt, quam eis Christus exhibuit. ibi, *Ego dixi Dij estis.*

PSALMVS LXXXII.

DEVS *quis similis tibi*. Titulus, *canticum psalmi Asaph.* Hic loquitur *Asaph*, id est, fidelis synagoga, præuidens Christum in maiestate iudicaturum, qui in humilitate iudicatus est: per quod deterret iniquos à persecutione bonorum, quos multis modis affligunt in præsenti, maxime tempore Antichristi; & bonos monet ad patientiam, & PRIMO, proposito terrore futuri iudicij describit malitiam inimicorum, vel iniquorum; SECVNDO, agit de vindicta eorum. ibi, *Fac illis.* Vbi non est optatiua oratio, sed prophetica prænunciatio.

PSALMVS LXXXIII.

QVAM *dilecta*. Titulus, *in finem pro torcularibus filijs Chore psalmus.* Psalmus iste dirigens nos *in finem*, id est, in Christum. Proponitur *filijs Chore*, id est, Christi in Caluaria crucifixi. Habitus *pro torcularibus*, id est, agens de ecclesijs in quibus sunt pressuræ tribulatio-

num:

num : quæ bene dicuntur torcularia, quia sicut fructus vuæ, vel oliuæ, in torculari emanant, sic in pressuris ecclesiarum merita sanctorum patent, quæ in pace latebant, quos monet psalmus ad amorem æternorum. Et PRIMO agit de inæstimabili desiderio æternæ domus, ad quam admiratione suspirat : SECVNDO dicit, quo auxilio ad domum Dei veniatur. ibi, *Beatus vir*. TERTIO orat & humiliat se pro impetratione. ibi, *Domine Deus*.

PSALMVS LXXXIV.

BENEDIXISTI *Domine*. Titulus, *in finem filijs Chore psalmus*. Hic agit de noua benedictione data *filijs Chore*, id est, nobis Christianis, per primum Christi aduentum : & PRIMO maledictioni Adæ opponens benedictionem Christi, agit, quomodo per eam fit auersio seu remissio iniquitatis nostræ ? SECVNDO agit de auersione iræ suæ. ibi, *Mitigasti* TERTIO dicit, vnde hoc sciat, & per quem fiant, & quæ illum bona sequuntur. ibi, *Audiam quid loquatur*.

PSALMVS LXXXV.

INCLINA *Domine*. Titulus, *oratio Dauid*. Hic est oratio Dauid, id est, Christi, in forma serui, qui oratur à nobis in forma Dei, orat enim pro nobis, vt sacerdos noster : orat in nobis vt caput nostrum; oratur à nobis vt Deus

noster. Eius autem oratio est fidelium instructio: vnde hic nos monet ad orationem; & hic loquitur Christus nobis, & nos in Christo: vt vox ista capiti conueniat, & corpori, & membris. PRIMO ergo orat Deum Patrem, & seipsum in forma Dei, pro seipso in forma serui: DEINDE concludit, omnes gentes adoraturas. TERTIO orat pro omnibus adorantibus. ibi, *Deduc me.* QVARTO pro se, specialiter, mentionem faciens suæ passionis & resurrectionis. ibi, *Deus iniqui.*

PSALMVS LXXXVI.

FVNDAMENTA *eius.* Titulus, *filijs Chore psalmus cantici.* Hic agit de cælesti Hierusalem, id est, ecclesia, cuius pars militat in terris, pars triumphat in cælis: ideo dicitur *psalmus cantici: psalmus,* quia agit de ecclesia secundum præsentem statum, vbi agit opera; *cantici,* quia agit de ea secundum statum futurum, vbi exultabit: & proponitur *filijs Chore,* id est, Christi, vt ipsi habitent in Syon, hic per spem, & in futuro per speciem. Monet ergo psalmus ad amorem cælestis Hierusalem, & PRIMO prædicat illam filiis Chore, quam commendat per fundamenta, per portas, per famam vt eis augeatur affectus. SECVNDO ipse Dominus agit de eadem Hierusalem. ibi, *Memor ero.* TERTIO, tangit de futura beatitudine. ibi, *Sicut lætantium.*

PSAL-

PSALMVS LXXXVII.

DOMINE *Deus salutis meæ.* Titulus, *canticum psalmi filijs Chore in finem pro Melech ad respondendum intellectus Eman Israelitæ vel Esraitæ.* Titulus ex supradictis patet: nisi in eo, quod ibi dicitur pro *Melech*, qui interpretatur chorus, vt sit sensus, quod pro choro lætantium est illud canticum, quod ideo *canticum* dicitur, quia licet hic de passione Christi agatur, tamen lætus finis passionis ostenditur: & dicitur *canticum psalmi*, quia monet ad bonam operationem, scilicet, ad imitationem passionis Christi: & ideo dirigit *in finem*, id est, in Christum, vel in finem cælestium præmiorum, *canitur* autem *pro Melech*, id est, pro choro: hoc est pro concordia charitatis, *ad respondendum*, id est, vt Christo canenti per chorum respondeamus, Christum imitando & gratias referendo, & hic est *intellectus Eman Israelitæ*, id est, spiritualiter Deum videntis, vel *Eman Esraïtæ*, qui interpretatur aduena, id est, illius hominis, qui dicitur fuisse orientalis, qui in choro respondens canentibus hoc mysterium intellexit.

Monet ergo psalmus Christi passionem imitari. Et PRIMO Christus in forma serui precatur auxilium, referens, se ab inimicis contemptum. SECVNDO dicit, quid amici eius in passione fecerunt. ibi, *Longe fecisti.* TERTIO ostendit, quibus non prosunt opera sua. ibi, *Nunquid.* QVARTO dicit, quæ in suis membris sustinet. ibi, *Et ego.*

PSALMVS LXXXVIII.

MISERICORDIAS *Domini.* Titulus, *intellectus Ethan Israelita.* Ethan cum pluribus aliis præfectus fuit cantoribus, in tabernaculo: interpretatur autem *robustus*; quod nullus est, nisi in spe promissionis Dei, de qua hic agitur. Hic est ergo *intellectus Ethan Israelita*, id est, robusti fidelis in fide videntis Deum, & in eum sperantis, non in se, aut viribus suis. PRIMO ergo propheta de misericordia & veritate Dei se cantaturum promittit: SECVNDO, diuersis modis laudes & potentiam Dei describit. ibi, *Confitebuntur*. TERTIO promissiones Patris de Christo exponit. ibi, *Tunc locutus es.* QVARTO illis promissionibus aduersa dicit. ibi, *Tu vero repulisti.* QVINTO, in quo impletæ sunt promissiones subiungit. ibi, *Vsquequo*. SEXTO quod etiam in membris Christi promissiones impleantur, non temporaliter sed spiritualiter, ostendit. ibi, *Vbi sunt misericordia.* Et ibi loquitur in persona ecclesiæ regnantis: vt promissiones factæ Dauid contra inimicos fidei impleantur: & in fine more principis, ad confirmationem dictorum, subscribit. *Fiat fiat.*

PSALMVS LXXXIX.

DOMINE *refugium.* Titulus, *oratio Moysi hominis Dei.* Psalmus iste dicitur *oratio* *Moysi,*

Moysi, non quod Moyses ipsum conscripserit; sed quia in hoc psalmo tractantur, quæ in veteri testamento per Moysen dato continentur: ostendendo ea, quæ lex vetus sub velamine continebat; vel dicitur *oratio Moysi*, quia eadem orat Dauid, quæ orauit Moyses. Monet ergo psalmus iste, ad contemptum veteris, & ad amorem nouæ vitæ. Et PRIMO in persona ecclesiæ loquens, & à spe incipiens, proponit æternum refugium homini temporali: SECVNDO exponit infirmitatem hominis, ei petens subueniri. ibi, *Ne auertas* TERTIO orat & affirmat eius liberationem. ibi, *Dexteram.*

PSALMVS XC.

QVI *habitat*. Titulus, *laus cantici Dauid.* Psalmus iste est laus *Dauid*, id est Christi, est autem *laus cantici*, quia laus diuina non humana: hic enim agit de victoria Christi & suorum contra diabolum, & eius tentationes, non humano auxilio sed diuino. Vnde PRIMO propheta describit fidentem in solo Deo, omnino protectione Dei vallatum: SECVNDO dicit victorem Christum in cælo leuatum, à nullo posse contingi, & ab omni malo liberari. ibi, *Cadent à latere tuo mille*. TERTIO, inducit verba Dei ecclesiam consolantis. ibi, *Quoniam in me sperauit*. Hic enim defensionem, & in futuro præmia ei promittit. Ideo hunc psalmum quotidie canit ecclesia, ad resistendum contra diaboli tentamenta.

PSALMVS XCI.

BONVM *est confiteri*. Titulus, *psalmus cantici in die sabbati*. Triplex est sabbatum: scilicet temporis, pectoris, & æternitatis. *Sabbatum temporis*, est septima dies septimanæ, qua Deus requieuit ab opere; *sabbatum pectoris*, est tranquillitas mentis & conscientiæ; *sabbatum æternitatis*, est requies vitæ æternæ. De duobus vltimis hic agitur: vnde monet hic propheta, vt hic agentes sabbatum mentis, libenter laboremus pro sabbato æternitatis: & PRIMO dicit, quomodo bonus imperturbatus agit sabbatum mentis: sentiens omnia agi à Deo, quod non nouit stultus. SECVNDO asserit, malos perituros vt metus sit cæteris. ibi, *Cum exorti*. TERTIO dicit, iustos florere, vt hac promissione deuoti gaudeant. ibi, *Iustus vt palma*.

PSALMVS XCII.

DOMINVS *regnauit decorem indutus*. Titulus, *laus cantici Dauid in die ante sabbatum quando fundata est terra*. In sexto die ad literam non legitur terra fundata: sed hoc mystice dicitur, quia sicut sexto die fecit Deus hominem, ita sexta ætate sæculi, quam sextus dies significat, Deus venit hominem reformare: & tunc spiritualiter *fundata est terra*, cum homo de terra factus, in fidei virtute fundatus est, & de hoc est *laus cantici* huius *ipsi Dauid*, id est

Christo,

Christo, qui sexto die, qui est ante sabbatum, id est, sexta die sæculi, hominem reformando stabiliter fundauit. Monet ergo psalmus iste ad laudem Dei, & hoc ex multiplici ratione. PRIMO laudatur à pulchritudine, SECVNDO à fortitudine. ibi, *Indutus est*; TERTIO ab operibus. ibi, *Etenim*. QVARTO à potestate. ibi, *Parata*; QVINTO à laudibus vniuersitatis. ibi, *Eleuauerunt*. SEXTO à veritate dictorum. ibi, *Testimonia* SEPTIMO à laude domus. ibi, *Domum tuam*. Merito ergo psalmus iste laude plenus, primus, cantatur in matutinis laudibus.

PSALMVS XCIII.

DEVS *vltionum*. Titulus, *psalmus Dauid quarta sabbati*. Psalmus iste Dauid prophetæ habitus *quarta sabbati*, id est, agens de patientia sanctorum, qui significatur per luminaria cæli illo die facta: monet nos ad patientiam, ne murmuremus contra Deum; quia ab eo sæpe dantur bona malis, & mala bonis, & PRIMO assumens quærimoniam infirmorum contra Deum murmurantium, cur peccatores glorientur, pręmittit vnde sanentur: SECVNDO contra blasphemos inuehit, ostendens Deum scire hæc, & curare. ibi, *Intelligite*. TERTIO dicit quod mala mundi per iniquos fiunt iustis, vt compuncti clament ad Deum. ibi, *Quis consurget*.

PSALMVS XCIV.

VENITE *exultemus*. Titulus, *laus cantici Dauid*. *Laus* ista *cantici*, id est, deuotionis, & hilaritatis, fit *ipsi Dauid*, id est Christo: per cuius gratiam intramus ad requiem; vnde psalmus iste monet Deum deuote & hilariter laudare, & PRIMO propheta laudes Christi describens, Iudæos inuitat, quos præuidebat posse resistere Christo: SECVNDO, ipse Christus monet eosdem, ne obdurentur. ibi, *Nolite obdurare corda vestra.*

PSALMVS XCV.

CANTATE *Domino*. Titulus, *psalmus Dauid quando domus ædificabatur post captiuitatem*. Per illam reædificationem post Babilonicam destructionem; intelligitur spiritualis reædificatio templi, à diabolo per peccatum subuersi: id est, hominis à Christo reparati. De qua reædificatione, & non de illa materiali, tractat hic psalmus: agens de vtroque Christi aduentu, & monens ad eius laudem. Et PRIMO loquitur ad prælatos vt ipsi cantent & annuncient omnibus; SECVNDO loquitur ad subditos. ibi, *Afferte Domino.*

PSALMVS XCVI.

DOMINVS *regnauit exultet terra.* Titulus, *psalmus Dauid ipsi quando terra eius restituta est ei* Hic tangitur, quomodo mortuo Absalon, qui viuens patrem suum persequebatur, Dauid in pace regnauit: & ei restituta est terra sua; de quo tamen hic non agitur: sed de significato. *Dauid* enim significat Christum, quem *Absalon*, id est, populus Iudaicus, persecutus est: sed *restituta est ei terra* sua, quando caro eius resurrexit: post quam resurrectionem omnia, quæ hic cantantur, facta sunt. Et est iste psalmus de primo aduentu Christi, quo mundus liberatus est. De quo monet ad exultationem. Vnde PRIMO describit virtutes Domini, ostendens omnia ei restituta, & inde arguit idolatras: SECVNDO omnimoda exultatio ostenditur, quam nec persecutio interrumpat. ibi, *Audiuit.*

PSALMVS XCVII.

CANTATE *Domino.* Titulus, *psalmus Dauid*, psalmus iste de vtroque aduentu agit, inde monens ad laudem, & exultationem: & PRIMO agit de ostensione saluatricis dexteræ: SECVNDO dicit omnibus modis laudandum esse, & annunciandum. ibi, *Iubilate Deo.*

PSAL-

PSALMVS XCVIII.

DOMINVS *regnauit irascantur populi.* Titulus, *psalmus Dauid.* Hic agit de potentia, & regno Christi: monens, vt Christum, tanquam Deum, adoremus, & velut regem exaltemus. Et PRIMO ostendit eum regnantem, & quicumque repugnet, altum super omnes: vnde ei cedere monet; SECVNDO monet eum adorari; quia patres antiqui fuerunt eius, id est, seruierunt ei. ibi, *Exaltate Dominum.*

PSALMVS XCIX.

IVBILATE *Deo.* Titulus, *psalmus in confessione.* Duplex est confessio: vna laudis, alia criminis; prima est perfectorum, secunda peccatorum; & de vtraque hic agitur. Et PRIMO perfectis primum genus confessionis, id est laudem, indicit, secundo intraturis, id est, incipientibus, indicit secundum genus confessionis peccatorum. ibi, *Introite portas.*

PSALMVS C.

MISERICORDIAM *& iudicium.* Titulus, *psalmus ipsi Dauid.* Psalmus iste attribuitur *ipsi Dauid*, id est, Christo, agens de misericordia & iudicio, monens bona appetere, & mala renuere. Et PRIMO. de misericordia.

dia & iudicio proponit: SECVNDO exponit quæ sit via immaculata. ibi, *Perambulabam.* TERTIO dicit quis sit finis malorum. ibi, *In matutino.*

PSALMVS CI.

DOMINE *exaudi orationem meam.* Titulus, *oratio pauperis cum anxiaretur, & in conspectu Domini effuderet precem suam.* Pauper iste, Christus est: qui propter nos pauper factus est, in forma serui, cum diues esset apud Deum: qui etiam pauper est in membris, quos in se transfigurans, in eorum persona hic orat; personam pœnitentis propter pristinum statum anxiati, & restitui petentis, assumens; monet ergo psalmus, omnes suam aduertere miseriam: & Dei petere misericordiam; & PRIMO ponitur coaptatio deprecatiua. SECVNDO flebilis narratio. ibi, *Quia defecit.* TERTIO subditur certitudo impetrandi veniam. QVARTO post certitudinem veniæ. Dicit, quod de sua breuitate ad æternitatem transeat. ibi, *Et respondit ei.*

PSALMVS CII.

BENEDIC *anima mea Domino.* Titulus, *psalmus ipsi Dauid.* Id est, Christo, post preces pauperes, sequuntur præconia gaudentis: & PRIMO propheta per sua beneficia à Deo collata hortatur benedicere Deum: SECVNDO per

per ea, quæ antiquis contulit & posteris collaturus est. ibi, *Faciens misericordiam Dominus & iudicium omnibus*. TERTIO per cælestes, & omnes alias creaturas monet benedicere Deũ. ibi, *Benedicite Domino*. Et loquitur propheta generaliter in persona cuiusque iusti, animam suam secundum vim superiorem ad benedicendum exhortantes.

PSALMVS CIII.

BENEDIC *anima meã Domino*. Titulus, *psalmus Dauid*. Psalmus iste, sicut præcedens, monet ad Dei laudem, & docet benedicere Deum per cælum, & terram, & omnem ornatum eorum: sed per hæc visibilia mundi: intelligere & contemplari possumus inuisibilia Dei. PRIMO ergo, monet Deum benedicere per creaturas suas; SECVNDO dicit quomodo ecclesiam per mare sæculi Deus traducit ad portum vitæ. ibi, *Hoc mare*. TERTIO promittit se cantaturum semper Domino. ibi, *Cantabo Domino*.

PSALMVS CIV.

CONFITEMINI *Domino*. Titulus, *Alleluia*. Iste est primus viginti psalmorum, in quibus magnalia Dei & eius beneficia narrantur, quibus ideo præmittitur titulus *Alleluia*, quod interpretatur laudate Deum. Hic ergo psalmus monet ad laudem Dei, & PRIMO admonet semen Abrahæ, id est, filios promissionis

ſionis pertinentes ad hæreditatem teſtamenti æterni, vt ipſum Deum tanquam hæreditatem eligant, & gratis, & non pro aliquo extra eum colant, & hoc faciant laudantes, inuocantes, & annunciantes; nec in ſua ſed in eius gloria per fidem bene operantes; ſed gaudentes, charitate feruentes. Nunc enim interiorem intellectum exteriora primæ partis huius pſalmi verba reſonant. SECVNDO ad paruulorum corda nutrienda & in fide roboranda, proponit de fide patriarcharum & de promiſsione Dei, vt nos ſimus ſemen illorum, non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus. ibi, *Mementote.* TERTIO docet quæ ſubſidia temporalis vitæ præſtitit Deus Patribus & Filiis eorum non ſolum carnalibus ſed ſpiritualibus: vt non his hæreant, ſed ad bonum æternum referant, quod faciunt, ſi his allecti iuſtificationes & legem Dei requirunt. ibi, *Cum eſſent numero breui.* QVARTO narrat quomodo factum eſt vt tranſirent de regno ad regnum. ibi, *Et vocauit* QVINTO narratis breuiter his, quæ in Ægypto geſta ſunt, dicit quomodo firmauit populum ſuum ſuper inimicos ſuos. ibi, *Et auxit.* SEXTO narratis malis quæ Deus intulit inimicis, & quibus bonis temporalibus Iſraelitas fouit, ſubdit, vt his adiuti legem Dei quærant. ibi, *Et eduxit.*

PSALMVS CV.

CONFITEMINI *Domino.* Titulus, *Alleluia Alleluia.* Secundum Hieronymum: vbicumque duo Alleluia præſcribuntur pſalmo, vnum

vnum ad finem prioris psalmi, & alterum ad sequentem pertinet. Cui concordat Cassiodorus. Sed secundum Augustinum, vbi bis ponitur Alleluia, ad eundem pertinet psalmum & ad maiorem fit laudis expressionem, sicut cum Dominus dicit in euangelio *Amen Amen*, hoc fit ad exprimẽdum maiorem rei certitudinem. Monet autem iste psalmus ad geminam confessionem, scilicet salutis & peccatorum. Et PRIMO Hebræus, in cuius persona loquitur propheta, relicta patrum perfidia ad misericordiam Dei conuersus, suadet aliis ad eandem misericordiam conuerti, orans vt populo beneplacito socientur, qui erat in aduentu Christi congregandus. SECVNDO peccata patrum, qui in Ægypto peccauerunt, commemorat, quos tamen Dominus liberauit. ibi, *Peccauimus*. TERTIO dicit peccata, quæ post exitum fecerunt ibi, *Cito fecerunt*. QVARTO alia peccata enumerat, de quibus per Phineem dicit placatum Deum. ibi, *Pro nihilo habuerunt*. QVINTO agit de aqua contradictionis & de immolatione filiorum; vnde vehementius iratus est Deus, & tamen postea misertus. ibi, *Et irritauerunt*. SEXTO precatur, quod futurum videt, scilicet, vt ecclesia de omnibus gentibus congregetur, & laudes æternas cantet. ibi, *Saluos fac Domine*.

PSALMVS CVI.

CONFITEMINI *Domino*. Titulus, *Alleluia Alleluia*. Hic psalmus commendat Dei mise-

misericordiam docens, quid sumus per nos, scilicet infirmi & mali, & quid per misericordiam Dei, scilicet boni & filij Dei: vbi conteritur hominis superbia & glorificatur Dei gratia, quæ de quattuor tentationibus liberat, quæ inferius describuntur, de quibus per nos liberari non valemus. Et PRIMO monet redemptos ad confessionem & laudem. SECVNDO ponit primam tentationem, quæ est error, vbi est & fames, id est, desiderium curiosum. ibi, *Errauerunt*. TERTIO ponit secundam tentationem, quæ est difficultas vincendarum concupiscentiarum. ibi, *Sedentes in tenebris*. QVARTO ponit tertiam tentationem, quæ est tædium benefaciendi. ibi, *Omnem escam*. QVINTO ponit quartam tentationem, quæ est tempestas sæculi quatiens ecclesiam, turbans rectorem. ibi, *Qui descendunt*. SEXTO commendat ecclesiam quæ inter ista per gratiam salua facta est. ibi, *Posuit flumina*. SEPTIMO agit de hæreticis, quibus destructis erigitur ecclesia. ibi, *Et pauci facti sunt*.

PSALMVS CVII.

PARATVM *cor meum*. Titulus, *canticum psalmi ipsi Dauid*. Id est, Christo, hic agitur de Christi humilitate secundum hominem, & de eius altitudine secundum diuinitatem: vnde monemur vt Christum Deum & hominem credamus. Et PRIMO Christus Deo Patri gratias agit; quia suscipiens passionem resurrexit in gloria. SECVNDO dicit quæ salus sit facta

facta omni terræ, super quam est gloria Domini. ibi, *Vt liberentur.*

PSALMVS CVIII.

DEVS *laudem meam*. Titulus, *in finem psalmus Dauid.* Hic esse ostenditur prophetia de Christo & eius passione, per hoc, quod in Actibus Apostolorum Petrus dicit de Iuda quod hic sequitur, *Episcopatum eius accipiet alter.* Monet ergo psalmus. Iudæ malitiam declinare & Christi humilitatem imitari. Et introducitur Christus, secundum quod homo, ad Patrem orans, increpando Iudæos, qui reddunt mala pro bonis. SECVNDO prophetat quæ mali pro sua impietate recipient. ibi, *Constitue.* TERTIO precatur, vt resurrectionem consequatur, & inimici dedecus. ibi, *Et tu Domine.*

PSALMVS CIX.

DIXIT *Dominus.* Titulus, *Psalmus Dauid.* Patet vt supra: psalmus iste agit de duabus naturis in Christo, scilicet de incarnatione & omnipotenti diuinitate Christi. Et PRIMO refert propheta verba Patris de Filio, in quibus natura diuinitatis & humanitatis Christi simul exponitur. SECVNDO pater aliquatenus indicat naturam diuinitatis. ibi, *Tecum principium.* TERTIO propheta agit de humilitate Christi. ibi, *Iurauit Dominus.*

PSAL-

PSALMVS CX.

CONFITEBOR *tibi Domine*. Titulus, *Alleluia*. Psalmus iste monet ad confessionem laudis. Et PRIMO populus fidelis se dicit confiteri in congregatione iustorum, vbi est æterna laus. SECVNDO dicit, fideles spirituali munere satiatos, promittens aduentum Christi. ibi, *Memoriam*. TERTIO eosdem redemptos asserit & nouum testamentum mansurum. ibi, *Redemptionem*.

PSALMVS CXI.

BEATVS *vir*. Titulus, *Alleluia reuersionis Aggai & Zacharia*. Hi duo prophetæ longe post Dauid fuerunt, qui de renouatione templi prophetauerunt: de qua tamen reædificatione materiali hic non agitur, sed de spirituali, quam ipsi in illa figurari intellexerunt, & pro ista spirituali magna hilaritate Deum laudauerunt. Ideo iste titulus nomina eorum continet: non quia hunc psalmum conscripserint, sed quia hanc spiritualem templi reparationem, de qua hîc agitur cum exultatione præuiderunt, scilicet reuersionem populi Christiani, quæ in reuersione populi Iudaici figurabatur. Et PRIMO monet propheta, quid faciat beatus vir, & quanta bona gratiâ Dei mereatur. SECVNDO agit de aduentu Domini, per quem homines beati sunt. ibi, *Exortum est*. TERTIO vero

vero impiis aduersa prouenire asserit. ibi, *Peccator videbit.*

PSALMVS CXII.

LAVDATE *pueri.* Titulus, *Alleluia.* Psalmus iste sicut superior monet ad laudem. Et PRIMO propheta monet deuotos, vt laudent iugiter, & vbique prædicent. SECVNDO ipse facit quod alios monet. ibi, *Quis sicut Deus.*

PSALMVS CXIII.

IN *exitu Israel.* Titulus, *Alleluia.* Hic laudatur Deus ex miraculis antiquis, quæ erant figuræ futurorum in populo Christiano. Et PRIMO dicit propheta, quæ mira dedit Deus Hebræis in figura, & Christianis in spiritu. SECVNDO interrogat, quare hæc facta sunt. ibi, *Quid est tibi.* TERTIO inania symulachra gentium reprobat, & religionem Dei commendat. ibi, *Symulachra gentium.*

PSALMVS CXIV.

DILEXI *quoniam.* Titulus, *Alleluia.* Id est laudate Deum. Psalmus iste est fidelium consolatio contra dolores sæculi, in quo loquitur propheta tanquam ouis, quæ errauerit, humeris pij pastoris ad gregem reportata. Et PRIMO quasi de fouea peccatorum liberatus,

tus, & in petra constitutus gratias agit, quia exauditus est, & contra omnia pericula inuocasse se dicit. SECVNDO iterum clamat, vt liberatus ad requiem veniat. ibi, *Domine.*

PSALMVS CXV.

CREDIDI *propter quod locutus sum.* Titulus, *Alleluia* Voce laudis congrue prætitulatur iste psalmus: quia in persona martyrum, qui confessione viguerunt, monet ad confitendum Christi laudem. Et PRIMO commemorat beneficia Dei, quorum primum ponit Christi fidem, secundum fidei confessionem, quibus adiungit passionis calicem. SECVNDO concludit martyrij passionem sustineri propter fidei Christi & ecclesiæ veritatem; quia scilicet est seruus Christi & filius ancillæ suæ, id est ecclesiæ Christianæ. ibi, *O Domine quia.*

PSALMVS CXVI.

LAVDATE *Dominum.* Titulus, *Alleluia.* Id est laudate Deum. Psalmus iste pro sua breuitate partes non recipit. Ideo est omnium primus atomus, id est, sine diuisione: sed tamen omnes compendio suæ locutionis superat, & [illegible]variatio contra tedium, salutaria dicere, modo paucis, modo late. Monet autem non solum Iudæos sed omnes gentes ad laudem, loquens in persona martyrum.

PSAL-

PSALMVS CXVII.

CONFITEMINI *Domino*. Titulus, *Alleluia*. Psalmus iste est de primo aduentu monens ad laudem. Et PRIMO fidelis populus peccatis solutus monet omnes Domino confiteri, & quia per Dei misericordiam auditus est in tribulatione, hominem dicit non esse timendum. SECVNDO in solo Deo dicit esse fidendum. ibi, *Bonum est confidere*. TERTIO portas Hierusalem sibi cupit aperiri. ibi, *Aperite*. QVARTO frequentari atria Domini suadet de aduentu Christi gaudens. ibi, *Benedictus qui venit*.

PSALMVS CXVIII.

Octonarius I.

BEATI *immaculati*. Titulus, *Alleluia Aleph*. Sicut dicit Augustinus, omnis moralis doctrina est suauis: in qua hic psalmus eminet, & quasi sol pleni luminis meridiano calore feruens totus morali dulcedine respondet. Et vt Ambrosius ait, per litteras hebræi alphabeti digestus est, vt sicut pueri in primis litteris vsum discendi sumunt, ita & nos huiusmodi elementis vsum viuendi vsque ad ma[illegible] discamus. Singulis autem litteris versus [illegible]oni subiiciuntur, ita vt ab vna littera octo versus incipiant. In hoc autẽ psalmo tot sunt octonarij, quot elementa apud hebræos, scilicet XXII. & sin-

& singuli octonarij per omnes versus suos à singulis incipiunt elementis, quod in translatione seruari non potuit. Per quod innuitur, quod sunt hic elementa scholæ Christi, & omnimoda doctrina, & perfecta ad beatitudinem. Cuius doctrinæ partes congruis interpretationibus nominum elementorum designantur, vt Augustinus asserit. Et teste Casiodoro ipse octonarius in singulis distinctionibus innuit, quod vnaquæque pars perfecta est & sufficit, vt si quis eam seruet in vita septem dierum, perueniat ad octauam resurrectionis, vel circumcisionem cordis habeat, quam octonarius significat. Huius ergo totius psalmi titulus est *Alleluia*, id est, laus Dei, quia in eo vere Deus laudatur. Sed primi octonarij specialis titulus est *Aleph*, quæ est prima littera, & interpretatur doctrina, in quo significatur sequentes versus plenos esse doctrinæ, & quia iste octonarius est quasi prologus totius psalmi, breuiter tangens, quę in sequentibus octonariis continentur, ideo ei congrue præscribitur *Aleph*, id est, doctrina, quod est continue toti psalmo doctrinâ redolenti. Huius ergo psalmi tot sunt partes, quot sunt litteræ, & in hac prima parte loquitur chorus sanctorum totus à primo iusto vsque ad vltimum, docens quod cum diuersi diuersa quærant, quibus sint beati, hic vera via ostenditur, qua ad beatitudinem peruenitur.

Octonarius II.

In quo corrigit. Beth. In prima littera viam beatitudinis exposuit, in qua precatur se custodiri. In hac tempus conuersionis aperit in quo potissime à confusione fluxæ ætatis, ad Deum

 quis

quis conuerti debet, vnde congrue huic octonario præmittitur littera *Beth*, quæ interpretatur confusio: quia hic ostendit hominem à confusione, id est, à lapsu peccatorum liberari per obseruantiam præceptorum. Ipse enim quasi confusus de errore & lasciuia fluxæ ætatis, iam iuuenis sobria mente desiderat, quomodo viam corrigat, quomodo erubescenda deponat & plenam libertatis viam assumat, dicens: *In quo corrigit adolescentior viam suam*: id est, prauam peccati consuetudinem.

Octonarius III.

Retribue seruo tuo. Gimel In hac tertia littera humanam indigentiam ostendit, & gratiam Dei contra eam poscit. *Gimel* enim interpretatur retributio, hic autem contra multiplicem indigentiam, multipliciter gratiam tribui petit. Dixerat supra: *In quo corrigit &c.* Deinde subiungit: *In custodiendo sermones tuos.* Nunc, vt id faciat, petit auxilium.

Octonarius IV.

Adhæsit. Daleth. In hac quarta littera dicit se corporali necessitate constrictum. *Daleth* enim interpretatur timor & etiam natiuitas, timet ergo ex corruptibili corpore, quod à natiuitate & radice primi parentis aggrauat animam, relabi ad priorem peccati vitam, hic vero ostenditur quod lex fidei timentem relabi confortat, & ad omnia ei sufficit. Ipse ergo timens ait: *Adhæsit*, scilicet per consensum, *Anima mea pauimento*, id est, corpori vel terrenis, quæ sunt calcanda velut pauimentum. *Sed tu Domine viuifica me*, vt in cælo sit mens mea & non adhæreat terræ.

Octo-

Octonarius V.

Legem pone. He. In hac quinta littera precatur, Christo veniente, sibi, qui veterem tenuit, nouam legem constitui. Et quia per eam verum esse & vere viuere habet, ideo huic octonario congrue præmittitur littera *He*, quæ interpretatur esse vel viuere, quod vere non habetur nisi in Christo, & in eius lege.

Octonarius VI.

Et veniet. Vau. In hac sexta littera precatur, vt saluator veniat, qui est misericordia peccatorum & vita fidelium, vt inimicos confundat, & in lege proficiat, id est, suos proficere faciat, & quia digne petentibus semper præsens adest Christus, ideo hic pręmittitur littera *Vau*, quæ interpretatur ipse vel ille, id est, saluator Christus, qui adhuc loquentibus nobis dicit, *Ego adsum.*

Octonarius VII.

Memor esto. Zain. In hac septima littera agit de spe promissionum Dei, quæ facit omnia pacifice tolerari, & quia spes est, non de præsentibus, sed de futuris, ideo congrue præintitulatur littera *Zain*, quæ interpretatur huc vel duc te, quia hic agit de spe, quæ ad futura tendit, quasi dicat huc tende, huc dirige iter tuum, quo vocat te verbum Dei; scilicet, ad cælestem & æternam gloriam. Festinans ergo illuc ingredi dicit: *Memor esto verbi tui*, id est, cito da quod promisisti *in quo mihi spem dedisti.*

Octonarius VIII.

Portio mea. Heth In hac octaua littera faciem Domini videre optat, ideo præmittitur littera *Heth*, quæ interpretatur pauor, & intel-

ligitur non pauor recipiendi, sed sollicitudo acquirendi illud bonum, quod sperat.

Octonarius IX.

Bonitatem fecisti. Heth. In hac nona littera gratias agit Deo de humiliatione & patientia sua, & quia humilem patientiam habere tollit tristitiam, & præstat in tribulationibus iocunditatem: ideo hic bene præscribitur littera *Teth*, quæ interpretatur bonum vel exclusio, quia hic de patientia agit, quæ excludit tristitiam, & facit bonum & lætitiam in aduersis, de qua dicit: *Bonitatem fecisti*, id est, iocundam suauitatem *Cum seruo tuo*, qui prius seruiebat amore pœnæ, nunc amore tristitiæ.

Octonarius X.

Manus tuæ. Iod. In hac decima littera petit sibi dari intellectum Dei mandatorum, vt vera vita fruatur: quam quia nemo habere valet nisi peccata confiteatur, quod maxime fit in aduersis, ideo præscribitur littera *Iod*, quæ interpretatur confessio vel desolatio. Citius enim confitentur qui in aduersis desolantur: quia in prosperis animus fit elatior.

Octonarius XI.

Defecit. Caph. In hac vndecima littera peregrinus huius mundi aduentum Domini nimis desiderat, & quia in hac expectatione lassatus est ex desiderij dilatione, ideo præmittitur littera *Caph*, quæ interpretatur incuruatus, quia fessus longa militia cupit dissolui, vnde dicit *animam suam defecisse*, id est, lassatam fuisse expectando & tendendo *in salutare suum*.

Octonarius XII.

In æternum Domine. Lamed. In hac duodecima

cima littera virtutem Dei & facta describit, dicens: temporalia finiri, sed non mandata Dei, & quia hæc mandata diligenter intelligenda & indaganda sunt; ideo hic bene præmittitur littera *Lamech*, quæ interpretatur Cor, vel seruo, vel Cor seruitutis, quia hæc mandata Corde fideli, & humili, & sollicite seruiente, obseruanda sunt.

Octonarius XIII.

Quomodo dilexi. Mem. In hac 13. littera loquitur vir iustus, qui in meditatione legis & euangelij profecit, dicens: se super seniores intellexisse, & ideo scripturas esse sibi dulces super mel, & quia hoc est ei per charitatem, ideo hic bene præmititur littera *Mem*, quæ interpretatur viscera, vel ex ipsis, quia hic agit de charitate quæ est ex ipsis visceribus vel medullis spiritualibus, per quas intelligitur multiplex dilectio, Dei scilicet & proximi, quam lex Dei præcipit, & in qua consistit plena obseruantia diuinorum mandatorum.

Octonarius XIV.

Lucerna pedibus. Nun. In hac decima quarta littera, qui supra mandata intellexisse, & seruasse, dixit *lumen verbi*, id est, Christi, *pedibus suis*, id est affectionibus mentis irradiare gaudet, ex desiderio retributionem petens, & animam de humilitate commendans, hic enim agitur de humilitate: quia initium boni & perfectionem Christo attribuit. Ideo hic præmittitur littera *Nun*, quæ interpretatur vnicus vel pascua eorum, id est, Christus qui est singularis adiutor & pascua animarum: de quo tanquam de vnigenito Dei verbo & æterni luminis cla-

ritate hic agitur, ipse enim est lucerna lumen & verbum.

Octonarius XV.

Iniquos odio habui. Samech. In hac decima quinta littera agit de odio iniquorum qui legi Dei aduersantur: & quia diligens cautela habenda est in odio iniquorum & amore diligendorum; ideo hic præmittitur littera *Samech*, quæ interpretatur audi vel firmamentum, quia nemo habet firmamentum dilectionis, qui non audit intus spiritualiter auribus mentis, quid, & quomodo diligere debeat. Ideo mysterium notat esse quod dicturus est; qui lectorem ad auditum vocat, quasi dicat: Attente audiendum est. *Iniquos odio habui*, vt intelligantur odiendi; non quia homines, sed quia iniqui, quod indicatur cum sub litur: *Et legem tuam dilexi*, ac si diceret, non naturam odiui in hominibus iniquis, sed malitiam, qua contrarij sunt legi tuæ, quam dilexi.

Octonarius XVI.

Feci iudicium. Ain In hac decima sexta littera, qui supra dixit se odio habere iniquos, hic petit aduentum Christi, quia tempus est superbos destrui, & quia tunc vigilandum est, & sagaciter agendum contra fidei Christianæ aduersarios, ideo hic præmittitur littera *Ain*, quæ interpretatur oculus vel fons, quia oculus, secundum quod bene vel male præuidet; & fons & origo bonæ vel malæ actionis vitæ vel mortis.

Octonarius XVII.

Mirabilia. Phe. In hac decima septima littera dicit se os aperuisse & attraxisse spiritum vt

eius

eius audiatur oratio: & plorasse, quia non est à Iudæis lex custodita. Vnde hic bene præmittitur littera *Phe*, quæ interpretatur errauit, quia hic condolet his qui à via veritatis errando calumniantur legem: quibus proponit, quomodo scrutatur legis testimonia, & qualem intellectum habet in ea. Sicut autem in Threnis Hieremias sub hac littera lachrimabilius excidium suæ gentis plorabat, sic dolet hic Dauid errorem populi: sed non desperans, quia expectat aduentum Christi, cuius præsentiam optat dicens: *Faciem tuam illumina.*

Octonarius XVIII.

Iustus es Domine. Sade. In hac decima octaua littera iudicia Dei laudat, & eloquia ignita veneratur, petens intellectum, vnde viuat, seque consoletur, ideo bene præmittitur littera *Sade*, quæ interpretatur consolatio, qui enim supra tristis de errore lachrymas effundebat, hic se consolatur per iustitiam Dei, quam hic commendat.

Octonarius XIX.

Clamaui Coph. In hac decima nona littera iustificationes Dei se promittit exquirere, & quia quanto quis magis vult bonis insistere, tanto plus eum diabolus conatur seducere: contra quod opus est ad Deum clamare: Ideo post errorem, accepta superius consolatione, iste conclusus asperius, hic clamat studiosius. Vnde bene præmittitur littera *Coph*, quæ interpretatur conclusio vel aspice, quod idem est in sensu, quia conclusus debet se circumspicere, & causam periculi vel angustiæ suæ non dissimulare, ideo orationis quærenda est medicina, &

ad eum clamandum est, qui potest sanare.

Octonarius XX.

Vide humilitatem Res. In hac vigesima littera petit iustificari, & quia nemo iustificatur, nisi per humilitatem: Ideo hic præmittitur littera *Res* quæ interpretatur caput vel primatus, per quod signatur humilitas, quæ est velut caput & tenens primatum virtutum, de qua hic agitur.

Octonarius XXI.

Principes. Sin. In hac vigesima prima littera, qui supra humilitatem Deo obtulit, hic gratas sibi dicit persecutiones, quibus, tanquam emplastris, vulnera peccatorum curantur. Ideo hic bene præmittitur littera *Sin*, quæ interpretatur super vulnus, quasi emplastrum, vulnus ergo est peccatum, super vulnus tribulatio.

Octonarius XXII.

Appropinquet. Tau. In hac vltima littera Christo approximare desiderat, precans, vt veniat & ouem perditam reuocet. Et quia Christus veniens ab errore ad patriam reduxit, & consummationem æternæ beatitudinis contulit: ideo huic octonario præmittitur littera *Tau* quæ interpretatur errauit, vel consummauit, seu confirmauit. Quia hic olim se errasse dicit; sed modo à pio pastore ad patriam reductum, & consummata beatitudinis gratia confirmatum.

PSALMVS CXIX.

AD *Dominum cùm tribularer.* Titulus, *canticum graduum.* Quindecim gradus erant, quibus

quibus aſcendebatur in templum Salomonis, quod fuit figura cæleſtis templi, ad quod etiam quindecim gradibus ſpiritualibus aſcenditur. Eſt enim hic aſcenſus ſpiritualis, qui fit, non pedum paſsibus, ſed promotione affectuum, vt de virtute in virtutem aſcendatur: vbi charitas mouet pedē, id eſt affectionem. Ideoque quāto plus quis diligit, tanto magis aſcendit, propter quod cōgrue præponitur titulus *Canticum graduum*, id eſt, mentis exultatio de aſcenſu ſpirituali ad æterna. Aſcendēs ergo hic loquitur, ſed videndum eſt quis aſcendat, & vbi, & vnde, & in quod aſcendat, & per quem? quis? vir iuſtus, vbi fit aſcenſus? In corde, vnde alibi: *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*, vnde aſcendit? à conualle plorationis. In quid? in illud quod oculus nō vidit, nec in cor hominis aſcendit, per quem aſcēdit? per verbum incarnatum, quod deſcendit vt per ipſum aſcenderemus, ſic enim deſcendit ad te, vt maneret in ſe; deſcendit ad te, vt fieret tibi conuallis plorationis; manſit in ſe, vt eſſet tibi mons, ad quem aſcenderes, ab exemplo ergo humiliationis eius aſcendatur ad altitudinem diuinitatis ipſius. Primus ergo gradus huius aſcenſionis eſt; à malis ſæculi exire, & vniuerſæ vanitati renunciare: à quo hic incipit & inde quibuſdam gradibus meritorum ad perfectam charitatem peruenit, quæ in ſummo gradu locata eſt. PRIMO igitur iuſtus aſcendere incipiens, & exire volens de malis ſæculi, quibus premitur, quia multos inuenit obſiſtentes, clamat ad Dominū & à linguis eorū petit liberari, SECVNDO de permixtione & cohabitatione malorum conqueritur. ibi, *Heu mihi.*

PSALMVS CXX.

LEVAVI. Titulus, *canticum graduum*. Hic & in inferioribus psalmis sicut idem est titulus, sic eadem intentio, scilicet monere ad ascensum, & exultare de ascensu, id est profectu spirituali, ascendere enim est in Deum per charitatem proficere. Secundus itaque gradus est, petere diuinam defensionem, cui nil posse obuiare monstratur Qui bene præmissum gradum sequitur, cui enim de mundo exeunti pericula occurrunt, exposcere debet diuinum auxilium. Talis est iste, qui oculos leuat in montes, id est, ad intercessores sanctos, vt eorum interuentu à Deo auxilium ei veniat. PRIMO ergo oculos leuat & orat. SECVNDO quod orauit affirmat, ostendens virtutem auxilij impetrati. ibi, *Dominus custodit te.*

PSALMVS CXXI.

LÆTATVS *sum*. Titulus, *canticum graduum*. Patet vt supra, tertius gradus est, magnum gaudium, quod habet vir sanctus, eo quod se & alios videt in ecclesia pura mente conuersari, atque Deo digne in hac peregrinatione militare, & ad cælestem Hierusalem suspirare, vbi sunt conciues nostri Angeli & alij sancti Vnde quia ille de illa cælesti ciuitate iam à multis multa audierat, ipsum ad eam ire monentibus. Ideo PRIMO gaudet se admonitum

ire

ire ad eam, vbi sancti securi sunt, & cum Domino iudicabunt. SECVNDO ascensurus optat abundantiam pacis. ibi, *Rogate.*

PSALMVS CXXII.

A *D te leuaui.* Titulus vt supra. Quartus gradus est inter quaslibet angustias constanter de Deo præsumere, donec misertus exaudiat. Et PRIMO vox est tribulatorum ad Deum respicientium, non ad alia patrocinia. SECVNDO precatur misericordiam contra insultantes. ibi, *Miserere nostri.* Et hic attende progressum ascendentis, qui enim prius ad montes, id est, ad sanctos Dei, nunc ad ipsum Deum, quod maius est, oculos leuat, scilicet fidei & charitatis. Hic etiam attende, quia cum multi hoc dicant, non tamen pluraliter, sed singulariter quasi vnus homo loquitur, dicens: *Ad te leuaui*: & hoc propter fidei & charitatis vnitatem, quia Christo vnimur, vt cum ipso quasi vnus Christus simus. Omnes ergo in Christo sumus vnus homo.

PSALMVS CXXIII.

N I S I *quia Dominus.* Titulus patet vt supra. Quintus gradus est vt liberati à periculis non sibi, sed Domino tribuant, & attende, quod aliquando vnum, aliquando inducit plures, quia vna tantum est ecclesia, quæ in omnibus membris est vnitas, per quam multi, quasi

vnus homo sunt. Cantant ergo hoc fideles exultantes quia euaserunt, omnium tamen simul est vnus cantus. Et PRIMO sancti martyres seu alij fideles, memores quanta euaserunt, soli misericordiæ ascribunt. SECVNDO quia sunt liberati gratias agunt. ibi, *Benedictus*.

PSALMVS CXXIV.

QVI *confidunt*. Titulus vt supra. Sextus gradus est confidentia fidelissimi Christiani solidissimis montibus comparata, quam habet in Domino, ne zelet fœlices in hoc sæculo, vt eos imitetur. Hic namque psalmus docet non intendere in prosperantes in hoc sæculo, de qua prosperitate superbia euenit: sed monet confidere in Domino, qui humiles sperantes in se stabiles facit. Et PRIMO asserit non posse moueri eum qui confidentiam in Dei virtute ponit. SECVNDO precatur vt bonis prosperitas & malis vindicta eueniat. ibi, *Bene fac Domine*.

PSALMVS CXXV.

IN *conuertendo*. Titulus vt supra. Septimus iste gradus per Christum venturum reuersionem fidelium de captiuitate vitiorum, quasi de Babilonia, prophetat, & loquitur prophetali certitudine de illa reuersione velut præterita, cum tamen adhuc esset futura, pro qua reuersione à captiuitate spirituali iam consolatio est & semi-

& seminatio in operibus bonis, vt populus metatur. In persona ergo eorũ, qui redempti sunt sanguine Christi, quasi redeuntium de Babylonia, cantat propheta, & monet ad gaudium pro spirituali liberatione. Et PRIMO ostendit magnitudinem facti cum magnitudine gaudij. SECVNDO precatur conuersionem à captiuitate adhuc futura. ibi, *Conuertere Domine.*

PSALMVS CXXVI.

NISI *Dominus.* Titulus, *canticum graduum Salomonis.* Iste est octauus gradus, vbi agitur de ædificatione domus Dei, id est, ecclesiæ, per verum Salomonem facta, id est, per Christum, qui est verus pacificus. Cuius rei figura fuit Salomon, qui templum ædificauit, vnde vltra communem titulum horum psalmorum, qui est *canticum graduum*, hic præter solitum additur *Salomonis*, quia ipse ędificauit templum in figura Christi veri pacifici, qui ædificauit ecclesiam, & ne hic acciperes Salomonẽ, ideo ait psalmus: *Nisi Dominus ædificauerit domũ.* Quasi diceret quod non in illo, sicut nec in quouis alio homine, spes ponenda est, sed in Deo, quia ille Salomon cecidit, qui templum ædificauit, & vsque adeo amore mulierum illaqueatus fuit, vt idolis à mulieribus sacrificare cogeretur. Est ergo hic *canticum graduum Salomonis*, id est, lætitia de ascensu, id est, ædificatione, & prouectu tẽpli Salomonis: non illius materialis sed spiritualis, id est, ecclesiæ, quam Christus verus Salomon ædificauit. Et PRIMO docet, quomodo

quomodo ascendentes se habere debeant, scilicet vt discant, quod spiritualis ædificatio & eius custodia, non nisi in Deo est; & exaltatio in futuro, non est, nisi post humiliationem. SECVNDO dicit quæ sit hæreditas, & quomodo collecta. ibi, *Ecce hæreditas.*

PSALMVS CXXVII.

BEATI *omnes.* Nonus gradus est, vt caste timeatur ille pacificus, qui solus ædificat, custodit, & exaltat. Et PRIMO bona timentis enumerat. SECVNDO eidem bona optat, & benedictionem postulat. ibi, *Benedicat tibi.*

PSALMVS CXXVIII.

SÆPE *expugnauerunt.* Decimus gradus est, vt qui caste Deum timet, pro eo omnia patienter ferat: quod nunc expedit ecclesiæ inter malos, quos ipsa ab Abel tolerauit, ideo hic monet ad patientiam. Et PRIMO respondens, quid à malis tulerit, consolatur infirmos. SECVNDO agit de reprobatione persequentium. ibi, *Dominus iustus.*

PSALMVS CXXIX.

DE *profundis* Vndecimus gradus est, pœnitentialis supplicatio: qui bene post prædictos gradus ponitur; quia nec timens Deum,

nec

nec omnia patienter ferens, dignum se penitus sentit Christo, quia in corpore nullus sine peccato est, ideo monet ad pœnitentiam. Et PRIMO pœnitens beneuolentiam captat à sua persona misera, & à iudicis misericordia, vnde sperat magna. SECVNDO ponitur læta conclusio cum certitudine veniæ. ibi, *Speret Israel.*

PSALMVS CXXX.

DOMINE *non est exaltatum.* Duodecimus gradus est, humilitas perfecta, quam hic intus & extra se habere ostendit. Et PRIMO proponens se humilem, pœnam indicit non humili. SECVNDO suo exemplo ad spem monet. ibi, *Speret Israel.*

PSALMVS CXXXI.

MEMENTO *Domine Dauid.* In hoc tredecimo gradu iam humilis & mansuetus satagit de ædificatione spiritualis domus Dei: sicut & Dauid fecit, qui domum Deo ædificare voluit. Et PRIMO ostendens votum ædificandi domum, precatur vt impleat. SECVNDO ostendit domum ædificatam, & vbi, & precatur vt exaltetur. ibi, *Ecce audiuimus.* TERTIO dicit promissiones Dei factas ædificatæ Sion. ibi, *Iurauit Dominus.* Et loquitur Dauid in sua vel in totius Christi persona de ædificatione Sion, id est, ecclesiæ.

Psalmvs CXXXII.

ECCE *quam bonum*. Gradus decimus quartus est, charitas proximi, quæ facit *fratres habitare in vnum*, & est hic psalmus atomus; id est, sine diuisione; vbi charitas commendatur, quæ mentium diuisionem non admittit. Hic ergo iustus de charitatiua fratrum cohabitatione exultat.

Psalmvs CXXXIII.

ECCE *nunc*. Gradus quindecimus est, charitas Dei, de qua hic agit, sicut supra de charitate proximi. Et PRIMO monet fideles benedicere Deum. SECVNDO optat eos benedici à Deo. ibi, *Benedicat*. Et nota quod supra hortatur, plures benedicere vni: hic vero vnum precatur benedici, dicens, singulariter. *Benedicat te*. Quia etsi plures sint, tamen in vnum sunt: & sic vnitati conuenit benedictio, quæ est iusti ascendentis superna remuneratio.

Psalmvs CXXXIV.

LAVDATE *nomen Domini*. Titulus, *Alleluia*. Post gradus, qui ducunt ad æternitatem congrue ponitur *Alleluia*, vt ecclesia Deum laudet, cui tale munus paratum est. Et PRIMO monet propheta Deum laudare propter eius potentiam, enumerans eius magnalia. SECVNDO idolorum cultores redarguit. ibi, *Simulachra*.

chra. TERTIO omnes ordines monet ad laudem Deo celebrandam. ibi, *Domus Israel.*

PSALMVS CXXXV.

CONFITEMINI *Domino.* Titulus, *Alleluia.* Psalmus iste Dei laudem continet, maxime tamen eius misericordiam commendat. Et PRIMO magnificentiam & totius orbis conditionem exponit. SECVNDO dicit, quæ in Ægypto & gente Iudæorum Deus in figura futurorum fecerit. ibi, *Qui percussit.* TERTIO agit de Christianis, exponens beneficia eis data, ibi, *Et dedit terram.*

PSALMVS CXXXVI.

SVPER *flumina.* Titulus, *psalmus est Dauid propheta, habitus propter Hieremiam* Id est, lamentationem Hieremiæ, qui agit de captiuitate Iudæorum, quam defleuit Hieremias in figura nostri, qui spiritualiter captiui tenemur. Hic enim in ista Babylonia, id est, in cõfusione huius sæculi, non vt ciues habitamus, sed captiui tenemur. Monet ergo psalmus iste non conformari huic Babyloniæ, sed in supernam Hierusalem suspirare. PRIMO ergo propheta in persona captiui, desiderio patriæ lamentantis, captiuos sua mala flere nec inter mala obliuisci Hierusalem inducit. SECVNDO contra hostes ad Deum se cõuertit, & conuertendũ esse ostendit. ibi, *Memor esto.* Vbi orat pro eorum punitione qui ædificationi Hierusalem aduersantur.

PSAL-

PSALMVS CXXXVII.

CONFITEBOR *tibi*. Titulus, *psalmus ipsi Dauid*. Id est Christo captiuus, qui supra fleuerat sedens super flumina Babylonis, iam quasi reædificata Hierusalem, & quasi factus conciuis ipsius exultans Christum laudat. Et PRIMO beneficia sibi data commendat. SECVNDO, quomodo hæc ad omnes dilatentur optando indicat. ibi, *Confiteantur*.

PSALMVS CXXXVIII.

DOMINE *probasti*. Titulus, *in finem psalmus Dauid*. Iste psalmus profunditate mysteriorum plenus est, vnde & obscurissimus est. Loquitur autem hic totus Christus tanquam vnum corpus ex ipso & ecclesia, quicquid ergo hic loquitur ex persona susceptæ carnis, hoc & ad caput pertinet, quod iam ascendit in cælum; & ad membra, quæ adhuc peregrinantur in terra: quantum vero ad membra loquitur in persona superioris captiui, quia iam spe in Hierusalem restitutus, memor discessionis suæ, in qua Deum latere non potuit, deliberat ab eo non esse fugiendum, sed ad eum per eum ab irato ad placatum confugiendum & hoc dicit ex persona totius humanæ naturæ reuertentis ad Deum: tanquam ex voce prodigi filij de longinqua regione redeuntis ad Patrem. PRIMO ergo agit de notitia Dei, quæ com-

comprehendit omnia opera reuertentis; quæ quasi cogit eum, qui latere non potest, reuerti ad Deum. SECVNDO dicit non esse à Deo fugiendum, sed ad ipsum. ibi, *Quo ibo*. TERTIO docet quanta sit exultatio reuertenti ad eum. ibi, *Confitebor*. QVARTO aperit quomodo ei mali non noceant. ibi, *Si occideris peccatores*.

PSALMVS CXXXIX.

ERIPE *me Domine*. Titulus, *in finem psalmus Dauid*. Psalmus iste dirigens nos in finem, id est, in Christum, est Dauid, qui loquitur in persona ecclesiæ inter malos laborantis, & contra mala sæculi ad Deum clamantis. Et PRIMO proponit, qui hostes, quæ mala mouent, opponens eis preces. SECVNDO dicit, quod auxilium habeat contra mala. ibi, *Dixi Domino*. TERTIO aperit quæ sunt mala inimicorum. ibi, *Caput*.

PSALMVS CXL.

DOMINE *clamaui*. Titulus, *psalmus Dauid*. Christus per totum hunc psalmum loquitur siue in sua, siue in persona membrorum, & PRIMO in persona hominis peccatis circumuenti & implicati orat, vt audiatur, subdens à quibus maxime vult liberari. SECVNDO dicit quod à iusto correctus, spernet falsos laudatores. ibi, *Corripiet me*.

PSAL-

PSALMVS CXLI.

VOCE *mea*. Titulus, *intellectus Dauid cum esset in spelunca oratio*. Quod ait, *cum esset Dauid in spelunca*, ad litteram manifestum est, ipse enim Saulem fugiens, in spelunca latuit, de quo tamen non hic agitur, sed de significato, Dauid enim significat Christum, spelunca vero carnem, vel sæculum, vel sepulchrum, Dauid in spelunca Christus cum membris est in sæculo. Ideo hic est intellectus: Dauid, id est, typus Christi quem tunc habuit, & hic eius oratio. ET PRIMO ponitur oratio contra mala. SECVNDO agit de fine malorum. ibi, *Clamaui*.

PSALMVS CXLII.

DOMINE *exaudi*. Titulus, *psalmus Dauid, quando persequebatur eum filius suus Absalon*. Historia, quæ hic tangitur, nota est de qua tamen hic non agitur, sed de signato. Dauid ergo Christum significat, & corpus eius. Absalon vero Iudam, vel persecutores, vel prauos motus, sicut ergo Absalon Dauid, sic Iudas persecutus est Christum: & falsi fratres persequuntur corpus eius scilicet ecclesiam: vel ipsi illiciti motus aut carnis desideria vnumquemque fidelem, & ad hæc potest applicari psalmus: cuius intentio est monere ad pœnitentiam. Et PRIMO per exordium captat Dei beneuolentiam. SECVNDO narrat mala sua, & quid contra

contra egerit. ibi, *Quia persecutus.* TERTIO ponitur deprecatio causis confirmata. ibi, *Velociter exaudi.* QVARTO ponitur læta conclusio. ibi, *Spiritus tuus.* Vnde in hoc psalmo, sicut & in aliis psalmis pœnitentialibus, talis est forma, quia à lachrymis incipitur, & in gaudio finis est: ne de venia quis desperet.

PSALMVS CXLIII.

BENEDICTVS *Dominus.* Titulus, *psalmus Dauid ad Goliam.* Psalmus iste est Dauid prophetæ, qui hic loquitur in sua vel in totius Christi persona, habitus ad Goliam, id est contra Goliam figuralem & spiritualem, scilicet contra diabolum, quia hic agit Dauid de sua figurali & mystica Christi victoria, pro ea gratias agens. Et PRIMO agit de victoria, scilicet, quod Dauid vicit Goliam, spiritualiter ipse cum aliis sanctis diabolum, quæ victoria tota Iudæ esse dicitur, quia Christus de eius semine venit vincere superbiam mundi & diaboli, vnde aduentum eius precatur. SECVNDO se promittit Christo victori cātare, & per eum precatur liberari ab hominibus malis, qui beatitudinem ponunt in terrenis. ibi, *Deus canticum.*

PSALMVS CXLIV.

EXALTABO *te.* Titulus, *laudatio ipsi Dauid.* Hic psalmus breuiter continet, quæ in diuinis scripturis ad laudem Dei late diffunduntur:

duntur: in quo nouem modi laudis distinguuntur, ex quibus omnis laus Dei sumitur, vt infra dicetur. Ad huius autem psalmi præconia sequentes psalmi pertinent, qui cum isto septem sunt, vt enim septem psalmi pœnitentiæ, ita & septem psalmi sunt laudis. In quibus sufficienter Deus docuit, quomodo velit laudari, ne quis in eius laude errare possit, est ergo sensus tituli, hęc laudatio sit ipsi Dauid, id est, Christo, qui de semine Dauid natus est. Et PRIMO præmittit propheta generaliter laudem. SECVNDO omnem laudem Dei nouem modis perficiendam esse ostendit. ibi, *Generatio*. TERTIO eadem explicat latius. ibi, *Miserentur*. Nouem enim sunt modi laudis, scilicet operatio, potentia, magnificentia, sanctitas, mirabilia, virtus terribilium, magnitudo, memoria, iustitia; quæ hic explicantur prius breuiter, postea latius, & ex his quasi ex seminibus omnis laus trahitur.

PSALMVS CXLV.

LAVDA *anima mea*. Titulus, *Alleluia*. Vox ista est quasi musica salutaris, harmonia cęlestis, laudē Dei exprimens, & ad eam admonens. Et PRIMO propheta, sibi quasi omnibus loquens consulit laudare, ne in vanis ocietur, & quasi acquiescens consilio asserit se laudare ibi, vbi poterit plene. SECVNDO alios monet non sperare in homine. ibi; *Nolite confidere*. TERTIO docet omnem spem in omnipotenti Deo ponendam esse. ibi, *Beatus cuius*.

PSAL-

PSALMVS CXLVI.

LAVDATE *Dominum quoniam bonus*. Titulus, *Alleluia*. Hic agit propheta de laude Dei, monens laudare colligentem Israel, id est, congregantem ecclesiam. Et PRIMO ostendit, quos colligat, & quomodo. SECVNDO post prædicta quasi adhuc hærentes & dubios increpat, ostẽdens vnde possunt laudare Deum. ibi, *Præcinite*. Vbi docet quod ex humilitate confessionis debet procedere vox laudis.

PSALMVS CXLVII.

LAVDA *Hierusalem Dominum*. Titulus, *Aggei & Zachariæ Alleluia*. Hic est *Alleluia*, id est, laus Dei: laus, scilicet, Aggei & Zachariæ, id est de reparatione Hierusalem cęlestis, quam illi prophetæ prædixerunt, & pro ea Deum laudauerunt sub figura, & facit psalmus iste in nobis amorem futuræ Hierusalem, quam multipliciter commendat. Et PRIMO dicit bona futuræ Hierusalem, & pro eodem capit Hierusalem & Sion, propter interpretationem conuenientem: Hierusalem enim interpretatur pacis visio; Sion vero contemplatio. SECVNDO dicit quæ bona hic dantur sanctis. ibi, *Qui emittit*.

PSALMVS CXLVIII.

LAVDATE *Dominum de cælis.* Titulus, *Alleluia Aggei & Zachariæ.* Huius tituli sensus patet, vt supra, hic autem psalmus per paucorum commendationem vniuersam creaturam monet laudare Deum: & PRIMO ad laudes hortatur cælestia. SECVNDO terrena, ibi, *Laudate Dominum de terra.* Omnia enim laudant Deum, vel in se vel in aliis, sunt quædam quæ habent spiritum laudandi Deum, & laudant in illo affectu, quo illis placet Deus, quædam vero non habent intellectum: sed quia ipsa bona sunt, per se quidem non laudant, sed ab ipsis per attendentes ea laudatur Deus: & ita quodammodo laudant, quia de illis nascitur in nobis laus Dei.

PSALMVS CXLIX.

CANTATE *Domino canticum nouum.* Titulus, *Alleluia.* Post omnes creaturas, quas prius monuit laudare Deum, eo quod opera eius sunt; hic specialius Israel inuitat ad nouum canticum pro nouitate sibi facta, quæ est mirabilior Dei operatio, hæc est sacrificatio Israel, id est, ecclesiæ Catholicæ: noua scilicet redemptio & noua promissio æternitatis, pro qua debetur nouum canticum laudis. PRIMO ergo multis modis monet laudare Deum, qui beneuolus est & beneficus. SECVNDO agit de

gaudiis

gaudiis sanctorum & potestate. ibi, *Exultabunt sancti.* Et ne putetur hanc potestatem, scilicet iudicandi, solis esse Apostolis, in fine addit: *Gloria hac est omnibus sanctis eius*, scilicet omnibus perfectis, qui pro Christo terrena omnia reliquerunt.

PSALMVS CL.

LAVDATE *Dominum in sanctis eius.* Titulus, *Alleluia* Psalmus iste est tertius eorum, qui est sine diuisione: ideo athomus dicitur, in quo intenditur, vt laudetur Deus, quia congregauit sanctos, & deposita mortali fragilitate, suæ imagini restituit, & iam conformes gloriæ suæ, in beatitudine locauit, qui glorificati sine fine laudabunt: & in hoc tanquam in culmine diuinæ laudis omnis psalmodia perducitur. Quomodo autem plene laudare debeât per similitudines mysticas ostenditur, hæc enim instrumenta musica, quæ hic numerantur, ad hymnos nuptiales pertinent, sed per similitudines spirituales, non per proprietates corporales, referuntur ad laudem Dei in sanctis. Vnde bene in fine concludit: *Omnis spiritus laudet Dominum*, quia spiritualiter Deus laudandus est, cui sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit verbum abbreuiatum super libro psalmorum à Domino Petro de Alliaco Cameracensi Episcopo.

INCIPIT DEVOTA MEDITATIO DOMINI PETRI EPISCOPI CAMERACENSIS SVPER PSALMVM

In te Domine speraui non confundar in æternum. In iustitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam: accelera &c.

TERRET me, Domine Deus meus, terret me vita mea, terret & mors mea, terret vita mea, quia infructuosa & sterilis: terret mors, quia dolorosa & horribilis: terret præsens vita: quia vacua bonis, terret mors futura: quia plena malis. Heu me miserum: terribilis est præsens vita, terribilior mors transitoria, terribilissima mors æterna. Ideoque viuere erubesco, & non pertimesco: & dum tædet animam vitæ meæ, amplius tædet & piget mortis meæ. Quid ergo? nũquid ideo desperabo? Absit, sed dicam cum psalmista Dauid: *In te Domine speraui non confundar in æternum.* Conuenit timori spem iungere, congruit ergo timori terrorique meo psalmus iste, cuius titulus est, *In finem psalmus Dauid pro extasi.* O me fœlicem, ô terque quaterque beatum, si in fine dierum

I meorum

meorum cum sancto Dauid hunc psalmum cantare valeam pro extasi, hoc est, pro pauore malorum meorum: vt sic mala mea paueam: quod de bona Dei misericordia non diffidam, sed sic adsit humana turbatio, vt non absit diuina consolatio, quod de malis meis pauens timeam, hoc meum est: sed quod bona sperem, donum Dei est.

Vtinam ergo extaticum terrorem, vtinam terrificum timorem, timidumque pauorem meum, spes modesta comitetur & temperet: vt sic dicere audeam: *In te Domine speraui.* Et bene *In te* non in me: non in mea, sed in tua virtute speraui, quippe quia *maledictus est qui confidit in homine*, quia confusus est qui spem ponit in humana potentia seu virtute. Ideo quia in te & tua diuina virtute speraui, *non confundar in aeternum.* Quid est *in aeternum non confundar*, nisi quia aeternam confusionem non patiar? est enim temporalis quaedam confusio, quae valde prodest: illa videlicet perturbatio animi considerantis peccata sua, & ex consideratione horrentis, & ex horrore erubescentis, & ex erubescentia corrigentis. Hac igitur cupio desideroque confundi, vt ab aeterna confusione valeam liberari, ideoque suppliciter deprecor: *In iustitia tua libera me.* Vae, vae iterum, vae mihi Domine: quia non in mea, sed in tua iustitia potes me liberare, quia meam non inuenis, nisi superbam, & falsam, & illi similem, de qua dicitur: *Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitia Dei non sunt subiecti.* Si ergo attendis ad iustitiam meam damnes me, ideo in iustitia mea non liberas, nam in iustitia hominis

est quæ suis viribus putat se iustificari, non credens gratis saluari. Absit à me Domine: absit à me hæc iustitia obsecro, heu verius iustitia sæuissima contra te ferens arma, sed sit in me potius illa hominis confessio: *Gratia Dei sum id quod sum*. Quare gratia? quia gratis data: quia merita mea non præcesserunt, sed beneficia tua præuenerunt. Nec inuenit in me gratia tua merita beatorum, quæ coronet, sed demerita malorum, quæ damnet. In hac ergo iustitia tua, in hac gratia mihi gratis data, libera me, quia hæc sola liberat, dum iustificat impium à sua impietate, & iniustum à sua iniquitate conuertit.

Sed quia spes, quæ differtur, affligit animum; non satis puto dictum esse. *In iustitia tua libera me*; nisi iterum festinus subiiciam: *Inclina aurem tuam mihi, accelera vt eruas me*. Habes Domine aurem iustitiæ, habes & aurem misericordiæ: de quibus vir iustus ait: *Verba mea auribus &c.* Ego vero peccator indignus petere non præsumo, vt inclines mihi aurem iustitiæ tuæ: quia illa est de qua dicitur; *Scimus quia peccatores Deus non audit*; sed instanter supplico & suppliciter oro, vt inclines mihi aurem misericordiæ tuæ, quia illa est quæ peccatores non solum audit, sed exaudit. Ideo tibi cantat ecclesia, *peccatores, te rogamus audi nos*. Inclina ergo aurem misericordiæ tuæ mihi misero peccatori, quam aliquando pro peccatorum redemptione sic inclinasti, vt filium tuum vnigenitum in carnem mitteres & in mortem dares. O quanta fuit misericordiæ inclinatio hæc tanta diuinæ sublimitatis humiliatio. In hac

ergo

ergo magna misericordia tua, *Accelera, vt eruas me*, à magna miseria mea. *Vt eruas me* non solum à miseria culpæ, sed à miseria pœnæ, vt non solum à peccatis, sed à pœnis quas pro his merear, eripias. Et ideo accelera, quia magna esset pœna mea tarditas tua: nam quod apud nos tardum est, & longum, in oculis tuis breue est & momentaneum, quia *mille anni ante oculos tuos quasi dies hesterna quæ præterijt*. Iam vero attendere, iam attente meditari libet, quorsum tendat, & quantum gradatim ascendit humilis oratio, prius enim petit vt liberes & à malis eruas; deinde vt à malis ereptum salues & in bonis protegas. *Esto*, *mihi*, inquit, *in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias.* O Deus esto mihi in Deum, ô protector esto mihi in protectorem, hoc est: protege, vt decet te: protege me seruum tuum, vt decet te Deum meum. Esto mihi protector pius, tu qui es omnipotens Deus, & ideo *esto mihi in domum refugij*, quia ad te omnipotentem refugio, in te manere cupiens, ego impotens, qui periclitans in me subsistere non valeo. O domus refugij, sunt qui fugiunt à te, cum tamen te effugere non possunt: sed quocumque diuertant, Deum iratum inueniunt, vt scriptum est: *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam*. Mihi ergo nihil restat nisi ad te confugere, cuius oculis nihil potest latere. Sis itaque mihi domus refugij, vt in te saluum facias me, nam in te solum possum quietari, in te solum possum saluari, & inquietum est cor meum, donec quiescam in te. Ideo autem ad te & nō ad alium fugio, ideo in te, non in alio manere & quiescere cupio;

quia tu,& non alius,*es fortitudo mea & refugium meum*. Et ideo: *Propter nomen tuum deduces me & enutries me*. O fortitudo mea, ô refugium meum, iam spes mea crescit in te non in me, quia *propter nomen tuum*, non propter meritum meum, & vt nomen tuum glorificetur *deduces me*,& dux meus eris,ne aberrem à te:*& enutries me*, ac velut nutrix mihi eris, vt reficiar à te & in te. Tu es enim panis qui Angelos pascis,tu es qui nos pane Angelorum pascere & nutrire permittis. Sed vt hoc facere possis materna misericordia vteris & nutricis more,nobis paruulis lac non escam infundis.Solet enim mater paruulum nutriens escam, quam manducare non est idoneus, per carnem traiicere; vt inde lac posset infundere paruulo.Sic tu Domine,te ipsum,qui es panis Angelorum,vt lac nobis faceres, carne indutus venisti ad nos; vt grandi cibo Angelorum in lac conuerso alamur paruuli, ac tandem eodem reficiantur validi. O vtinam hoc modo enutrias me, qui velut paruulus humiliter peto refici à te. Facies Domine Facies hoc omnino, si tamen humiliter petendo pie perseuerauero: & ideo iam quodammodo spe securus affirmare audeo:

Educes me de laqueo, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus. O Domine Deus, quia tu es vere protector meus, ideo de tua protectione confisus, in te non in me spero, *quod deduces me* de multiplici *laqueo quem absconderunt mihi* varij aduersarij mei:mundus videlicet,caro, atque diabolus. Heu me hi magni aduersarij sunt, & qui mihi multiplicem laqueum absconderunt, est enim laqueus gulæ, luxuriæ,

luxuriæ, auaritiæ, superbiæ, inuidiæ, iræ, & laqueus acediæ. Et, vt breuiter dicam, est vbique & vndique laqueus: laqueus à dextris, laqueus à sinistris; à dextris laqueus prosperitatis, à sinistris laqueus aduersitatis, hinc & inde plures illaqueati cadunt. *Cadent*, inquit, *à latere tuo mille, & à dextris tuis decem millia.* Heu heu quis à tam multiplici tamque periculoso insidiarum laqueo me poterit liberare, nisi tu Domine, qui doces me vt audeam dicere tibi, *Educes me de laqueo quem absconderunt mihi?* O protector meus da, vt te protegente, cum illaqueatis non cadam, sed cum liberatis dicam: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus* Quia vero tu solus es liberator meus, tu solus protector meus, ideo: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Placet Domine, & merito delectat me in huius verbi consideratione immorari diutius, ac deuotius meditari. Dignum quippe est hoc vocale verbum, quod in cruce & in suæ passionis consummatione vociferare dignatur Verbum æternum. In cuius rei venerationem psalmus iste hora completorij canitur, quando in ecclesia diurni seruitij diuinum officium consummatur. Igitur Domine, da mihi Domine, da mihi huius tam digni tamque venerandi verbi tui notare mysterium. Da vt digne tibi dicere valeam: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Hoc est: quia tu solus potes me protegere, ideo spiritum meum commendo in protectionem tuæ potentiæ.

Sed huius potentiæ tuæ Domine sunt manus, non quidem carnaliter sed spiritualiter intelligendæ. Vna est manus iustitiæ, alia miseri-

cordiæ, de quibus dicitur: *Manus tuæ Domine fecerunt me*. Manu iustitiæ puniendo percutis, manu misericordiæ parcendo protegis. Manu iustitiæ quasi sinistra, manu misericordiæ quasi dextra vteris, potentiam tuam parcendo maxime & miserãdo manifestas. Ad vtramque ergo manum ad vtriusque manus auxilium confugio, dum *in manus tuas spiritum commendo*. Ecce ergo Domine ego sum seruus tuus & peccator indignus, qui aurem iustitiæ tuæ pulsare non præsumo, quia me insufficientem reputo ex propriis meritis, ad manum tamen iustitiæ tuæ refugere audeo, non ex merito meæ actionis, sed tuæ redemptionis. *In manus tuas commendo spiritum meum, quia redemisti me Domine Deus veritatis*.

O Domine qui es Deus veritatis, vtique me vere redemisti, & in tua vera redemptione spem meam collocasti. O Deus veritatis, qui verus & verax es, verus Deus: *Quia tu es Deus, & præter te non est alius*. Verax Deus quia falsum abhorres & verum doces: vtique te docente credo, quia me vere redemisti; & in ea, qua me redemisti, passione, me veraciter docuisti, dicens: *In manus tuas commendo spiritum meum*. O Doctor optime, tu non solum in vita, sed in morte, & in cruce pendens, quasi in cathedra sedens docere voluisti Tu cruci affixus, cum iam non doctrinæ, sed passionis tuæ ageretur negotium, vltima quædam verba producis in medium, quibus euangelica dogmata tam diffuse dicta iterum recapitulas, & quasi breuibus coactas capitulis. Quod enim Deo Patri te derelictum conquereris, quod latroni paradisum

pro-

promittis, quod inter supplicia pietate matris afficeris, quod tu fons vitæ te sitire asseris, quod tu pro tuis crucifixoribus veniam petis, denique quod omnibus consummatis, cum victor migras ad Patrem, ei Spiritum tamen humiliter commendare vis; quod, inquam, hæc omnia in cruce dicis: in his certe tantis instruis documentis, vt in illo verborum compendio; sicut ait quidam deuotus tuus amicus, totius Christianæ fidei ratio splendeat vel pendeat, & quasi de semine exiguo seges vniuersitati credentium profutura consurgat.

Sed quamuis, Domine, his tuis sanctis verbis magna debeatur reuerentia, ego tamen summa deuotione venerandum esse puto verbum illud tuum vltimo in cruce prolatum, & longe ante à sancto propheta tuo in persona tui prædictum: *In manus tuas commendo Spiritum meum.* O verbum litteris aureis dignum, ô vtinam detur mihi verbi huius virtutem intelligere, & doctrinæ ipsius subtilitatem attingere. Nonne, Domine, nonne tu, qui Deo Patri commendas spiritum tuum, nonne tu idem ipse es, qui latroni promittis & donas paradisum? nec pro latrone Patrem rogas; sed potestatiue, indultis ei reatibus, repente flagitiosum sanctificas, & cælestibus inuehis sedibus, & tecum in gloria locas. O magnum & admirabile fidei Sacramentum, in vno humanitatis tuæ humilitatem, in alio sublimitatem tuæ diuinitatis ostendis, quia vt Deus latronem saluas, & vt homo Patrem rogas. In hoc igitur, tanquam magister bonus, facere, & docere, & exemplo doctrinam consummare satagis, quia humilitatem, quam

summopere docuisti, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, tandem in mortis articulo, ex ipsa crucis cathedra, scholæ tuæ discipulis scilicet imprimere voluisti. Nos enim in te ipso Deo humilitatem humilemque obedientiam seruare, ac ei spiritum nostrum humiliter reuerenterque submittendo committere mones & instruis: dum illo tuo verbo vltimo vitam doctrinamque tuam pariter finiendo concludis.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Da mihi ergo, Domine, da mihi seruo tuo, vt exemplo tuo doctus doctrinaque tua instructus, vere humilis esse merear, & in vera humilitate tecum dicam: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*. Da mihi vt nunc, & semper, & specialiter in agone mortis, sicut tu in consummatione passionis, verbum tuum humili & contrito corde & deuoto tibi ore dicere valeam: *In manus tuas*. Da mihi hoc, Domine, non meis meritis, sed quia *redemisti me Deus veritatis*. O bone Iesu, vere Deus meus & redemptor meus, hæc tua, qua me redemisti, gratia est illa iustitia tua, propter quam in te speraui, ne in æternum confundar; sed in qua, te liberante, ab æterna confusione eripiar. O liberator meus, ô protector meus, ô domus, ô refugium, ô salus, ô fortitudo mea, propter nomen tuum, quod est Iesus, propter nomen tuum, quod interpretatur saluator, *deduces me & enutries me*. Propter hoc nomen sanctum tuum *deduces me* à te errantem, *& enutries me* ad te esurientem, quia propter huiusmodi nominis virtutem, propter tuæ saluationis miseri-

cor-

cordissimam pietatem, in illa tuæ redemptionis gratia & gratuita iustitia totam spem totamque fiduciam meam pono. In illa fideliter firmiterque confidens humiliter & reuerenter postulo, vt *de manibus inimicorum meorum, & à laqueo quem absconderunt mihi* spiritum meum potenter educas. Ipsum quoque in manus tuas commendatum misericorditer suscipias, & finaliter, post hanc mortalem & ærumnosam vitam, fœliciter tecum viuam, quod tu præstare digneris, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit meditatio deuota à Domino Petro Episcopo Cameracensi, composita super psalmo In te Domine speraui &c.

MEDITATIO SEV EXPOSITIO SVPER TOTVM EVNDEM PSALMVM, ID EST, SVPER RELIQVOS versus ad eodem composita rogante Domino RAYMVNDO Petragoricensi Episcopo.

EPISTOLA.

POSTVLAVIT charitas fraterna, quod omnino negare non possum: videlicet vt psalmum *In te Domine speraui* ad finem vsque prosequar, quem vsque ad versum, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, iamdudum moraliter exposui.

PARS igitur illa prima gratuitam Dei misericordiam commendauit, docens in solo Deo esse virtuose sperandum: pars vero, quæ sequitur, vanam hominis superbiam reprehendit, quæ misericordiam Dei gratuitam paruipendens, suadet non in creatoris veritate, sed in creaturæ vanitate esse superstitiose confiden-

dum,

dum. ad hoc itaque pertinet quod dicitur: *Odisti obseruantes vanitates superuacue.* Sed qui sunt hi, qui superuacue vanitates obseruant? sane hi specialiter intelligendi sunt, qui in vanis obseruantiis artium magicarum superstitiose confidunt, vt geomantici, hydromantici, aruspices, augures, nigromantici, aliique magici diabolica fraude, fraudulentaque illusione decepti. Sed tamen generaliter hi omnes superuacuarum vanitatum obseruatores merito intelligi possunt, qui in diuitiis, honoribus, potentia, gloria, aliaque vana & falsa beatitudine sæculi, non solum vacue, sed etiam superuacue spem suam constituunt. Quippe cum hæc sint omnia illa, de quibus per sapientem dicitur: *Vanitas vanitatum, vanitas & omnia vanitas.* Qui ergo in his omnibus temporalibus sperant, vanitatem obseruant, quia dum in eis sperant, tunc exspirant: aut dum viuunt, tunc sæpe pereunt, & in spe sua deficiunt.

Et quia pro appetitu vanitatis Deum veritatis deserunt, ideo merito ei odiosi sunt. *Odisti inquit obseruantes vanitates superuacue.* O igitur Domine Deus veritatis qui me misericorditer redemisti: ac per hoc me non odire, sed gratuite diligere pietate tua mirabili declarasti; fac me non superuacue obseruare, sed penitus odire & deserere fallacem sæculi vanitatem: vt te sequar & te perfecte diligam infallibilem veritatem. Fac itaque vt cum sancto propheta veraciter dicere valeam: *Ego autem in Domino speraui; exultabo & lætabor in misericordia tua.* O vtinam non in Domino terreno sed æterno. Vtinam in Domino, qui non est vanitas, sed veritas,

veritas, digne sperare valeam, & cum magna animi alacritate exultare: cum temperata vero animi affectione lætari in te, Domine, & in tua vera misericordia, non in me, & in mea vana miseria. Et merito in te non in me sperare, exultare & lætari debeo: *Quemadmodum respexisti humilitatem meam*. Hoc est infirmitatem meam oculo tuæ misericordissimæ pietatis considerasti: & ideo non mea, sed tua virtute, *Seruasti de necessitatibus animam meam*, eam ab infinitis tam mentis, quam corporis miseriis tuæ passionis merito liberando. *Nec conclusisti me*, id est concludi permisisti, *in manibus inimici*, hoc est in potestate diaboli. In qua tamen conclusus eram per originale peccatum, nisi ab ea exclusus fuissem per tuæ passionis meritum, à quo effectum sumpsit meæ regenerationis lauacrum.

Hoc itaque tuo, non meo merito, me à laqueo inimici liberasti, & sic *statuisti in loco spacioso pedes meos*. Pedes mei affectus mei sunt, quos in loco spacioso statuis, dum eos in lege tua instituis: in qua multiplex est, & spaciosa, speciosaque virtutum via, incipientium videlicet, proficientium, & perfectorum, vbi ambulant fideles tui *de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Syon*. Sed heu me miserum, quia post baptismalem gratiam, per mortalem culpam à lege tua multipliciter oberraui. Ideo supplex oro: *Miserere mei, Deus, quoniam tribulor*. Ex multitudine & magnitudine peccatorum: adeo *quod turbatus est ira oculus meus, anima mea & venter meus*. Oculus meus ratio mea: quia anima mea, sensualitas mea,

venter

venter meus, caro mea, & hæc omnia in me conturbata sunt in ira tua, hoc est ex indignatione tua, quam demeruerunt peccata mea. Miserere ergo mihi Domine, quoniam magna opus est misericordia tua, vbi tam magna est miseria mea. *Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt.* Ecce quanta est in me interior tribulatio, quia non solùm vita mea corporalis, sed & virtus mea spiritualis, & ossa mea, id est, omnium virium mearum fortitudo, non solum deficiunt, sed etiam conturbantur, id est, contra se inuicem turbantur.

Sed iterum væ mihi: quia huic tantæ interiori turbationi non deest tribulatio exterior. Vnde sequitur: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde & timor notis meis.* O ingens tribulatio: quia *si inimici mei maledixissent mihi, sustinuissem vtique.* Sed supra & vltra omnes inimicos meos, vicini & noti mei, qui prius videbantur amici, in opprobrium & timorem facti sunt mihi, qui videbant me prius, tanquam amici, conniuendo, foras fugerunt à me, & apud eos *obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* Quanta vero sit hæc tribulatio insinuat sequens turbatio. *Factus sum tanquam vas perditum.* Ex tribulationis enim magnitudine visus sum mihi perisse, quasi *factus sim, tanquam vas perditum,* vas confractum, vas inutile, quod abiectum foras proiicitur. Et hoc ideo: *Quoniam audiui vituperationem,* non solum inimicorum, sed vicinorum & notorum meorum *commorantium in circuitu, in eo, dum conue-*

conuenirent simul aduersum me, non solum pauci, sed simul multi: vt grauius sit, quod consilio geritur plurimorum. Dum inquam in hoc meo vituperio conuenirent, *Accipere animam meam consiliati sunt*. Non solum vituperauerunt famam meam, sed consiliati sunt accipere animam meam; hoc est, ad se capere conscientiam meam, & facere, vt eis consentiret conscientia animæ meæ, vt cum eis obseruaret vanitatem & desereret veritatem. sed absit hoc à me. Dicam potius cum propheta: *Ego autem in te speraui Domine*. Scio, Domine, & in me sentio, quod magna valde, & nimis magna est hæc tribulatio: & nisi te iuuante intolerabilis esset mihi turbatio. Scio & expertus fateor, quod nulla peior, nulla periculosior pestis, quam familiaris inimicus, sed non præualebit in me vllius inimici potestas, si fueris mihi amicus, illo teste, qui ait: *Si Deus pro nobis, quis contra nos.*

Nihil ergo salubrius mihi, nihil securius, quam sperare in te Domine: non in me aut alio quouis homine: *Quia maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine*. Qui enim hoc facit, similis est puero, qui adhuc lacte nutriri vult, & flet; quia diutius quærit vbera sugere quam deceat; cum idoneus sit ad mensam, vbi validiori cibo pascatur. Tu ergo, Domine Deus meus, tu ideo forte permisisti me incidere in malum hominem, quem bonum putabam, vt quasi in vbere materno amaritudinem inuenirem, & ea offensione repellerer, & ad te Deum meum quasi ad cibum validiorem inuitarer: aut si parum esset inuitari, cogerer. Hoc tu quasi pia nutrix, aliarum nutricum more fecisti, quæ

pue-

puerulis suis aliqua ponunt amara in papillis, quibus offensi paruuli ab vbere resiliant, & vberioris cibi mensam quærant. Sic igitur ego, quasi à pueritia resiliens, & ad te rediens dixi: *Deus meus es tu*: protector meus es tu, saluator meus es tu, non homo, in quo pueriliter sperabam. Tu enim, quia immutabilis es, non proficis nec deficis: non proficis quia simpliciter perfectus, nec deficis quia immutabiliter æternus. Et ideo *in manibus tuis sortes meæ*, hoc est, in potestate, in præscientia, in prouidentia tua *sortes meæ*, id est, causa & ordo salutis meæ: quæ tibi notæ, omnibus aliis sunt occultæ. Nō enim hic, cum de sortibus loquimur, aliquid mali intelligi volumus, non de maleficis sortilegiis, non de artibus magicis intendimus, in quibus hi confidunt, qui, vt supra diximus, *Superuacua obseruant vanitatem*. Sed Catholicam obseruantes veritatem, hic sortes accipimus pro ineffabili prouidentia & electione diuina, quæ non humanis meritis, sed pura Dei gratia, occulta tamen iustitia; dum vnum ad damnationem reprobat, alium ad salutem eligit & acceptat, super quo, Apostolus admirans exclamat: *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Sic igitur, Domine, sic *in manibus tuis sortes meæ*, & ideo confidenter oro: *Eripe me de manibus inimicorum meorum, & à persequentibus me*: hoc est à potestate diaboli & suorum ministrorum: qui ideo me persequuntur, vt me eiiciant ab eo, à quo eiecti sunt regno cælorum.

Illustra faciem tuam super seruum tuum: hoc est manifesta hominibus, quod intendat facies

tua super me, qui seruus tuus sum: ne super me, qui tuum affecto seruitium, cadat confusio inimicorum, non solum meorum, sed tuorum. nec tamen hoc peto, quasi de mea confidens iustitia, sed *saluum me fac in misericordia tua, Domine, non confundar, quoniam inuocaui te*. Non quia ego dignus sum; sed quia tu misericors es. Inuocaui te vt me salues. Ideo non secundum iudiciariam seueritatem, sed secundum misericordissimam bonitatem exaudi me, vt non confundar, & coram aduersariis non erubescam: sed fiat potius, quod sequitur: *erubescant impij*, & de sua impietate pœniteant in præsenti: alioquin in futuro *deducantur in infernum*: vt sic *muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia & abusione*. Exigit enim iusta Dei vltio, vt tunc muta fiant in inferno labia dolosa, quæ hic garrula fuerunt, nec in maliloquio diuinum iudicium timuerunt.

Pars huius psalmi tertia subiungitur, quæ aduersus superbam peruersorum hominum suarumque persecutionum sæuitiam docet in magna Dei dulcedine dulcique bonitate singulariter esse gaudendum. Vnde propheta exultans & admirans exclamat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*. O clemens, ô pie, ô dulcis Domine, tu vere fidelis es Deus, qui non permittis nos tentari vltra quam possumus; sed das cum tentatione prouentum. Das cum tentatione tribulationis prouentum, & subsidium consolationis. Das post amara dulcia. Das post amaritudinem malorum temporalium, quibus premis,

mis, dulcedinem bonorum spiritualium, quibus nos cõsolaris. Sed quia dulcia gustare non meruit, qui non prius gustauerit amara, merito debeo mala pœnæ non solum patienter, sed etiam gaudenter sustinere, si bona gratiæ cum dulcedine cupio degustare. Vt autem, te largiente, hoc fiat, da mihi Domine interius sentire, *quam magna multitudo dulcedinis tua*. Magna, inquam, & multa, multisque modis copiosa dulcedo tua, qua nunc corrigis, nunc parcis, nunc consolaris: qua etiam eos, quos amas, castigas, & castigando emendas, & per temporalium malorum amaritudinem, ad tuam & spiritualium bonorum dulcedinem venire compellis. Da mihi ergo, Domine, da mihi hanc dulcedinem degustare, *quam abscondisti timentibus te*. & merito abscondisti & occultasti timentibus te, vt amplius timeant, ne nimium confidant, ne securi negligentius agant; sed semper & feruenter eam desiderent & appetant. vel *abscondisti eam timentibus te*: quia illis eam seruasti, vt soli eam finaliter habeant, soli ad eam æternaliter perueniant, & hoc est quod sequitur:

Perfecisti eis, non solum eis qui timent te, sed qui sperant in te: vt sit timor non solum seruilis, sed filialis. Eis inquam hanc tuam dulcedinem perfecisti, hoc est, perfecte conferre disposuisti, qui sperando timent, & timendo sperant in te, & qui ita sperant, vt non erubescant, sed ad exemplum & ædificationem aliorum, spem & fidem suam patefaciant *in conspectu filiorum hominum*. Et sic luceat lux eorum coram hominibus vt glorificent in terris Patrem eorum,

rum, qui est in cælis. Et ideo : *Abscondes eos in abscondito faciei tua*, qui te in facie hominum confitebuntur, *in abscondito faciei tua*, abscondentur *à contradictione hominum*; hoc est : in secreto tuæ visionis beatificæ ab impugnatione hominum impiorum securi te protegente saluabuntur : nec solum in futuro statu cælestis patriæ, sed in præsenti statu viæ, *proteges eos in tabernaculo tuo*; id est, in ecclesia tua Catholica *à contradictione linguarum*, hoc est, hominum loquentium iniqua, ac diuersa & aduersa contra veritatem fidei Christianæ perstrepentium. Est enim contra tales ecclesia militans inexpugnabile fidei tabernaculum, & quasi habitatio militum in expugnatione positorum, sicut domus habitatio quiescentium. O igitur Domine, Deus meus, protector meus, vt finaliter abscondi valeam in *abscondito faciei tua*, da mihi interim protegi in tabernaculo ecclesiæ tuæ, ac tuæ fidei Christianæ; vt ab ea, & veritatis eius regula non discedens, sic pugnem in hac expeditione peregrinus, vt hic protectus in tabernaculo fidei, tandem gloriosus quiescam in domo cæli.

Sequitur omnium præcedentium conclusio, videlicet pro iam susceptis, & in futurum suscipiendis beneficiis gratuita exultatio, & exultans congratulatio. Quid enim vltra dicturus sum? nihil sane restat, nisi laudare Deum, & plenitudinem beneficiorum in exultationem laudum concludere. Et ideo : *Benedictus Dominus, quoniam mirificauit*, id est, mirabilem fecit, *misericordiam suam mihi*, non solum in præsenti via, sed mirabiliorem faciet *in ciuitate munita*,

hoc

hoc est in cælesti patria, quæ non solum abscondita est à conturbatione hominum, non solum protecta à contradictione linguarum, sed etiam munita omnium cumulatione bonorum. Et quia istud est inæstimabile beneficium ad imbecillitatem meam comparatum, ideo subiungitur: *Ego autem dixi in excessu mentis meæ: proiectus sum à facie oculorum tuorum*, quasi dicerem, non respicit me facies tua oculis pietatis; cum te patiente iaceam proiectus in pœnis. Hoc autem prius dixi *in excessu mentis meæ*, id est, in pauore meo pro tribulationum mearum magnitudine: qui pauor excessus mentis dicitur, dum à ratione timendo exceditur. sed quia non hoc superbe dixi, sed me humiliter accusando in tribulatione titubans ad te confugi: ideo *exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te*, non ore solum sed corde. Intus enim corde clamare debemus, vbi audit Deus: quia si exterius ore solum strepentes clamamus, nil impetramus. Quia vero charitas ad Deum dilatare cupit & ad proximum: ideo, Domine, mihi non sufficit, si pro susceptis beneficiis te laudem & diligam, nisi exemplo meo alios ad laudandum & diligendum excitem. Ideo sequitur: *Diligite Dominum omnes sancti eius*. Diligere namque Deum tantorum beneficiorum largitorem officium est sanctorum; qui ideo sancti & iusti sunt, quia, vt dignum est, Deum diligunt.

Vna autem subditur diligendi ratio: *Quoniam veritatem requiret Dominus*. Veritas enim & iustitia est, vt creatura suo seruiat creatori:

hunc

hunc in futuro ab omnibus requiret Dominus, & tunc *retribuet abundanter facientibus superbiam*; illis videlicet, qui per superbam inobedientiam Deum & eius præcepta contemnunt. Superbia enim hic accipitur pro omni criminali vitio seu mortali peccato: quia superbia radix omnium vitiorum. hic etiam in præsenti aliquando retribuit Dominus, vt superbos humiliet: quod aliquibus fit & non omnibus, quia si nulli hoc faceret, non videretur super malis prouidere diuina iustitia: si vero omnibus hoc faceret, non seruaretur diuina patientia, vt ergo iustus & patiens appareat Dominus, aliquibus & non omnibus in præsenti retribuit. Omnibus vero in futuro *retribuet abundanter* secundum exigentiam meritorum: sic tamen misericorditer, quod nullum peccatum puniet ad condignũ. Quia ergo Dominus omnium retributor est, bonorum & malorum; ideo *viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in Domino*. Non enim sufficit in Deo sperare, sed opus est virtuose & constanter agere: & si aliqua grauia occurrerint, corde confortari, id est, spirituali fortitudine roborari. Sicut ergo fides, sic & spes, sine operibus mortua est: nec spes sine meritis vocanda est, sed magis superba præsumptio.

Da mihi ergo, Domine, nec solum mihi sed omnibus proximis meis in te digne sperare. Da nobis in te sperando, sic viriliter agere, vt non solum in spe, sed fide & charitate veraciter radicati, & contra aduersa omnia spiritualiter confortati, ad te valeamus finaliter perue-

peruenire: quod ipse præstare digneris, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit meditatio seu expositio Domini Petri de Alliaco Episcopi Cameracensis, super psalmo: In te Domine speraui, non confundar in æternum.

ALIA DEVOTA MEDITATIO SVPER PSALMO: *Iudica me Deus & discerne causam meam*, edita ab eodem Reuerendissimo Patre Domino Cardinali Cameracensi, Apostolicæ Sedis in Alemannia legato.

SVMME sacerdos, tu benignissime Christe Iesu, qui in ara crucis pro redemptione humani generis Deo Patri teipsum vnigenitum eius Filium hostiam sacratissimam obtulisti; quique in Sacramento altaris, ob tanti beneficij memoriam, per sacerdotes ecclesiæ tuæ offerri voluisti, inter quos me non merito sed numero aggregare dignatus es: ecce indignus ego & inutilis seruus, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, ad sanctum altare tuum ingressurus cum eximio prophetarum Dauid tibi psallam:

Iudica

Iudica me Deus & discerne causam meam. Sed heu me miserum: qualiter hoc dicere præsumam? qualiter, inquam, qua fronte, quaue audacia me iudicari, & causam meam à te discerni petam? qui multorum ac magnorum peccatorum meorum conscius ex timore ac terrore horrendi iudicij tui potius exclamare compellor: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et iterum: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Verumtamen docet me, Domine, ecclesia tua, quæ te docente instructa est, vt dum ad sanctum altare tuum accedo de tuis meritis confidens, & de meis nil presumens, humiliter tibi Dauidicum psalmum dicam: *Iudica me Deus, & discerne causam meam.* Hoc, pie Iesu, hoc orat mysticum corpus tuum, quod est ecclesia, & hoc orare docet fideles tuos, qui sunt huius corporis membra, nec hoc dicendo, petunt rigore iudicij tui peccata sua discuti, quod vtique periculosum est: quæ enim humana creatura hoc iudicium non horret? quid tunc faceret virgula deserti, vbi concutitur cedrus paradisi? nam & astra non sunt munda in conspectu tuo, & in Angelis reperis prauitatem: non ergo pro membris suis fidelibus petit ecclesia iudicium tuæ rigorosæ iustitiæ, quo in furore tuo arguas, vel in ira tua corripias. Nam si tale iudicium exhibueris, si iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? sed petit iudicium tuæ piæ misericordiæ, quo peccatoribus ignoscis, & confitentibus parcis. & ideo non timet iustitiam, quia sperat misericordiam: nec te metuit vltorem, quia agnoscit indultorem.

Nam

Nam metum pœnæ superat spes gratiæ & desiderium gloriæ.

Timere igitur possem si districte mecum ageres; si me in rigore iustitiæ iudicares: *sed non intres in iudicium cum seruo tuo Domine*, qui spero in multitudine misericordiæ tuæ, qui humiliter confiteor, quia non sum dignus vocari filius tuus: sed velut seruus fugitiuus ad te redeo, misericordiam postulo, pacem quæro. Indignum est ergo, Dominum cum tali seruo intrare iudicium: nec decet vt intres in iudicium meum; quia nec ego volo intrare tecum. Intrant serui iudicium cum domino, qui iustitiam suam constituentes, de suis meritis presumunt: de quibus per Prophetam dicitur, *quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus*. Non sic autem, non sic ego inutilis seruus tuus, de iustitia meritorum meorum penitus diffidens: sed licet sæpe dereliquerim te, consortia vitiaque peruersorum hominum sequens: tamen nunc de multitudine miserationum tuarum sperans, cum humilis confessionis instantia, ad te confugio, dicens: *Iudica me Deus*. Idest cum misericordia corripe me, *& discerne causam meam de gente non sancta*; *Ab homine iniquo & doloso erue me*; Hoc est, ita iudica me, vt discernas merita, quæ mihi erunt vitæ vel mortis causa; a meritis gentis non sanctæ, & ita discerne causam meam, vt eruas me a multitudine hominum peruersorum ab *homine iniquo* contra Deum. *Et doloso* contra proximum; ab homine *iniquo*, qui mala facit aperte; Et *doloso*, qui mala facit occulte. Hæc est gens non sancta

cum qua mihi par est infirmitas, sed dispar voluntas, Dispar voluntatis desiderium. Ideo peto Domine vt ab ea celeriter eruas me; & in præsenti, ne ab ea corrumpar, culpabiliter: & in futuro ne cum ea damner æternaliter.

Sed heu infælix ego, vtinam eripias me à meipso: quia in me est animalis homo, à quo me separare nequeo, de quo alibi orat psalmista, *eripe me Domine ab homine malo*. Ideo etiam peto, vt eripias me ab hoc homine iniquo, & doloso: Hoc est, carnalitatis animalitatis, vel sensualitatis iniquitate & dolositate, sæpe rationalis voluntatis desiderium perturbante: ne me iniquum & dolosum faciat, & iungat cum gente non sancta.

Nec hoc peto solus, sed hoc simpliciter orat Ecclesia tua in hoc psalmo pro vniuersis membris tuis. Ipsa siquidem gemit in terris, videns plurimos malos commisceri cum bonis, & cum triticis crescere Zizania: Et omnia vtrisque esse communia, & permixta, quantum ad bona vel mala naturæ aut fortunæ: sed non quantum ad merita & dona gratiæ futuraque præmia gratiæ. Quapropter optat finale iudicium, in quo fiet separatio malorum a bonis; & bonorum glorificatio reiectis malis. Interim autem monet ne inter pressuras sæculi, & temptationes diaboli, deficiamus, & à Deo retrahamur: sed lætemur in eo, & suo iudicio causam meritorum nostrorum committamus, ac in spe suæ misericordiæ, desiderioque præmiorum suorum consolemur. Merito ergo Domine hoc Documentum Ecclesiæ tuæ sequens, in causa mea iudicium tuum peto, & ad

te iu-

te iudicem supremum appello, dicens : *Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta, Ab homine iniquo & doloso erue me*: Nam propter tria, quæ his notantur verbis, humanum habeo suspectum iudicium: ideoque ad diuinum recurrere compulsus sum : *propter testium falsitatem* , quia sæpe *gens non sancta* testis est; *propter iudicum iniquitatem*, Quia sępe *homo iniquus iudex est*; *Et propter aduocatorum & procuratorum dolositatem*, Quia sæpe *homo dolosus* aduocatus vel procurator est. Econtra verò in diuino iudicio, testis erit tua infallibilis veritas: iudex erit tua inobliquabilis æquitas: aduocatus & procurator erit, tua imperturbabilis pietas, misericordia, bonitas, clementia, atque benignitas. Tu ergo Domine in tuo diuino iudicio causam meam discerne: tu à peruerso iudicio hominum eruere me.

Non presumo ex me virtutem; non arrogo mihi fortitudinem, quia *tu* solus *es Deus meus* per naturam, *& fortitudo mea*, per gratiam: tu *Deus meus*, qui me creasti tu *fortitudo mea*, quæ roborasti me. Cum ergo in te solo spes mea posita sit : *quare me repulisti*, id est, quare me quasi repulsum ostendisti vitam æternam quam spero tam diu differendo : Et *quare tristis incedo* huius vitæ miseriam sustinendo *dum affligit me inimicus*, videlicet Diabolus, vel hic nequam mundus, vel carnis stimulus. Hic est triplex inimicus, qui multipliciter affligit impugnando varijs temptationibus: vnde gemens canit Ecclesia: *Mundus caro demonia diuersa mouent prælia*: His prælijs sensualitas impugnata opprimitur, & spiritui ac rationi aduersatur: vnde

ratio conturbata in alio psalmo conqueritur, *quare tristis es anima mea?* idest, animalitas, vel sensualitas mea, *quare tristis es* in te, & *quare* ex tristitia tua *conturbas me?* licet enim mundus foris perstrepet, & intus caro grauet, & Diabolus vndique impugnet: *quare* tamen *tristis es anima mea?* Nescis quia per sapientem tibi consulitur, *tristitiam ne des animæ tuæ.* Nescis quia per Apostolum dicitur, *tristitia sæculi mortem operatur?* Quare ergo tristis es de temporalibus diuitijs, si abundantiam non recipis; de iniurijs illatis, si vindictam non capis; de alijs quoque rebus mundanæ vanitati subiectis, si in eis voluntatem aut voluptatem tuam non exequeris? sed *quare* etiam *conturbas me*, obumbrando vanis fumumatibus, quo ad intellectum; inflammando libidinosis voluptatibus, quoad effectum, his enim conturbata ratio in eodem psalmo se oblitum lamentatur, quæ hic se conquerebatur repulsam, *quare* inquit, *oblitus es mei*, ab his me periculis non eripiens, sed tuæ dulcedinis consolationem differens? Et *quare contristatus incedo*, idest. Simul mente & corpore tristitia turbatus incedo, per huius desolatæ viæ miseriam, vsquequo accedam ad desperatæ patrie speratam lætitiam? Sed quia *spes, quæ differtur, affligit animum:* Quid mirum, si interim incedo contristatus? maxime *dum affligit me inimicus.*

Nec caret mysterio quod in vtroque psalmo horum verborum fiat iteratio: non est enim hoc superfluum: quia frequentia multiplicium tribulationum frequentiam exigit lamentabilium questionum. Sed vt excludatur tam frequens

quens tamquam multiplex inimici afflictio: Ideo te Domine Deum Patrem inuoco dicens. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam*: idest: Christum vnigenitum filium tuum, qui per excellentiam lux est & veritas, de quo scriptum est; *erat lux vera qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Et qui de se ait, *ego sum via veritas & vita*; Primum huius lucis & veritatis aduentum petierunt antiqui patres, inter quos Salomon, *emitte* inquit *illam à sede magnitudinis tua sapientiam vt mecum sit, & mecum laboret*. Sæpè & multum hoc illi petierunt: & diu, valdéque diu expectauerunt; & tandem, *cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum de Muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erunt redimeret*: Et tunc venit lux ad cæcos, veritas ad deceptos, ad errantes via, ad mortuos vita.

Iam vero post primum illum aduentum, secundum peto, quo venturus est Christus ad finale iudicium: nam & ipso docente oro, *Adueniat Regnum tuum*: Hoc autem ideo orans peto, & licet cum timore, & tremore, tamen ex amore, & zeli feruore desidero; quia non excludetur nunc illa, de qua conquestus sum, inimici afflictio, donec tunc fiat malorum à bonis separatio. Tunc enim *mittet Angelos suos, qui separabunt triticum à paleis suis & zizanijs, & colligent de Regno eius omnia scandala*. Tu ergo, æterne pater, qui in primo aduentu misisti coæternum tibi filium ad redimendum, vt veniret redemptor ad venditos; saluator ad perditos, liberator ad captiuos; medicus, ad ægrotos; tu Domine iterum mitte eum ad iudicandum, vt

separet bonos & malos, saluans iustos, damnans impios: Sic ergo *emitte lucem tuam*; vt illuminans discernat abscondita: *& veritatem tuam*, vt iudicans vnicuique reddat & distribuat meritorum præmia: bonis æterna gaudia: malis æterna supplicia. Ego verò Domine, non de mea iustitia, sed de tua gratia confisus, spero ex secundo tuo aduentu à luce & veritate tua consolationem recipere: quia ex primo aduentu ab ipsis magnam consolationis gratiam fateor recepisse. Nam *ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.* Iam *ipsa me deduxerunt* à malis segregando; *& adduxerunt*, cum bonis aggregando; reduxerunt me ab Ecclesia malignantium; & deduxerunt me in Ecclesiam fidelium; & hoc est, *in montem sanctum tuum & in tabernacula tua*. Hæc enim militans Ecclesia mons dicitur & tabernaculum: *Mons* propter altitudinem, quantum ad statum contemplantium & perfectorum, de quo psalmista, *Mons in quo bene placitum est Deo habitare in eo*: Et *tabernaculum* propter certamen, quantum ad statum incipientium & proficientium, omniumque in hac vita peregrinantium & militantium. Quamdiu enim in corpore sumus: peregrinamur à Domino aduersus Diabolum militantes.

Cum ergo audis *tabernaculum*; bellum intellige: hostem caue; sed tamen in tuo certamine ad illud tabernaculum fuge, de quo ait idem Propheta, *abscondit me in tabernaculo suo in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui*. Licet enim præsens Ecclesia pluraliter dicatur, *tabernacula* propter pluralitatem statuum,

tuum, & diuersitatem malorum: tamen in ea habes speciale quoddam taberuaculum & quoddam singulare tabernaculi secretum absconditum, sub quo in die malorum, idest; in præsenti vita, qua homines mali florent, & tribulationum mala feruent, abscondi poteris & protegi. Vis intelligere secretum? Audi mysterium. Christus, *secundum humanitatem*, est tabernaculum, de quo ait, *sanctificauit tabernaculum suum altißimus*. Christus *secundum diuinitatem* est tabernaculi sui absconditum, de quo alius Propheta dicit, *vere tu es Deus absconditus*; secreta enim virtus diuinitatis abscondita est in tabernaculo humanitatis.

Sed audi mirabilius. Vtraque, tam humanitatis quam diuinitatis virtus, secretius abscondita est in Sacramento altaris: vt merito illud intelligi possit singulare Ecclesiastici tabernaculi absconditum; sub quo aduersus omne persecutoris malum habere potes protectoris refugium: & ideo conuenienter subditur; & *introibo ad altare* Dei. Hucusque, ô bone Iesu, hucusque conquerendo locutus sum conturbatus tristitia sæculi: sed iam loqui incipiam, consolatus lætitia spirituali: Nec immeritò: quia spero protegi in abscondito tabernaculi tui: ideo hac spe gaudens *introibo ad altare Dei*, ad altare tabernaculi Ecclesiæ militantis: nec solum ad altare Dei. Sed etiam *ad Deum*, quia sub Eucharistiæ Sacramento sumam Christum vere Deum absconditum: qui in Cœlis secundum diuinitatem panis est Angelorum: Et in terris secundum humanitatem factus est cibus hominum, *qui lætificat iuuentutem meam*. Quam

iuuentutem? non vtique corporalem, sed spiritualem, Ipse siquidem spiritualis cibus est, qui lætificat spiritualiter, per spem; & spirituali lætitia meam renouat iuuentutem, purgando vetustatem culpæ per nouitatem gratiæ. Sic igitur lætificatus & renouatus, *introibo ad altare* Ecclesiæ militantis, desiderans postea ire ad altare Ecclesiæ triumphantis: De quo in secreto Missæ dicitur. *Iube hoc perferri in sublime altare tuum*. Desiderio eius & amore superioris & inuisibilis altaris illius cælestis Hierusalem, datur sacerdoti homini altare visibile cum modestia introire, Æterna, & non caduca petituro. Quid autem sit illud inuisibile altare, ostendit, quod sequitur: *Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam*, sublime siquidem altare Ecclesiæ triumphantis, sublimitas est diuinæ maiestatis, quæ nunc nobis est inuisibilis: Nunc enim non videmus Deum, nisi per speculum, & in enigmate; tunc autem nostram lætificabit iuuentutem, quoniam videbimus eam facie ad faciem.

Sed quia propter illius facialis visionis speratam dulcedinem iam diuinam presentio consolationem: ideo merito deuotam pronunciabo confessionem; & hoc est quod subditur, *Confitebor tibi in Cithara Deus Deus meus*. O Deus, qui verè es Deus meus, qui licet sis omnium Deus, tamen specialiter es Deus meus: quia te mihi dedisti, vt esses redemptor meus; pro tantis donis, tamque gratuitis beneficijs, ne tibi ingratus efficiar, confitebor tibi. Sed quomodo confitebor? Est enim duplex accepta tibi confessio; Est *confessio criminis*, de qua inquit

inquit psalmus, *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam. Et tu remisisti impietatem peccati mei*; est & *confessio laudis*, de qua idem ait, *venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro praeoccupemus faciem eius in confessione, Et in psalmis iubilemus ei*. Intraturus igitur ad altare Dei, hac vtraque confessione confitebor tibi: Confitebor priùs iniustitiam meam, vt tu peccati mei iniquitatem remittens, conferas gratiam tuam; Confitebor deinde confessione laudis in exultatione mentis, & iubilatione vocis (licet praua & tuæ maiestati indigna) tibi gratias referens de vniuersis magnis donis tuis ac beneficijs; & hoc est quod dicitur; *Confitebor tibi in Cythara.*

Sed quare dictum est, *in Cythara?* Audio alibi psalmistam Dauid alia musicæ instrumenta enumerantem, & dicentem: *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cythara; in tympano & choro. In cordis & organo. In cymbalis iubilationis*. Quæ omnia non carnaliter, sed spiritualiter intellecta: & humanis actibus comparata, ibi figuraliter Dei laudes dicuntur personare, cur hic ergo, cur psalterium, cum cythara non numerat, cum alibi dicat, *in psalterio iocundo cum cythara*: Debas intelligere homo duo inter omnia musicæ instrumenta esse iocundiora. Audio illa psalmistæ verba, & in his attendo mysteria hic de psalterio iocundo alijsque instrumentis altius resonantibus lucet: & de sola cythara, quæ bassius ac suauius resonat, loquitur: Psalterium quippe à superiori sonat, cythara ab inferiori: illa ergo gratiarum actio fit in psalterio, quæ cum iocunditate ad

superiora sublimis eleuatur; ille verò in cythara, quæ in aduersitate adhuc quodam modo ad inferiora deprimitur. Habet autem hæc spiritualis cythara tres inferiores cordas, quæ, si bene resonantes concordent, cæterarum cordarum, idest, virtuosarum operationum, totiusque earum consonantiæ, ac spiritualis melodiœ tenorem sustinent. Hæ sunt, *cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio*: His cordis tribus huius spiritualis cytharæ sonus à tono humilitatis inferiùs inchoatur, & tandem ad sonum iocunditatis & iocundæ exultationis paulatim altiùs subleuatur: quia (vt veritas ait) *qui se humiliat exaltabitur*. O vtinam, Domine, vtinam in hac cythara tibi digne valeam gratiarum actiones referre, & in huius vitæ miseria humiliter psallere, *Confitebor tibi in cythara.*

Hoc vtique, Domine, confidenter spero ex tua pietate. Sed ex mea prauitate diffidens meipsum increpo dicens. *quare tristis es anima mea*, in sensualitate; *& quare conturbas me*, in ratione. Nec hoc superfluè reperio, sed frequenter contra tristitiam sæculi persuadeo, sciens, quia ipsa semper bonis rebus aduersa est. Et vt egregie quidam ait, *per hanc patientia robur frangitur, per hanc charitatem lumen extinguitur, per hanc spei nostra desiderium molestatur*: &, vt breuiùs concludam, per hanc hominis vita consumitur, & ad miserabilem mortem deducitur. Noli igitur, ô anima mea, *tristis esse*, Noli *me conturbare*: Sed potiùs *spera in Domino*, & lætare in eo. *Quoniam adhuc confitebor illi.* Iam enim in cythara confiteor: sed adhuc in psalterio

terio confitebor; & si non perfecte in via huius præsentis miseriæ; tamen finaliter in patria cælestis gloriæ.

Sed quid confitebor illi? Quia tu es *salutare vultus mei, & Deus meus*. O breuis valde confessio, sed magno plena mysterio. Confitebor tibi, Domine Iesu Christe, quia tu solus es salutare, á quo, & non ab alio, est mihi salus. Tu *salutare vultus mei*, idest Saluator meus, in forma humana; quam assumpsisti, similis mihi, Tu idem ipse es, *Et Deus meus*, & creator meus. Tu ergo Saluator meus, & verus homo, & verus Deus. Hoc longe ante sanctus Dauid confitendo prophetauit, quod postea Apostolorum Princeps confessus est, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei viui*. Tu es *Christus*, secundum humanitatem, *Filius Dei viui* secundum diuinitatem: ex qua confessione audire meruit, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* O Vtinam hoc ita dignè fideliterque confitear, vt huius confessionis merito dignum Ecclesiæ membrum efficiar: & istius nunc militantis in terris, & tandem illius triumphantis in cœlis. Quod vt prestare digneris, *tu Deus meus & salutare vultus mei*, Da mihi finaliter videre lumen vultus tui, vbi cum Patre & Spiritusancto viuis & regnas in sæcula sæculorum Amen.

INCIPIT PREFATIO MAGISTRI PETRI DE ALLIACO CARDINALIS, QVONDAM EPISCOPI CAMEracensis, super septem Psalmos Pænitentiales.

VERA pænitentia, velut scala quædam est, qua homo peccator, qui secundum Euangelicam Parabolam descendit de Hierusalem in Hiericho; rursum in Hierusalem, hoc est, ad pacis visionem, ascendit. Huius verò scalæ septem sunt gradus, quibus correspondent psalmi septem, qui dicuntur pænitentiales. PRIMVS itaque gradus est timor pœnæ; A quo primus psalmus incipit, *Domine ne in furore tuo arguas me. Neque in ira tua corripias me.* SECVNDVS est, dolor culpæ, hic est, qui in secundo psalmo optando dicit, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Et quorum tecta sunt peccata*; & hunc peccatorum confessio, ipsorumque remissio sequitur, *delictum meum* inquit *cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi*. Et iterum. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, Et tu remisisti impietatem peccati mei*. TERTIVS gradus est,

est, spes veniæ: hanc timor præcedit, qui rursus in tertio psalmo clamat, *Domine ne in furore tuo arguas me*, & hunc dolor comitatur. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, Rugiebam à gemitu cordis mei.* Post hæc verò sequitur spes: *Quoniam in te Domine speraui tu exaudies me Domine Deus meus.* QVARTVS est amor munditiæ, hunc non hominis iustitia, sed Dei misericordia efficit: Vnde quartus psalmus ait, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Ac deinde subdit, *Amplius laua me ab iniquitate mea.* Et iterum, *Cor mundum crea in me Deus.* QVINTVS gradus est desiderium cælestis patriæ, pro quo orat quintus Psalmus, *Domine exaudi orationem meam.* præcedit autem contemptus præsentis vitæ, *quia defecerunt*, inquit, *sicut fumus dies mei.* Et iterum; *Dies mei sicut vmbra declinauerunt & ego sicut fenum arui.* Et hunc comitatur consideratio æternitatis diuinæ, *Tu autem in æternum permanes &c.* Et rursus. *Tu autem idem ipse es, Et anni tui non deficient.* Et ex his consequitur desiderium habitationis supernæ, de qua concludendo ait, *Filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in sæculum dirigetur.* SEXTVS gradus est diffidentia virtutis propriæ, & hanc iuuat confidentia diuinæ misericordiæ, pro qua sextus psalmus suspirat, *De profundis clamaui ad te Domine &c.* Et meritò, quia ad cælestem patriam peruenire propria virtute diffido: Nam *si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit.* Sed de copiositate confido, *quia apud Dominum misericordia. Et copiosa apud eum redemptio.* SEPTIMVS gradus est, exultatio spiritualis lætitiæ

titiæ: Hunc asſidua oratio efficit, ideo ſeptimus pſalmus incipit, *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam*. Per hanc ex diuinorum operum conſideratione in Dei contemplationem aſcendit, *Meditatus ſum* inquit, *in omnibus operibus tuis. Et in factis manum tuarum meditabar.* Vnde tandem exultatio concludit, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Nos ergo, ſi in hanc terram cæleſtis Hieruſalem deduci cupimus, his ſeptem penitentiæ gradibus aſcendere, & in his pſalmis aſsidua deuotione meditari debemus: exemplo beatiſsimi Augnſtini, de quo legitur, quia vltima, qua defunctus eſt, infirmitate, huiuſmodi pſalmos de pænitentia, quos ſibi iuſſerat ſcribi, iacens in lecto, contra parietem poſitos intuebatur, & legebat, & vbertim ac iugiter flebat. Ideo ex huius ſancti Doctoris, aliorumque ſententjis, ſuper Pſalmis pœnitentialibus quaſdam orationes, ſeu meditationes deuotas componere dignum duxi: quibus & ad pœnitentiam prouocari, & per penitentiam in Dei contemplationem humanus animus valeat promoueri. Illud tamen in exordio premittendum eſt, quòd licet ſeptem affectus, quos ſeptem gradibus ſcalæ pœnitentiæ appropriauimus, dictis ſeptem pſalmis apte decenterque, vt oſtenſum eſt conueniant: tamen, ſicut dicit Hugo in libello de oratione, ſciendum eſt hanc proprietatem in omnibus pſalmis non eſſe, vt per totam ſeriem vnus affectus extendatur: ſed ſæpe ex alio affectu tranſitur in alium; ſicut ex affectu timoris in affectum amoris, vel in ſpei affectum, vel conſolationis;

ſecun-

secundum quod mens orantis diuersis modis affici solet. Hoc autem qualiter per singulos psalmos cognoscatur. licet non sit huius operis explanare: tamen, quantum ad propositum pertinet, satis ex sequentibus apparebit.

MEDITATIO DEVOTA SVPER PRIMO PSALMO pœnitentiali.

DOMINE Iesu Chiste, future Iudex sæculi, qui bonos in cæleste regnum tuum, malos verò in ignem æternum es missurus: Dum ego reus, & indignus peccator, horrorem futuri Iudicij tui considero, timens ac tremens ad te clamare compellor, & dicere, *Domine ne in furore tuo arguas me: Neque in ira tua corripias me*. Sed vœ mihi, quomodo immensam clementiam tuam ad furorem, quomodo infinitam misericordiam tuam ad iram prouocare merui? Itaque & hoc sponte confiteor, alioquin coactus fatebor. Scio tamen Domine, te docente, quia tu semper idem es: idem in in varios affectus non mutabilis es; de te quoque scriptum est, *Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas:* Furis ergo, semper tranquillus; irasceris, semper placatus. Non est furor tuus, non est ira tua in te, & in tuo affectu: Sed extra

te

te est, & in effectu tuo. Furor tuus, pœna est inferni: Ira tua purgarorij pœna. In inferno quasi furendo arguis: in purgatorio quasi irascendo corripis, in illo, per iustitiam arguis insolubiliter: in isto per misericordiam corripis salubriter; & tamen ab vtroque opto eripi: ab vtroque desidero, & peto liberari, dicens, *Domine ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me &c.*

Sed quo pacto, qua fronte, qua hoc presumo audacia? Non vtique de mea iustitia, sed de tua misericordia: Ideoque *Miserere mei Domine*, quare? *Quoniam infirmus sum.* Non meæ virtutis firmitetem, sed meæ vanitatis allego infirmitatem. Ego infirmus, tu medicus: Ergo *sana me Domine.* Hic adhibe; qusi tu vis medicamenta: Hic vre, hic seca; tantum à furore tuo & ira, hoc est à futuræ vitæ pœna, me libera. Nec à te, ô pie medice, frustra peto, vt sanes me: *Quoniam conturbata sunt omnia ossa mea*: Ossa loquor, non corporis, sed animæ: Ossa animæ meæ, vires sunt animæ meæ: quia sicut in ossibus corporis, sic in viribus animæ consistit fortitudo. Vires animæ meæ memoria, intulligentia, & voluntas. In quibus, dum sanæ sunt, Sanctæ Trinitatis vera imago est, & similitudo. Sed heu me, quoniam per peccatum infirmæ factæ sunt: Ideo conturbatæ, hoc est intra se, contra se inuicem conturbatæ sunt Et ideo *anima mea turbata est valde.* Quia ergo non modicum, sed *valde* conturbata est anima mea, quia valde infirmata est omnis fortitudo sua: Dum tibi morbum meum detego, dum medico ægritudinis magnitudinem ostendo,

oro,

oro vt sanes. *Sed tu Domine vsquequo*. Vsquequo Domine sanitatem differs? Non est dilatio ista crudelitas tua: sed ideo differs, vt dum diu luctari permittis cum vitijs, ex hoc persuadeas animæ meæ, in quæ mala se præcipitauit, & vt item cautior sit. Nam ex difficultate & dilatione Saluationis, fit diligentior custodia receptæ sanitatis. Vel, idéo mihi perfectam differs curationem, quia imperfectam tibi offero orationem. Nam hic nondum tam perfectè oro, vt audire merear: *Adhuc te loquente dicam. Ecce assum*. Quare hoc? Quia non satis perfectè animam meam conuerto ad te. Sed nec hoc possum, nisi tu suppleas imperfectum meum. Ideo *Conuertere Domine & eripe animam meam* hoc est, fac me ad te perfecte conuerti. Durum enim & laboriosum est mihi ad serenitatem & tranquillitatem diuinæ lucis à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri Eripe ergo animam meam peccatis, scilicet ligatam, & in sua conuersione hostibus multis impeditam, & oppressam, tanquam inhærentem perplexitatibus huius sæculi, & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conuersione patientem.. Ab his quoque malis eripiens, *saluum me fac propter misericordiam tuam*. Non propter iustitiam meam: qua peccatis & demeritis iusta debetur damnatio; sed *propter misericordiam tuam*, per quam conuersis à te pia promittitur saluatio, te dicente, *Conuertimi ad me, Et ego conuertar ad vos*. Tu ergo qui auersus eras, & quem mihi auersum mea fecerat auersio: Conuertere ad me; qui ad te conuersus sum: &, si parum conuersus, fac me

conuerti perfectiùs & sic *Conuertere Domine* à vindicta tua, & *eripe animam meam*, non solum à præsenti malitia;sed saluum me fac etiam à futuræ mortis miseria *quoniam non est in morte qui memor sit tui. In inferno autem quis confitebitur tibi?* O piissime Domine, non immeritò hic festino mihi peccata dimitti: quoniam post mortem, vel in inferno,non erit memoria tui, aut confessio peccati, quæ scilicet vtilis sit ad veniam; quia nunc est tempus conuersionis: sed cum hæc vita transierit, tempus erit retributionis. Vt ergo ab illa æterna morte, vt ab illa inferni damnatione per pœnitentiam liberet. *Laborabo in gemitu meo. Lauabo per singulas noctes Lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. O fælix Dauid, qui has pœnitentiæ ærumnas per tot noctes vtiliter sustinuit vœ mihi misero, qui has vna vix hora sustinere valeo, aut non volo! Etsi quando velle mihi adiacet, quia tamen imperfectè volo, perficere non inuenio. Tu ergo Domine da mihi velle, da mihi perficere: Da mihi *laborare*, non solum in gemitu cordis, sed *lauare lectum meum*. Lachrimis corporis, nec lauare solum exterius, seu superficere tenus, sed etiam *rigari* intrinsecus; vt fletus meus non solum ad exteriora corporis,sed ad cordis intima perueniant, & ibidem maneant.

Nec solum Domine peto lauari aut lachrymis rigari lectum meum corporalē, sed etiam spiritualē,scilicet interioris conscientiæ: & hoc *per singulas noctes*, idest per singula peccata, ex ea orientia. Oriuntur quippe mihi alternatim dies ac noctes: Noctes patior, cum carne

seruio

seruio legi peccati; Dies sentio, cum mente seruio legi Dei. O vtinam fugatis noctibus peccatorum, & abiectis tenebris vitiorum, oriantur mihi, & illucescant clarius dies virtutum & lumina gratiarum.

Sed heu me miserum, quia *turbatus est à furore oculus meus:* Heu! Heu! & iterum Heu! quia oculus mentis meæ vix potest ad ortum diei, & spiritualis luminis consurgere: & hoc. Quia *turbatus est à furore.* nec solum à furore tuo diuino tàm futuro quem timeo, quàm præsenti quem sentio: sed etiam à furore meo proprio, quem gemo, hoc est à furiosa concupiscentia mea à primo parente transfusa, per quam (quamdiu sum in hac miserabili vita) licet non totaliter extinctus, tamen multipliciter turbatus est oculus. Et merito *quia inueteraui inter omnes inimicos meos.* Scilicet inter omnia vitia mea, & peccata mea: quæ verè inimici mei sunt: Dum me ab amore diuino separant, & auertunt. Inter quæ *inueteraui*, dum per inueteratam consuetudinem me eis subiectum esse consensi. Sed tu Domine pijssime post laborem & gemitum, post imbres creberrimos lachrymarum, Da mihi consolationis tuæ auxilium: vt dicere valeam, *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Da mihi optare ab operarijs iniquitatis separari, non solum loco sed animo, in quorum peccaui consortio: vt sic & tua in me correptio, & mea in te consolatio, innotescat; vt sic spiritus meus sentiat, *quoniam vocem fletus mei exaudisti.*

Da mihi Domine vt iterum, atque iterum exul-

exultans dicam *Exaudiuit Dominus deprecatione meam Dominus orationem meam suscepit. Deprecationem* meam, per depositionem peccatorum: Et *orationem* meam, pro virtutibus adipiscendis. Sed non solum, Domine, Da mihi exaudiri pro me, non solum pro mea sed etiam pro meorum proximorum salute: Nec solum pro amicorum meorum, sed etiam pro inimicorum conuersione, vt exemplo viri perfecti dicam cum seruo tuo Dauid, *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei. Erubescant* exemplo meo de actibus suis malis, & *conturbentur* terrore iudicij, ad pœnitentiam: non leuiter, sed *vehementer*, cum gemitu forti, vt sic. *Conuertantur & erubescant valde velociter.* Ne conuersio sua & erubescentia pænitentiæ suæ differatur damnabiliter: Quia nisi in præsenti vita sic conuertantur & erubescant, sed potius (vt ab iniquis fieri solet) pænitentes irrideant, & suis irrisionibus infirmos erubescere faciant; tandem in finali iudicio erubescent, & erubescentes dicent, *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum: Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter sanctos sors illorum est. Quid nobis profuit superbia, Aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis?* Tunc ergo conuertentur & erubescent: Sed erit hæc conuersio, & erubescentia ad damnabilem confusionem, quia habere noluerunt Pœnitentiam salutarem. Et hæc omnia fient *valde velociter*, quia quando minus de iudicio sperauerint, & dixerint, pax & securitas: Tunc repentinus superueniet interitus.

MEDI-

MEDITATIO DEVOTA SVPER SECVNDO PSALMO pœnitentiali. Scilicet, *Beati quorum.*

DOMINE Iesu Christe, qui culpa offenderis, & pænitentia placaris: Tu Magister optime, qui interiùs docens illuminator es cordium: Da mihi intellectum; Da excæcato cordi meo & tenebroso intellectui meo lumen tuum, quo culpabilem offensam plene & perfecte valeam cognoscere. Da mihi culpam meam, offensamque tuam taliter cognoscendo dolere, vt eam digneris misericorditer ignoscendo delere. Da mihi ergo, vt de illorum sim numero de quibus per Prophetam tuum dicitur. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Et quorum tecta sunt peccata.* O me beatum, si à te Domine remissæ sunt iniquitates meæ, ita vt mihi dones indulgensiam ex gratia tua, cui debes vindictam ex culpa mea; vt mihi dones indebitam gratiam, cui iuste reddere potes debitam pœnam. O igitur, me beatum, si tecta sint peccata mea. Quomodo tecta? Non ita, tanquam in me sint, vt viuant; non ita, tanquam in me abscondita maneant: sed ita deleta, vt tu Deus ea non videas, idest, non æternaliter pu-

nias.

nias. Te enim peccata videre, quid aliud est, quam peccata punire? Sicut scriptum est; *Auerte faciem tuam à peccatis meis*. Tu ergo ea peccata non vides, sed ab eis faciem auertis, quæ non animaduertis, idest, quæ non punis. Tu ea non agnoscis: quibus ignoscis. Tu ea tegis per gratiam, quæ non imputas ad pœnam.

Ideo rectè subditur. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*. Sed cui non imputat? Certe ei non imputat, sed ignoscit; qui peccatum suum agnoscit, & agnitum non defendit, sed confitendo corrigit: Nec meritum suum sibi; sed gratiæ Dei attribuit. De quo dicitur *Nec est in spiritu eius dolus*. Sed nec in ore eius: Quia se accusat, cum sit peccator, & corde tenet, quod ore fatetur. *Dolus* enim est, si quis peccator iustum se prædicet: qui verò se accusat, dolo caret. Talis erat publicanus ille humilis, qui dicebat, *Deus propitius esto mihi peccatori* Vnde sequitur: *quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die*; quoniam *tacui*, quod non erat tacendum, scilicet, confessionem peccatorum: *Inueterauerunt ossa mea*, Idest defecit interior fortitudo mea; *Dum clamarem tota die* dicendo quod non erat dicendum, scilicet iactantiam meritorum. Contra vero, si clamassem peccata; & tacuissem merita, robusta & firma fieret virtus mea. Tacui ergo & clamaui: Tacui peccata, clamaui merita. Tacui, vnde proficerem: clamaui vnde deficerem. Tacui de peccatis confessionem: clamaui de meritis præsumptionem. Sana membra medico ostendebam: vulnerata tegebam,

bam, & ideo non fui sanatus, sed inueteratus, hoc est in peccatorum meorum vetustate remansi: quia per culpæ meæ confessionem gratiæ tuæ nouitatem non quæsiui.

Et ideo *quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina*. O Domine, ô pie medice, qui etiam percutiendo sanas: quia *manus tua*, idest vindicta, assidue, die ac nocte grauata est super me, ad humiliandum me superbum, peccata tacentem, merita iactantem: ideo tandem *conuersus sum in ærumna mea*: in miseria mea, hoc est, conuertendo me ad meipsum, cognoui me miserum, *dum configitur spina*, idest, dum conpungitur conscientia mea; sicut enim spina dorsi hominem sursum erigit: sic ratio, vel conscientia spiritum, prius ad terrena curuatum, ad superna resurgentem dirigit. Hac ergo de culpa sua conpunctus peccator, humiliatus, ait, *Delictum meum cognitum tibi feci, Et iniustitiam meam non abscondi.*

Merito quidem *delictum*, quia facienda omisi; *& iniustitiam meam*, quia non facienda commisi: tibi confitendo aperui & detexi: aperui, vt operires, detexi, vt tegeres. Vnde sequitur, *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*, & *tu remisisti impietatem peccati mei*. O magna vtilitas confessionis peccati! maxima quoque benignitas miserantis Dei: Quia ad solum confitendi propositum remittitur peccatum. Non enim *dixi, confiteor*: sed *dixi, confitebor*, idest, proposui confiteri iniustitiam meam aduersum me: meipsum, & non alium accusando: & statim *tu*, & non alius,

remi-

remisisti impietatem peccati mei. Et bene *mei*, quia quod pecco, hoc meum est: quod autem à peccato resurgo, hoc tuum est. Absit ergo à me, vt imputem peccatum meum tibi, & dicam, hoc Deus voluit, hoc factum stellarum constellatio mihi fecit. Non est hoc confiteri iniustitiam meam aduersum me? Sed aduersum te, & te summe bonum de malitia accusare.

Dicam ergo potius, Domine *miserere mei. Sana animam meam, quia peccaui tibi*. Et ne putetur remissionem peccati paruum esse Dei donum; sed tanquam magnum deuotis precibus exposcendum: statim subiungitur, *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.* Omnis enim *sanctus*, hoc est, per peccati remissionem sanctificatus, *pro hac* remissione *orabit ad te*: Quia omnis sanctus eget auxilio gratiæ, & gratuitæ remissionis. Sed quando orabit? *In tempore oportuno*. Hoc est, in tempore vitæ mortalis, in qua est oportunum tempus remissionis: quia post eam erit tempus retributionis. Vel, *in tempore oportuno*, Hoc est, in tempore gratiæ per Christum reuelatæ, De quo ait Apostolus, *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret*.

Sed licet omnis sanctus in tempore oportuno oret. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*: Non enim eripit oratio sanctorum eos, qui per obstinatum consuetudinem absorbentur, *In diluuio aquarum multarum* Hoc est, in multitudine affluentium carnalium deliciarum, sicut voluptuosi: vel in multitudine variarum doctrinarum,

rum, sicut Philosophi; vel in multiplicitate diuersorum errorum, sicut hæretici; vel in vanitate fatalium superstitionum, sicut astronomi, qui omnia fatali necessitati, aut fortunæ cœlesti attribuunt; vel in numerositate cæremonialium obseruantiarum, sicut Iudæi, qui antiquis obseruantijs carnaliter intellectis salutem ascribunt. Hi inquam omnes, qui sunt in huiusmodi profundo *diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt*, quoniam hæ aquæ diuersæ sunt & amaræ, & à fonte veræ & dulcis aquæ, hoc est, à Christo, qui fons est puræ veritatis, remotæ.

Quid ergo facturus sim Domine, vt effugiam ab hoc tam periculoso *diluuio aquarum multarum, & approximem* ad te? Certe scio, te docente, quod *prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate*. Ideo inuocabo te. Non solum in voce corporis, sed in veritate cordis: Hoc est, in vera deuotione cordis se humiliantis, & nihil de se præsumentis, & nil suæ potentiæ superbe tribuentis; & dicam, *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me*. Tu solus, & non alius, es mihi refugium à tribulatione huius sæculi: quæ vndique circundedit me. Tu ergo exultatio mea *erue me à circundantibus me*. Ostende mihi viam, qua eripiar à diluuio aquarum multarum, & à periculo circundantium me malorum.

Iam verò Domine, qui non deseris sperantes in te; iam, quia in te spero, & in hac spe gaudeo, à te consolatus: audio te dicentem, *Intellectum tibi dabo & instruam te, hac qua gradieris*. Ne aberres à via Dei, & ne quis noceat

tibi. *firmabo super te oculos meos* vt in via dirigam oculos tuos. Sic ergo dato mihi intellectu, ipsoque à te instructo, & in te firmato: conuertam me humilis ad superbos, & obstinatos; & eruditus, ad stolidos & ignaros, & dicam: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*. Per *equum* signantur superbi, erecta ceruice, sua peccata defendentes. Per *mulum* stolidi, quælibet peccatorum onera sine discretione portantes. Hi ergo, si non corrigantur, sed velint fieri brutis animalibus similes, *quibus non est intellectus*: Tu Domine, *In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*. Si enim non corrigantur, & approximent ad te, per pœnitentiam: dignum est vt corrigantur, & constringantur â te, per pœnam. Ideo *equus freno & mulus camo* arceantur: idest, à maiori & minori tribulatione, iuxta culpæ exigentiam, constringantur. Si vero freno non domentur, & chamo: restat vt duriori flagello castigentur. Ideo sequitur, *Multa flagella peccatoris* & in præsenti vita pariter & futura: *sperantem autem in Domino misericordia circundabit* Nec immerito in tua misericordia sperantem, & non in sua humana iustitia confidentem, circundabit, idest, circumquaque vallabit Dei misericordia, ne aliqua ex parte sibi noceat Diaboli malitia.

Magna ergo, Domine, magna est lætitia, magna exultatio, magna gloria, sperantibus in te. Ideo dicitur eis, *Lætamini in Domino & exultate iusti & gloriamini omnes recti corde* Qui sunt hi *iusti & recti corde*? Hi sunt, qui non in se, sed in Domino sperant. Nec suæ, sed diui-

nae

næ voluntati, se conformant: sicut Christus docuit, dicens, *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis:* In capite ostendens, quod futurum esse debebat in membris. Hi ergo non in se, sed in Domino lætantur, exultant, & gloriantur. *Lætantur* siquidem tacita suauitate gaudentes, & *exultant* concitati animi gaudio feruentes, *gloriantur* feruore charitatis, extra se in Deum transeuntes. O Vtinam, Domine, vtinam sic detur mihi, non in me, sed in te letari, exultare, & gloriari, vt sic humiliter capiti me conformans, veraciter efficiar membrum Christi.

MEDITATIO DEVOTA SVPER TERTIO PSALMO pœnitentiali *Domine ne in furore.*

DOMINE Iesu Christe, cui nunquam sine spe veniæ supplicatur: cum plura duobus prioribus psalmis de timore pœnæ, ac dolore culpæ, colloquendo prædixerim: & nunc aliquid de spe veniæ tibi supplicando loqui proposuerim, semper tamen ad priora relabor: & pœnæ timore, ac culpæ dolore, perterritus, tibi iterum repetere compellor, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ego siquidem de peccatis pœnitens, peccati conscius, & inde grauiter afflictus: ego in malis positus,

peiora timens, & inde lugens; multis modis crucior, sed cruciatus grate amplector, tanquam minores meis demeritis; mecum pie actum reputans, si per eos liberer à pœnis æternis. Ideóque supplex oro, vt tu Domine arguas & corripias me: itàvt pœna mea sit non ab ira ad æternam vltionem: sed à misericordia ad piam correctionem.

Sufficiant tibi Domine mala, quæ patior in in hac præsenti vita: ne in futura infligas peiora, *quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Sagittæ tuæ sunt vindictæ tuæ, scilicet dolores corporis & animæ: quia sicut sagittæ intenduntur, & deinde infiguntur; ita vindictæ tuæ intrusæ fuerunt in Adam propter inobedientiam, & inde nobis infixæ sunt propter originalem culpam, & pœnam multiplicem. Ipse enim huius totius miseriæ fuit origo: Nos propago.

Sed væ mihi, quia sagittæ tuæ non ad modicum tempus, nec ad vnicum vulnus, infixæ sunt: sed diu & vsque in finem sæculi manent, & multis modis in corpore, & anima vulnerant. Et sic in sagittis meis *confirmasti super me manum tuam.* Idest, vindictam tuam, quam, pro dolor, eousque confirmasti super me, vt possim dicere *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ.* Porro enim mortale corpus tot miserijs subditum, quod etiam cum sanum dicitur, non vere sanum sit, quod leuiter læditur, & sæpius grauiter infirmatur. Est autem hæc multiplex miseria carnis meæ *à facie iræ tuæ,* idest ab instantia vindictæ in Adam inchoatæ originaliter. Quid plura? *Non est pax ossibus meis.* Hoc est in interioribus viribus meis, sed

est

est continua pugna ab infirmitate & rebellione carnis: Et hoc *à facie peccatorum meorum*. Quia huius miseriæ causa, non solum est originalis culpa, sed simul causa sunt actualia peccata mea.

Vnde merito sequitur, *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*: quia enim iniquitates meæ caput animæ meæ, idest, rectam ratione͂, supergressæ sunt; & eleuauerunt caput meu͂ superbum contra te, Deum meum: ideo tu Domine aggrauasti me graui onere pœnarum. Sed hoc Domine non tibi, sed mihi imputo: quia *putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ*. Ideo enim iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & grauatæ sunt super me: quia *cicatrices meæ*, idest, plagæ peccatorum meorum, priùs per baptismum sanatæ, *putruerunt*, cum iam peccato consensi, & *corruptæ sunt*, dum iam peccatum in actum produxi, & hoc totum à *facie insipientiæ meæ*, quia stulte gratiam baptismalem perdidi; nec eius viribus sapienter vsus fui. Et ideo *Miser factus sum* non vna solum, sed multiplici miseria: *afflictus & curuatus sum*, adeo deiectus ad terrena, vt me erigere non valeam ad superna. Et nisi tu Domine me erexeris, in hac miseria, & curuitate mansurus sum, & hoc *vsque in finem*, idest, vsque ad mortem: *& tota die contristatus ingrediebar*, Hoc est tota vita in hac manens miseria, huius vitæ viam gradiens *ambulabam*, non inueniens sabbatum, Idest, mentis requiem quam optabam.

Nec mirum. *Quoniam lumbi mei impleti*

sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Heu me miserum! non immerito sum contristatus, quoniam non solum non est sanitas in carne mea; non solum temptatus sum ab infirmitatibus, & rebellionibus carnis: sed etiam *lumbi mei*, idest, carnalitas & sensualitas mea, vexantur *illusionibus* Diabolicis. Nec solum pecco per carnis infirmitatem, sed per Diaboli fatigationem. Quid plura? Non solum *lumbi* carnis meæ, sed etiam *vires animæ* meæ replentur illusionibus. Illusiones enim animæ infinitæ sunt, quæ aliquando vix orare sinunt, & ita non est in toto homine vnde plena sit lætitia, plenum cordis sabbatum, plena requies: donec anima illusionibus exuatur, & corpus sanitate immortalitatis induatur: Propterea clamat Apostolus, *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et ideo non immerito *afflictus sum* corpore simul & anima, præfatis vexatus miserijs, & inde *humiliatus sum nimis*. Quippe quia prius superbus eram nimis. Et propterea *rugiebam à gemitu cordis mei*. Gemitus corde, & rugitus voce fieri solet. Ego vero non voce sed gemitu rugiebam; idest, cum magno desiderio animæ consolationem quærebam: non in verba oris mei, sed in gemitum cordis prorumpens. Est enim gemitus cordis, & gemitus carnis. Omnis gemitus, qui de exterioribus est, carnis est. Qui vero pro sabbato, idest, pro spirituali requie, quam caro non obtinet, cordis est. Et quia hunc gemitum non homo nouit, sed Deus: Ideo *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus*. Sed merito exauditus

auditus, quia pius est; & non pro terrenis, sed pro cœlestibus.

Sit ergo, Domine, *desiderium meum ante te*, idest, tibi gratum & acceptabile: audi, & exaudi desiderium meum, cum gemitu meo, accelera Domine, & exaudi cito. Quia *Cor meum conturbatum est* & pauore ac terrore excussum; & hoc ideo, quia *dereliquet me virtus meã*, scilicet virtus illa, quam habuit ante peccatum: si enim hæc mansisset, nihil timeret. Sed cur hæc dereliquit me quia etiam reliquit me *Lumen oculorum meorum*; & *ipsum non est mecum*. Quia tu Deus meus, qui es lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Tu qui es spirituale Lumen oculorum meorum, intellectualium, *non es mecum*, per gratiam: sed dereliquisti me, propter culpam meam.

Et hactenus Domine tibi confessus sum mala, quæ interiùs patior: Nunc autem plango ea, quibus exteriùs crucior. Nam *amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt*. Hi, qui mihi esse debuerant ad humanum solatium, sunt mihi ad cumulum passionum. *Et qui iuxta me erant* tanquam amici & proximi, *à longè steterunt*, tanquam hostes & aduersarij. Et merito recesserunt à me, quia peccando recessi à te: Meritò perdidi humanam amicitiam, quia perdidi diuinam gratiam. Nec solum crucior à persecutione hominum: Sed à temptatione dæmonum. *Nam & vim faciebant qui quærebant animam meam*. Dæmones enim, qui animam meam quærunt, ad æternam damnationem, *vim mihi faciunt* per

malignam temptationem; & non solum per seipsos, sed per ministros suos, de quibus dicitur, *Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates; & dolos tota die meditabuntur.* Hi qui amici & proximi esse debuerant, inquirebant mala mihi: meditando contra me, dolosa & vana loquuntur, idest falsa & deceptoria verba. Tales autem dolosi, & mendosi ministerium exercent Diaboli, qui Pater est mendacij.

Ecce ergo quibus malis crucior: & his tamen quia maiora meruisse me fateor, ideo iniurias & opprobria sine murmuratione patior; & hoc est quod sequitur, *ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Nihil ad opprobria respondebam & *factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones* quia arguentes me non redarguebam: sed redargutiones patienter ferebam. Sed quare hæc omnia tam patienter sustinui? *Quoniam in te Domine speraui* Ideo propter te patienter sustinui mala, quoniam non in me sed in te speraui bona. Et quia per patientiam pœnæ speraui veniam culpæ, Ideo *Tu exaudies me Domine Deus meus*, Dando liberaliter veniam, & consequenter gratiam, & gloriam.

O magna patientiæ virtus, cui datur venia peccatorum: & per veniam gratia meritorum, & per gratiam gloria præmiorum. O salutaris medicina, per quam in lætitiam mutatur tristitia. Adhuc autem Domine ideo exaudies me: non de te desperando diffidentem: Sed in te sperando confidentem. *Quia dixi, ne quando super-*

supergaudeant mihi inimici mei; non ex superba præsumptione, sed ex pia spei deuotione, quod tu Deus meus exaudies me. Et hoc dixi ne inimici mei, detractores mei, supergaudeant mihi, si videant me in te sperantem non proficere, sed deficere. Merito enim cauent iusti ne de lapsu eorum exultent iniqui: Ideo sequitur, *Et dum commouentur pedes mei*, idest, dum affectiones meæ labuntur in peccatum, ex humana infirmitate: irrident impij & *super me magna locuti sunt* irridendo, & super me magna scandala opprobriáque loquendo; vbi potiùs meæ deberent compati infirmitati, eamque excusando, humanæ miseriæ humanitùs misereri.

Sed adhuc etiam Domine exaudies me, *Quoniam ego in flagella paratus sum*: Sciens enim, quod filium, quem amas, quanquam non suauiter, tamen semper salubriter flagellas: Ideo tua flagella paratus sum patienter suscipere, non contra ea murmurando, sed meipsum accusando: quia *dolor meus est in conspectu meo semper*. Dolor de peccato, semper est in conspectu meo: Semper de peccato meo doleo, dum peccatum meum contra meipsum esse conspicio. Et hoc est quod sequitur, *Quoniam iniquitatem meam anunciabo*, ipsam coram te, contra me, accusando: *Et cogitabo pro peccato meo*, Ipsum in me cogitatione solicita corrigendo, & à te tuáque miseratione solita curam medicinalem humiliter postulando.

Sed dum medicinam tuam peto, ô pie medice, ecce quid ad curam meam pro te fieri permittitur: Ecce enim quid sequitur, *Inimici autem mei viuunt & confirmati sunt super me, &*

multiplicati sunt qui oderunt me inique. O salutaris, sed non suauis medicina! O mirabilis, sed medicinalis cura! per tuam namque permissionem, ad meam fit probationem: Fit inquam medicinaliter & salubriter, quod inimici mei prospere viuunt in hoc mundo, vbi in aduersitate laboro & gemens rugio: Et, quod grauius est, *confirmati sunt* super me in persecutione; & quod grauissimum est, *qui oderunt me inique*, mala reddentes pro bonis, non pauci, sed *multiplicati sunt*, & quotidie plures fiunt. De quibus subditur, *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem:* Ipsi vero econtra sectantur iniquitatem.

Sed quia hæc mala essent intolerabilia, nisi te iuuante, & pro medicamine tuo confortante, mihi fierent salubria ad curanda peccata: Ideo *Ne derelinquas me Domine Deus meus*: Sed vt tu promisisti, quoniam in te speraui, libera me, quoniam cognoui nomen tuum. Protege me quia clamaui ad te: Exaudi me & mecum sis in tribulatione, eripe me & glorifica me. Et si forte ad tempus me aliquando relinquere videaris: *tamen ne discesseris à me* penitus relinquendo me. Sed potiùs *intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ*. Adiuua me contra hostes in pugna, quia sine te qui es Deus salutis meæ, non potest esse in me salutaris victoria.

MEDI-

MEDITATIO SVPER PSALMO *Miserere.*

DOMINE Iesu Christe, cui est proprium misereri semper & parcere: Ego miser ad te misericordem accedo, & peccatorum catena constrictus, tuæ pietatis miseratione absolui desidero. Ego multarum iniquitatum immunditia maculatus, ad te fontem munditiæ confugio, & meam immunditiam per tuam misericordiam emundari supplico, dicens, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*. Peto Domine magnam misericordiam tuam, quia sentio magnam miseriam meam. Peto magnam medicinam tuam, contra magnam plagam meam: Peto multitudinem miserationis tuæ contra multitudinem iniquitatis meæ. Ideo sequitur *Et secundum multitudinem miserationum tuarum* ab initio sæculi exhibitarum, quæ superant multitudinem quamlibet peccatorum: *Dele iniquitatem meam*, Vt nullum remaneat in me peccati vestigium. Et hoc est quod subditur *Amplius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me*. Peto Domine non solum peccata deleri, sed *amplius lauari*, & lauando pure mundari: Vt non so-

lum culpam operis, sed etiam reatum voluptatis abstergas.

Sed hoc peto, non propter aliquam iustitiam, quæ sit in me, sed propter magnam misericordiam quæ est in te, & multam miserationem quæ est a te. In te enim est misericordia naturaliter in affectu, & à te miseratio multipliciter in effectu. Vt ergo misericorditer ignoscas, non iustitiæ meæ meritum allego, sed malitiæ meę peccatum agnosco. Et hoc est quod sequitur, *quoniam iniquitatem meam ego cognosco*. Non ergo peto, vt propter misericordiam tuam deseras iustitiam tuam: scio, iustum esse vt peccatum meum puniatur; sed ego ipsum punio, vt tu non punias; ipsum agnosco, vt tu ignoscas. *Et peccatum meum contra me est semper*, quia peccatum meum non pono retro me, ipsum negligendo, vel dissimulando: sed ipsum oppono contra meipsum, cognoscendo & accusando. Ideo dico, *tibi soli peccaui & malum coram te feci*. Quid est *tibi soli peccaui?* Nonne peccaui non solum tibi, sed proximo? Nonne peccatum feci, non solum contra te Deum meum, sed etiam contra proximum meum? Sicut & Dauid, qui hoc dicebat, non solum in te, sed in Bethsabee, per adulterium; & in vriam per homicidium peccauerat. Sed hoc ideo dicitur, quia tu solus es, qui das legis præceptum, per cuius præuaricationem peccatur: *vt iustificeris in sermonibus tuis*, Hoc est, quia adeo iustus & verax es in verbis tuis, quæ præcipis, vt iustificeris, idest, iustus & verax inueniaris; *& vincas cum iudicaris*, Superans eos in iustitia, qui te ex superbia iudicant, contra

præ-

præcepta tua murmurando, & te in eis rigorosum & iniustum accusando.

Non sic ego: sed ad te solum, tanquam ad iudicem iustum, confugio: qui non habes in te, quod iudicetur. Non habes in te quod reprehendatur, sed solus existis, qui omnes iudices. Ita vincis, vt in tui comparatione nullus iustus, aut verax reputetur: dicente propheta, *omnis homo mendax*. Tu ergo solus Deus verax. Tu ergo Domine, qui in tua veritate dixisti, quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum eius, non recordabor: Tu veraciter imple, quod promisisti, vt iustificeris in tuis sermonibus, & conuincas eos, à quibus tanquam immisericors iudicaris. Tu ergo miserere, tu per misericordiam iniquitatem meam dele. Tu eam delendo laua, & munda me: quoniam de peccatis meis veniam postulans ingemisco dicens, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

O magna miseria, quæ simul orta est ab origine mea: Ideo merito ingemiscens peto, vt cures & sanes hanc magnam miseriam meam, per tuam magnam misericordiam Nec hoc ita dixerim, vt licitas nuptias condemnem: sed quia in omnibus trahitur iniquitas Ab Adam: Nam hoc opus castum propter bonum prolis excusatum in coniuge, non habet culpam: sed origo peccati in prole secum trahit debitam pœnam. Ideo autem Domine non solum actualem culpam meam, sed etiam originalem à parentibus traductam, tibi humiliter confiteor: quia *ecce enim veritatem dilexisti.*

Non

Non enim in te refundo culpæ meæ iniquitatem, sed me accusando, fateor veritatem, quam tu, qui veritas es diligis. Ideo eam vere confitentibus, peccata dimittis.

Propterea *incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Mihi, inquam, confitenti veritatem, secreta tibi certa, & nota diuinæ sapientiæ, sed incerta & occulta humanæ insipientiæ, manifestasti. Quomodo? Dicunt homines, sub quadam incertitudine, sicut dicebant Niuiuitæ, *quis scit si conuertatur & ignoscat Deus?* Non ergo hoc noui sicut nec homines cæteri: Non hoc noui per humanam scientiam, sed hoc certitudinaliter reuelasti, & manifestasti mihi per diuinam scripturam: te dicente per Prophetam, *quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor*. In hac ergo promissione tua securus, & certus, dicere audeo, *Asperges me Domine hysopo & mundabor*. Noui Domine, te docente, quod hyssopus herba est parua quantitate, sed magna virtute: Herba humilis, sed medicinalis; cuius radix petræ inhærere dicitur; cuius virtus pulmonem purgat, dum inflatur. In qua pœnitentiæ humilitas congrue designatur, quæ sæpe parua putatur in conspectu hominum, sed semper magna est ante conspectum tuum. Et dum illi petræ adhæret, de qua dicit Apostolus, *petra autem erat Christus*, dum charitati Christi radix eius affixa est, adeo medicinalis efficitur virtus eius, vt per eam pulmonis inflatio, idest, superbiæ præsumptio, & omnis, quæ ex ea oritur, culpæ inquinatio, expurgetur. *Asperges* ergo *me* hac humilitate, & mundabor ab iniquitate.

quitate: *Lauabis me*, Per humilem pœnitentiam, Et *super niuem dealbabor* per salutarem gratiam: per quam peccatorum dealbatio fit: Sicut scriptum est, *si fuerint peccata vestra sicut vermiculus, velut nix dealbabuntur.*

In hoc ergo secreto sapientiæ tuæ, priùs mihi incerto & occulto, quod manifestasti mihi, *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.* Et merito, dum audio promissionem tuam de remissione peccatorum, auditui cordis mei *dabis gaudium & lætitiam* de retributione præmiorum: *Et exultabunt ossa humiliata*, hoc est interiores vires meæ, quæ per culpam maculatæ, priùs conturbatæ sunt; nunc per pœnitentiam hyssopo humilitatis mundatæ, & dealbatæ, merito exultabunt.

Sed licet dederis gaudium, lætitiam, & exultationem propter spem veniæ: non tamen deerit mihi salutaris quædam tristitia, & spiritualis contristatio propter timorem pœnæ, & dolorem culpæ: ideóque ad te clamare non cessabo, *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Quia peccata mea non pono retro me, sed oppono contra me: nec ea negligendo aut dissimulando habeo retro dorsum meum, sed ante faciem meam; propterea non à me, sed *à peccatis meis auerte faciem tuam*: quasi ea non agnoscendo, sed eis ignoscendo. Et ita non solum hoc, vel illud peccatum, sed generaliter *omnes iniquitates meas dele*: quibus deletis, *Cor mundum crea in me Deus.*

Non peto, vt ego homo cor mundum faciam à me; sed vt tu Deus, cor mundum crees in me. Quia non est hoc opus hominis creati, sed

ſed Dei creatoris: Et quia ante peccatum innocens fui, & per peccatum à rectitudine declinaui: ideo *ſpiritum rectum innoua in veſceribus meis*. Ideſt, renoua ſpiritum meum faciendo eum rectum, quem à te recedendo feci obliquum. Nec cordis munditiam, aut ſpiritus rectitudinem peto mihi fieri ſolum in mente, ſed etiam in carne: Et hoc *in viſceribus meis*, ſcilicet, in lumbis vel renibus, in quibus ſedes eſt voluptatis. Vnde ad beatum Iob de Diabolo dicitur, quod *virtus eius eſt in lumbis, & umbilico ventris*. In vtriſque ergo, anima, ſcilicet, & corpore, remedium peto curationis. Ideo *ne proijcias me à facie tua*. A peccatis meis faciem tuam auerte: *ſcilicet à facie tua ne proijcias me*. A peccatis faciem tuam auertis per remiſsionem: Sed peccatores à facie tua proijcis per reprobationem. Remiſsionem poſtulo? ſed reprobationem pertimeſco. Propterea ſupplex oro, *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me*. Iam enim quodammodo ſpiritum ſanctum tuum, hoc eſt, Spiritusſancti donum habere confido: quia peccatum confitendo peniteo; nam vera peccati confeſsio non eſt in homine ex ſeipſo, ſed ex Dei dono: non ergo à me auferas ſpiritum hunc, ſed per eum *redde mihi lætitiam ſalutaris* quam peccando amiſi. Lætitiam inquam ſalutaris tui, ſcilicet, ſalutaris gratiæ ſpiritusſancti, per quam non ſolum eſt culpæ remiſsio, ſed gloriæ retributio. Hunc ergo non ſolum non auferas ſed redde & confirma in me. Et ſic *ſpiritu principali confirma me*.

Per hoc autem quod Propheta ter nominauit,

uit, scilicet, *spiritum rectum*, *spiritum sanctum*, & *spiritum principalem*; dicunt quidam, quod in Deo trinitatem voluerit ostendere; & *spiritum rectum*, filium dicunt, *spiritum sanctum*, suo nomine intelligunt; per *spiritum principalem*, Patrem accipiunt. Hoc verò, & quidquid aliud, quod ad fidei & morum ædificationem dicitur, sine contradictione dici permittitur. Vnde etiam conuenienter per hanc trinam spiritus nominationem, trifariam spiritussancti gratiam intelligere possumus: vt per *spiritum rectum*, acipiamus gratiam, quæ in septem virtutibus, tribus theologis, & quatuor cardinalibus confertur, quibus anima dirigitur ad operancum rectè; per *spiritum sanctum*, gratiam, quæ in eius septem donis tribuitur, quibus anima iuuatur ad operandum faciliter, & expeditè; per *spiritum principalem*, gratiam quæ in septem beatitudinibus donatur; quibus eleuatur, & quodammodo confirmatur ad operandum perfectè.

Hac igitur multifaria spirituali gratia rectificari, sanctificari; & confirmari merito desidero: Et si hic spiritus tui beneficia, recepero; tibi ingratus non ero, sed *docebo iniquos vias tuas*; qui priùs fueram peccator, fiam prædicator: quia *docebo*, verbo vel exemplo, *vias tuas*, quæ sunt, misericordia & veritas; & sic *impij ad te conuertentur*. Per me salubriter edocti; de misericordia tua, qua mihi per veniam parcitur; & de veritate tua, idest, iustitia tua, qua peccatum meum per pœnitentiam punitur. Sed vt sic iniquos docere, & impios conuertere valeam, *libera me de sanguinibus* idest de

pec-

peccatis carnis & sanguinis, & quæ de eorum corruptione procedunt: *Libera me*, inquam, ô *Deus*, qui es *Deus salutaris mea*, quæ longe est à carnis & sanguinis corruptione: quia *caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt*, idest, peccata, quæ ab eis proueniunt.

Alioquin nisi ab his prius me liberaueris, mihi peccatori improperando dices, *quare tu enarras iustitias meas*? Sed si liberatus fuero, securus ero ab hoc improperio. *Et exultabit lingua mea* & exultando *narrabit iustitiam tuam*. Et tunc *Domine labia mea aperies* prius per peccata clausa, *& os meum* non solum cordis, sed corporis, *anunciabit laudem tuam*, videlicet, quia me creasti, quia me regeneratum, & in peccatis sæpe relapsum, non reliquisti, sed pœnitentem ad te reuocasti; & reuocatum mundasti. Pro quibus beneficijs non vis tibi offerri sacrificia pecudum, sed hostias laudum: *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem* sicut fiebat in veteri lege: sed iam in noua lege gratiæ *vtique holocaustis non delectaberis*, quoniam illa solum erant vmbra & figura legis nouæ, ideoque cessauerunt adueniente veritate: quod in spiritu Prophetiæ sanctus Dauid præuiderat, qui hoc dicebat. Quid ergo tibi offerendum? certè non sacrificium pecoris, sed pectoris; scilicet, spiritus contribulati, & contriti ac humiliati cordis. Quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Cor contritum pœnitendo, non obstinatum peccando: Et humiliatum confitendo, Non elatum excusando; Tu Deus, qui cordis secreta conspicis, nunquam despicis, sed vtique in

eo

eo tanquam in spirituali sacrificio delectaris.

Sed quia hoc acceptabile sacrificium non in Moysi Synagoga, sed in Christi Ecclesia est maximè offerendum: ideo de ea intelligendum est, quod sequitur. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon.* Hoc est, affectum bonæ voluntatis, idest misericordiæ tuæ, ostende, per effectum piæ benignitatis, idest, miserationis tuæ: Hoc inquam fac *Syon*, Idest, militanti Ecclesiæ, per *Syon* spiritualiter intellectæ: vt ex tuis viuis lapidibus, scilicet, Christi fidelibus *ædificentur muri Hierusalem* non terrenæ, sed cœlestis: idest, Ecclesiæ triumphantis. Orat ergo cor contritum, & humile, non solum pro sua, sed pro totius Ecclesiæ salute: vt omnes fideles eius finaliter ædificentur, & fiant *muri* in ipsa *Hierusalem* cœlesti firmiter permansuri. Cum autem hoc factum fuerit, quod non nunc in præsenti seculo, sed in futuro erit: *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ tuæ.* Post præsentis sæculi consummationem, post finalis iudicij conclusionem, acceptabilis sacrificium non quidem imperfectæ iustitiæ, scilicet pœnitentiæ, quæ nunc est contriti & humiliati cordis: Sed perfectæ iustitiæ in gloria consummatæ, scilicet, *sacrificium laudis*, quæ tunc erit cordis, non quidem lugentis, & gementis, sed lætantis & exultantis. Tunc acceptabis *oblationes & holocausta*, non carnales, sed spirituales, idest, spiritus & animas sanctorum tecum in gloria assumptorum, quæ erunt holocausta igne diuino, hoc est charitatis feruore, succensa; vel accensa *Tunc imponent super altare tuum vitulos*. Tunc imponent Angeli sanctos

vel

vel ipsimet sancti, & spiritus beati, offerent tibi seipsos super altare tuum, scilicet, Christum, in quo, tanquam in principali fundamento, superædificatur omne sanctorum meritum, cui redditur æternum præmium; & in cuius passionis virtute superimponitur omne sacrificium tibi acceptabile. Super hoc altare imponent & offerent *vitulos*: Non boues antiquos, sub iugo peccati mugientes, sed vitulos nouellos, scilicet nouos sanctorum populos sub innocentia nouæ ætatis, ab omni vetustatis seruitute liberos summaque libertate gaudentes. Tu ergo Domine da mihi ab hac spirituali *Syon*, ab hac Ecclesia militante, in qua tanquam in via peregrinamur, ad illam cœlestem Hierusalem, ad illam Ecclesiam triumphantem, ad quam, tanquam ad patriam perducimur, cum sanctis tuis finaliter peruenire. Da inter muros ciuitatis huius firmiter permanere. Da mihi inter ciues eius fæliciter te videre, videndo amare, amando gaudere, & ita meipsum acceptum tibi sacrificium & holocaustum offerre.

MEDI-

MEDITATIO DEVOTA SVPER QVINTO PSALMO POENITENTIALI SCILICET.

Domine exaudi orationem meam.

DOMINE Iesu Christe, qui es verus Rex gloriæ, rectorque sanctæ illius Hierusalem, ciuitatis supernæ; cum ea, quæ de te, & gloriosa ciuitate tua dicta sunt audio, nimirum ad eam tecum peruenire desidero. Ideo, postquam multa in præcedentibus psalmis dixerim de timore pœnæ, de dolore culpæ, de spe veniæ & de amore spiritualis munditiæ: restat vt aliquid dicturus sim de desiderio gloriosæ ciuitatis Hierusalem, idest, cœlestis patriæ. *Non enim habemus hic* (vt ait Apostolus) *manentem ciuitatem: sed illam futuram inquirimus*, Et ad eam festinare ingredi debemus. Hanc itaque desiderans, ad eamque festinans suspirando clamare, & clamando suspirare compellor, dicens, *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat*. Congruit mihi Domine huius psalmi titulus, Intitulatur namque *oratio pauperis cum anxiaretur, & in conspectu Domini diffudit precem suam*. Ego namque pauper & inops in via præsentis miseriæ, vt fiam diues in patria cœlestis gloriæ, fer-

uenti æstuantique desiderio anxior: & propterea anxius ero, & precem meam in conspectu tuo humiliter effundo. Ideo exaudi orationem meam & clamorem meum. Iam enim propter animi magnam anxietatem, *oratio* creuit in *clamorem*. Orans enim clamo, heu me, *quia incolatus meus prolongatus est!* Heu me, quia nimis afflictus sum in via, & nimis elongatus à patria! Et ideo *Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam*. Et insuper *In quacumque die innocauero te velociter exaudi me*. Quia Domine, coram te oro: quia ad te clamo, ideo da mihi faciem tuam, da mihi aurem tuam. Da faciem non iratam, sed placatam per clementiam: Da aurem non indignatam super me, sed ad me inclinatam per misericordiam. Dabis vtique Domine, & omnino libenter ac liberaliter dabis: Nisi obstet mihi nubes peccatorum, quæ obsistit orationibus iniquorum. Vnde per Isa dicitur, *Opposuisti nubem, ne transeat oratio*. Tu ergo rumpe nubem, effunde contra eam lumen vultus tui, & ita non auertas faciem tuam, nec declines aurem tuam à me; vel orationibus & clamoribus meis, sed à peccatis & iniquitatibus meis. Et quia vehementer clamo & inuoco te, ideo *velociter exaudi me*. Quia iam non terrena quasi terrenus, sed cœlestia quasi cælestis desidero: Cui desiderio promittis, *adhuc te loquente dicam, esse assum*.

Nec immeritò tam instanter peto velociter exaudiri: *Quia defecerunt sicut fumus dies mei*. Quia sicut fumus vento cito dispergitur: ita dies vitæ meæ velociter deficiunt, & velut

vmbra

vmbra fugiunt, *& ossa mea sicut cremium aruerunt.* Non solum vires corporis deficiunt, sed etiam vires animæ meæ (quæ dicuntur *ossa mea*; quia in eis principaliter consistit interior fortitudo mea) sicut *cremium* arescens contractæ sunt, vel sicut frixa in frixorio confrixæ sunt. Fortitudo quippe à recordatione peccati, & timore iudicij, quasi frixa contrahitur: Iam enim frigitur homo, dum se timet arsurum in inferno. Ecce ergo Domine, ecce paupertatem meam, pro qua anxior: ecce tribulationem, quam patior; ecce qualiter *percussus sum vt fænum*, quia omnis caro fenum, & sicut fenum viret, sed percussum facile sentit iniuriam: Sic caro in iuuentute viret, senectute vel infirmitate percussa, & morte succisa arescens deficit. Nec solum percussus sum in carne, sed in corde: *Et aruit cor meum* sterilitate peccati.

Sed vnde hoc mihi? *Quia oblitus sum comedere panem meum*, idest custodire Dei præceptum, quod est spirituale, nutrimentum meum, de quo dicitur, *Non ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Heu me miserum, quia hunc panem verum, qui de cœlo, & ex ore Dei descendit, comedere oblitus sum! quare oblitus? quia nimis ad terrena intentus, neglexi cœlestia. Et ideò *à voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Quia cœlestia oblitus, & terrenorum memor, non pro spiritualibus, sed pro temporalibus gemebam, terrena nimium desiderans: non solum corde gemebam, sed etiam voce; propterea *à voce gemitus mei* inordinati *adhæsit os meum carni meæ*, Idest, vox gemitus oris mei, adhæsit carnali

nali meæ affectioni. Vel, principale inter ossa mea, idest principalis fortitudo virium animæ meæ, adhæsit carni meæ, hoc est, ratio sensualitati consensit. Iam verò de me aliter te propitiante fieri cupio. Iam non pro terrenis gemere concupisco, vt dicere valeam cum Propheta Dauid, *Renuit consolari anima mea in terrenis*, *memor fui Dei*, *Et delectatus sum* in æternis. Vtinam non oblitus, sed memor tui! Vtinam non oblitus, sed memor æternorum bonorum tuorum, cum eodem Propheta dicam, *Annos æternos in mente habui*.

Sed quomodo possunt hæc fieri? Fient vtique te iuuante, si propter tui tuorumque æternorum bonorum contemplationem, huiùs sæculi sæcularumque & sæculariter viuentium hominum conuersationem fugiam: vt eligam *abiectus esse in domo Dei mei*, *magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Vt similis fiam sancto tuo Dauid, qui ait, *Similis factus sum pellicano solitudinis*. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio*. Et iterum, *vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto*. O magnum breuibus in verbis mysterium! Tres aues, & tria loca, hic distinguuntur. Tres aues, pellicanus, nicticorax, & passer: Tria loca, solitudo, domicilium, & tectum. Et dicitur *pellicanus solitudinis*, *nycticorax in domicilio*, *& passer in tecto*. Pellicano enim aui soliuagæ, & qui in solitudine habitat, comparantur heremicolæ: Nycticoraci verò, qui habitat in domicilio, assimilantur illi, qui à publicio populorum loco abstinentes vniti viuunt in cœnobio, dicentes, *Ecce quam bonum & quam iucundum habi-*

tare fratres in vnum. Passer autem solitarius, & vnicus in tecto ille est, qui hominum societate non egens, sed soli Deo se vniens, & ad alta virtutum tecta fugiens, vbi à laqueis vitiorum tutus est, dicit, *Vnam petij à Domino hanc requiram vt inhabitem in domo Domini.* Nec solum in domo, sed in altiori domus loco, scilicet, *in tecto*, imò in ipso Domino. Ipse est ergo, *qui habitat in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cœli commorabitur*, ipse qui non solum pro se, sed pro alijs *vigilat*, & pro omnibus vigilans orat, vt à mundi, carnis, & diaboli laqueis, adiuuante protegenteque Deo liberentur. O vtinam his auibus similis fiam, & vt tecum sim, separatus à sæculi solitudine maneam, ne in tabernaculis pastorum maneris, cum peruersis peruersus efficiar.

Nam *tota die exprobrabant mihi inimici mei*: peruersi enim, qui sunt inimici mei, & ideo inimici, quia peruersi; continue exprobrabant mihi, famæ meæ detrahendo; *& qui laudabant me* non corde, sed ore, mihi publicè adulando, *aduersum me iurabant*. Sed quare hoc? *quia cinerem tanquam panem manducabam; & potum meum cum fletu miscebam*; per cinerem & fletum, signatur status pœnitentium, quos peruersi sæpe irrident, cum eos ante laudarent, dum cum eis sæculo fruerentur, & peruersè viuerent. *Cinerem autem tanquam panem manducare*, Nil aliud est, quam peccatorum reliquias pœnitendo consumere: *Potum verò cum fletu miscere*, est temporalem iocunditatem cum lachrymis spiritualis pœnitentiæ iungere. Vel, *potus* iste intelligi potest desiderium cœlestis patriæ: *qui*

cum fletu miscetur, dum pœnitens pro illius dilatione non sine lachrimarum effusione tristatur.

Sed vnde mihi est fletus? Certè *A facie iræ indignationis tuæ* idest, ab instantia vindictæ tuæ in Adam inchoatæ: cum qua non ego solus, sed omnes, qui naturam trahimus de propagine iniquitatis, & de massa peccati, nati sumus, propter quod dicit nos Apostolus, *natura filios iræ*. Ex huius ergo iræ indignatione procedit, quod *eleuans allisisti me*. Tu qui me altius eleuasti, creando ad imaginem tuam, in quo me omnia animalia superare fecisti: Tu me grauius allisisti, permittendo cadere in grauem actualis peccati culpam, quæ trahit ad grauissimam æterni ignis miseriam; quam solus homo nouit, & nullum aliud animal: quia ipse solus super omnia eleuatus animalia, beatæ vitę æternæque gloriæ particeps est. Heu mihi Domine quod allisisti me. Quia *Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui* Heu mihi, quia dies vitæ meæ sicut vmbra obscuri, & vani; quasi inutiles transeunt: & declinando deficiunt. Et merito, quia à te verò die declinaui; similes mihi facti sunt, declinantes dies mei. Et ego *sicut fænum arui*, sterilitate culpæ, propter defectum roris gratiæ

Sed quia allisus cecidi. Iam de te confisus per te cupio subleuari: Iam terrenus ego & temporalis, ac temporaliter declinando pertransiens, ad te confugio, qui æternus es, ac immutabilis, & immutabiliter durando permanens: quia *Tu autem Domine in æternum permanes* Ideo tu æternus, me temporalem, & ve-

lut, vmbram transeuntem, ad tuam æternitatem eleuando salues, & liberes *Et memoriale tuum in generatione & generationem*; quia memoria tua, qua nostri memor es in misericordia tua, est omni tempore permansura: Nec vnquam deficiet illa promissio tua, *cum iratus fueris misericordiæ recordaberis*. Et ideo *Tu exurgens misereberis Sion* Sion enim speculatio interpretatur: Per quam militans Ecclesia, vel fidelis anima intelligitur, quæ nunc Deum per speculum & in ænigma te speculari nititur. Ad hanc ergo te quærentem, & ad te consurgere cupientem, *tu exurgens* & quasi ei clementer occurrens, *Misereberis eius* te sibi misericordem adiutorem & subleuatorem exhibens. Misereberis inquam *quia tempus miserendi eius, quia venit tempus*. De quo dicit Apostolus, *Cum venit plenitudo temporis* Et iterum, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Et vere misereberis Syon: *Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius*; lapides Sion, sunt fideles militantes Ecclesiæ, firmiter & stabiles in Christiana fide, & nihilominus spe solidi, & persistentes in charitate: Hi nimirum placuerunt seruis tuis, hoc est, sanctis Ecclesiæ triumphantis, qui tibi in tua ciuitate cælestis Hierusalem summa cum libertate seruiunt. Quia *illa quæ sursum est Hierusalem Mater nostra*, hoc est triumphans Ecclesia, mater militantis Ecclesiæ, Apostolo teste, omnino libera est: quia ibi Deo seruire regnare est. Hi ergo sancti tibi in regno tuo seruientes, & ideo liberi tecum regnantes, *terra eius miserebuntur*. Et merito miserebuntur terræ Syon, idest, ter-

venæ miseriæ militantis Ecclesiæ: Nec solum ei misericordes erunt, sed etiam, vt tu miserearis, orabunt. Cur ita? Quia eandem miseriam aliquando passi, & experti sunt.

Sed quid inde sequitur? Et *timebunt gentes* quæ prius timere nescierunt, *Nomen tuum Domine; & omnes reges terræ gloriam tuam:* Quia videbunt maiorem esse gloriæ tuæ, quam superbiæ suæ potentiam. Et hoc ideo *quia ædificauit Dominus Syon*, Et Ecclesiam suam ædificando magnificauit. Et ipsa, quæ prius coram gentibus & regibus visa fuit in contumelia, *videbitur in gloria sua;* Et quæ prius ab eis superbis contumeliosè persequebatur, postea ab humilibus his gloriosè honorabitur. Hæc, quæ olim futura esse prædixerat Propheta, quotidie Ecclesia impleri videt.

Sed quare hæc omnia? *quia respexit in orationem humilium*, scilicet; Christi fidelium, qui in eius fide humiliter orabant, vt hæc suæ Ecclesiæ fæliciter euenirent: Et ideo *non spreuit precem eorum*, quia non singulariter pro se orabant, sed generaliter pro salute omnium fidelium; quæ vtique est oratio perfectorum: quia vero non decet, vt tot tantaque beneficia à Deo Ecclesiæ collata, ab homine, quasi ingrato, sileantur: Ideo *scribantur hæc in generatione altera* vt scripturæ mandata firmiter teneantur: non solum in antiqua lege Mosayca, sed in *generatione altera*, scilicet noua generatione Christiana, *Et populus qui creabitur*, hoc est, Christianis populus, quasi noua generatione in Christo regeneratus, *laudabit Dominum* Et merito laudabit *quia prospexit de excelso*

sancto

sancto suo Dominus de cœlo in terram aspexit. Sed ad quid de excelso sancto cœlo prospexit? & in imo terræ aspexit? Certe *vt audiret gemitus compeditorum* hoc est, vt audiret, & exaudiret gemitus humilium, & pœnitentium, timore Dei, & disciplina quasi quibusdam compedibus ligatorum. De quibus compedibus sapiens dicit *Audi fili mi, & ne abijcias consilium meum, & infer pedem tuum in compedibus eius: & erunt tibi compedes eius in protectione fortitudinis.* Et *vt* à nodis & vinculis peccatorum *filios interemptorum* scilicet, fideles Christianos, spirituales filios Apostolorum & martyrum crudeli interemptione à gentibus & regibus mortificatorum, vt his vinculis solutis fidelium Ecclesia dicere posset, *Disrupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Ad hoc de cœlo prospexit, & in terram aspexit, vt humilium Christianorum gemitus audiret, & vincula solueret. Sed ad quid! *vt anuncient in Syon,* hoc est, in Ecclesia militante, *nomen Domini,* & fidem Christi, à qua nominantur Christiani; *& laudem eius in Hierusalem* idest, laudando & glorificando opera eius, quæ sunt in cœlesti Hierusalem, scilicet, Ecclesia triumphante: de qua dicitur, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Et hæc ita anuncient, vt anunciando proficiant, In quo? *In conueniendo populos in vnum & reges vt seruiant Domino* Hoc est, vt populos diuersarum gentium, & reges dispersorum populorum, conuenire faciant in vnitatem fidei Christi, & morum fidelium: vt non seruiant mundo, carni, vel Diabolo, sed vt seruiant Domino Deo suo; de

quo dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Sed quid sequitur? *Respondit ei in via virtutis suæ*; quis est qui respondit ei? Quis hic respondendo loquitur Domino? Quis in superioribus verbis exprimitur, cui cougruit responsio? Suprà enim commemorantur compediti, & interempti; reges, & populi; Sion, Hierusalem: Hic autem singulariter dicitur, *respondit ei*, non ad eos; ad quos posset referri, qui pluraliter nominantur. Sed sciendum est, quod hic respondit vnitas, pro pluribus: idest, tota Ecclesia, quæ in Christo vna est, pro cunctis fidelibus. Ipsa, quæ vnum est corpus, pro omnibus membris eius, respondit Domino: gratias ei agendo, quod eam prospicere, eam audire, eam à vinculis soluere, eam ad sui laudem nominis excitare, eam denique ex variis populis ad unius Dei seruitutem congregare dignatus est. *Respondit* ergo *ei*, non voce, sed corde; non lingua, sed vita; non *in via* infirmitatis suæ, sed *virtutis suæ*; scilicet, in fidei firmitate, quæ fides via est ad patriam, & est virtus huius vitæ, quæ in patria non manebit, sed eius obscuritatem euacuabit claritas gloriæ.

Respondit ergo Ecclesia Domino. Et quid dixit? *paucitatem* inquit *Dierum meorum nuncia mihi*. Respondendo quod orat; quasi dicat, O Deus meus, nuncia mihi paucitatem & breuitatem dierum meorum: Hoc est, quia dixisti, quod Ecclesia manebit, & tu cum ea eris vsque ad consummationem sæculi: fac me cognoscere & diligenter attendere, quam breue & exiguum est hoc tempus durationis meæ,

in

in comparatione æternitatis tuæ. Oro ergo vt adueniat regnum tuum. Cupio huius sæculi finem, vt citó veniam ad regni tui beatitudinem. Desidero dierum meorum breuitatem, vt cito transeam ad dierum tuorum æternitatem. Et ideo *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum*. Hoc est, ne sinas me reuocari à desiderio æternorum, vt hæream curæ temporalium. In dimidio *dierum meorum*, scilicet, dierum præsentium, qui medij sunt præteritorum & futurorum: qui omnes sunt *dimidij* & imperfecti, nisi addantur æterni. Et merito peto non reuocari ad terrena, qui tendo ad æterna, quæ ideo sunt auidius appetenda, quia *in generatione & generationem anni tui* sine fine, & sine principio duraturi. Ergo non sunt anni tui sicut dies mei, quia anni tui æterni: Et dies mei exigui; Anni tui non transeunt, sicut dies, sed semper manent: quia æternitas tua, nihil aliud est, quàm substantia tua; nihil habens mutabile, nil præteritum, nil futurum.

Et quia æternitate præcedis, omnia fecisti: ideo sequitur *Initio tu Domine terram fundasti*. Initio scilicet temporis, tu, qui es sine tempore, sine initio, sine fine, immutabiliter manens in æternitate, *Et opera manuum tuarum sunt cœli*: Nec tamen falsum est, quod alibi dicitur, *verbo Domini cœli firmati sunt*. Nam quod verbo facis, hoc etiam manu, idest, virtute tua, operaris. Non est enim Deus distinctus corporeis membris: verbum autem Dei manus eius. *Ipsi peribunt tu autem permanes* Tu enim semper stabilis, dans cuncta moueri, immutabiliter permanes: Idest, in tua æternitate

peruersanter manes. Sed *ipsi* cœli, qui in tempore verbo tuo firmati sunt, non sicut anni tui, firmi erunt, sed iubente verbo tuo peribunt. Vnde Petrus ait, *Terra autem & cœli, qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt igni reseruandi*. De cœlis ergo terræ proximis, scilicet, de regionibus aeris, constat quod quantum ad eorum qualitatem peribunt: sed de superioribus cœlis cœlorum, non est certum. Si tamen manserint, non in se, sed in Deo manebunt: quia solo Dei verbo perire possunt. Et *omnes*, Scilicet, tam cœli, quam cæteræ res mutabiles, etiam Angeli, *sicut vestimentum veterascent* hoc est, quantum in se est, nisi eos seruares verbo tuo, sicut vestis, quæ vetustate consumitur, deficerent. Vnde sequitur *Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur* Cœlos enim, qui corporalia, & cuncta mutabilia operiunt, verbo tuo moues, & sicut eos mutas localiter, ita mutabuntur &, in nihilum redigentur; *Tu autem idem ipse es*, Tu, qui dixisti, *ego sum qui sum, idem ipse es.* Et licet omnia sint ex te, & per te; & in te: non tamen sunt quod *ipse es*, qui es mutans, non mutatus; faciens non factus; mouens, sed immutabiliter manens. *Et* ideo *anni tui non deficient* & in generatione & in generationem erunt, & indesinenter manebunt: quia anni tui, æternitas tua sunt.

Dum ergo, Domine, dum tuam immutabilitatem, dum tuam æternitatem, & creaturarum omnium mutabilem varietatem, vanamque vanitatem considero: nimirum ad te venire, & tecum habitare desidero; nec à desiderio meo fraudari, aut spe mea frustrari, aut habi-

habitatione tua priuari tristis diffido. Quare? quia lætus audio quod sequitur, *Filij seruorum tuorum habitabunt*: Iam mihi enim læta confidentia oritur, quia *filij seruorum*, idest, sanctorum tuorum, tecum *habitabunt*, scilicet, boni Christiani, de quo numero esse cupio: Quia filij sanctorum sunt, non per carnalem propagationem, sed per spiritualem participationem; sicut econtra, mali, filij sunt spirituum malignorum, sicut scriptum est, *Vos ex patre Diaboli estis*, non per generationem, sed per imitationem; vel, *filij*, sunt opera bona, sine quibus nullus habitabit in gloria. Qui ergo ibi vult habitare, non sit à bonis operibus sterilis: sed præmittat fætus bonorum operum, quos sequatur, vt intret in terram viuentium: Sicut Ioseph antecessit Patrem suum Iacob in Ægiptum, dicens ei, & fratribus suis, *ego praueni parare vobis escas*; ita præcedant filij tui; idest, opera tua, tibi parare escam refectionis æternæ. Quales filios præmiseris, tales sequeris: *Et semen eorum* scilicet, bonorum Christianorum, vel meritoriorum operum, de quibus scribitur, *Qui seminant in lachrymis*, scilicet in via; *cum exultatione metent* in cœlesti patria: Hoc inquam semen, de quo fructus gloriæ metitur *in sæculum dirigetur* hoc est in cœlum directum & erectum in æternum, ibi tanquam in horreo seruabitur. Da ergo mihi, Domine, da, & fac me ita hoc semen bonum operando seminare, vt eundem fructum gloriæ possim moriendo suscipere. Da & fac hoc semen ita in me per te fructificare, & ad te dirigere, vt in tua æternitate sine fine habitando valeam permanere.

MEDITATIO SUPER SEXTO PSALMO POENITENTIALI *De profundis.*

DOMINE Iesu Christe, fons & origo totius pietatis & gratię, dum ego, sicut ceruus, ad fontes aquarum, ad te venire desidero, tamen imperfectum meum recognoscens de me meaque propria virtute diffido: Ideo per auxilium misericordię tuę refugium miserię meę quęrens, ad te clamando fugio dicens, *De profundis clamaui ad te Domine*. Non solum de exterioribus labijs oris, sed de profundis & intimis cordis lachrymis, clamaui ad te. Quid clamaui? *Domine exaudi vocem meam*. Deinde alijs verbis idem repeto: *Fiant aures* idest auditus clementię tuę, *intendentes in vocem deprecationis meę*. Nec frustra sępe & iterum atque iterum, varijs verbis, eandem orationis deuotionem explico: quia ad exprimendum mentis meę affectum non sufficit organum meę vocis; nec desiderium cordis satis potest depromere lingua carnis. Nec immerito ad te clamo de profundis cordis, qui me esse sentio, non in vno solum profundo, sed in pluribus profundis fluctibus, tam interioris, quam exterioris miserię

miseriæ, quamdiu sum in via huius miserabilis vitæ. Nam qui sic de profundis clamat, de profundis surgit; nec ipse clamor eum diu in profundis esse desinit, quia vox huius omne profundum penetrat, & ad Dei aures vsque peruenit. Econtra vero, quidam valde in profundo malorum sunt, qui nec ad te clamant, cum se viderint quotidianis peccatis & iniquitatibus obrutos & oppressos: Sed potius illos irrident, qui eos ad te clamare mouent. Hoc est profundum malorum, de quo scriptura dicit, *peccator cum venerit in profundum contemnit*.

Absit hoc à me Domine, sed ad te clamo de profundis cordis, omniumque interiorum virium, vt me clementer eripias de profundis iniquitatum: Quia *si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit*. O magnum profundum! O abyssus multa, profunda valde, nimisque periculosa! Ecce enim vndique omnibus circumspectis, nullum bonum, sed vndique malum videns, catervas scelerum meorum cernens, nimium pauescens exclamo, O Domine *si iniquitates obseruaueris*, Idest, ad vindictam æternam seruaueris, *Domine quis sustinebit* te iudicem? Non tantum ego solus non sustinebo, sed nec quis alius: quia nullus alius est, nisi seductus, & veritate vacuus, qui se non cognoscat peccatorem. Nam *si dixerimus, quia peccatum non habemus, uosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Non ergo præsumam de mea iustitia, sed de tua misericordia: *quia apud te propitiatio est*. Si enim iniquitates sic obseruares, vt earum in-

dex solus esse velles, & esse nolles misericors: vtique nulla mihi esset spes, nulla consolatio. Sed ideo non despero, quia *apud te est propitiatio*. Et *propter legem tuam*, legem amoris & gratiæ, in qua das reis veniam; *sustinui te Domine* patienter sperans, & sperando expectans tuam misericordiam. Et hoc Domine quia omnia nosti, non solum tibi confiteor, sed etiam alijs, vt omnibus notum sit, manifesto, dicens, *Sustinuit anima mea in verbo eius*. Cuius eius? In verbo eius cuius verbum non fallit, nec fallitur; Non in verbo hominis qui mendax est, sed in verbo Dei, qui verax est. Vnde subditur *sperauit anima mea in Domino*; non in homine, sed in Deo sperauit: qui verbo suo infallibili per peccatorum veniam Regni cœlorum gloriam repromisit.

Sperauit inquam *A custodia matutina vsque ad noctem* Ideo dicit *a custodia* seu vigilia *matutina*, quæ est principium diei, sperandum vsque ad noctem: quia in Domino sperare debet anima, à principio vitæ vsque ad mortem. Nam qui vsque ad mortem perseuerauerit, saluus erit. Sic ergo *speret Israel in Domino* Non solum speret vnus solus, sed totus fidelis populus; quoniam non vni soli, sed multis dictum est, *Sperate in Domino, omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra*. Et merito *speret Israel*, scilicet omnis Ecclesia & congregatio fidelium, *in Domino quia apud Dominum est misericordia* non magna solum, sed maxima. Nam *copiosa est apud eum redemptio*.

Sed quomodo verum est, quod copiosa fuit redemptio tempore Dauid, cum nondum

tempus

tempus redemptionis aduenisset? Sane semper copiosa fuit redemptio: sed, vt ipse Dauid prophetice innuit, hæc fuit *apud Deum*, hoc est apud diuinum secretum semper præuisa, semperque prouisa, ac æterna prædestinatione disposita: sed non semper copiose ac plene apud homines exhibita, quia non tempore legis naturæ, aut legis Mosaicæ, sed tempore legis gratiæ. De quo scriptum est, *quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Vnde tandem impletum est, quod olim Dauid prædixerat, *Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Nunc ergo Domine, nunc maxime est oportunnm, vt de profundis fluctibus miseriarum ad te fontem misericordiarum clamando consurgam: & de me meaque propria virtute diffidens, de te tuaque gratia & pietate sperando confidam, & ad tuam clementissimam propitiationem confugiam. Dignum quoque & iustum est, vt tibi, ò pijssime Christe, gratias agam, apud quem est copiosa redemptio. Ideo *copiosa* specialiter esse dicitur, quia tua in cruce passio, tuique pretiosi sanguinis oblatio, non solum pro vnius aut paucorum hominum salute, sed pro totius Israel, pro totius Ecclesiæ, pro totius mundi, pluriumque, si forent, mundorum redemptione copiosè sufficere perhibetur. Per huius ergo passionis virtutem, per huius sanguinis effusionem, te deprecor, vt à peccatis meis, & à pœnis, quas pro his meremur, redimas, redemptumque ab eis eripias: & ereptum à malis meis, tecum in bonis tuis habitare concedas.

MEDI-

MEDITATIO SVPER SEPTIMO PSALMO POENITENTIALI,

Domine exaudi.

DOMINE Iesu Christe, qui sperantes in te non deseris, clamantes ad te non despicis: qui quærentes te non fugis, te desiderantes non respuis; sed de se diffidentes, in te autem confidentes consolaris: Tibi humiliter supplico, vt mihi, qui in præcedenti psalmo confessus sum diffidentiam virtutis propriæ, tua potenti virtute largiri digneris sobriam exultationem spiritualis lætitiæ. Ad quam impetrandam suspirans dico, *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam*; quod sæpe dixi, iterum repeto: vt orationis repetitio, sit deuotionis confirmatio; & me non tædet sæpe iterare verba orationis, quia sæpius iteraui opera iniquitatis; nec peto exaudiri in mea iustitia, *Sed in veritate, tua exaudi me in tua iustitia* Hoc est, tu qui verax es, & in veritate tua pœnitentibus veniam promisisti: exaudi me pœnitentem, non in mea sed in tua iustitia, scilicet, in misericordia tua, quæ pœnitentes iustificat.

Peto enim iustitiam misericordiæ, quam exerces

exerces in præsenti sæculo: non judicium illius iustitiæ, quam facturus es in futuro. Ideo sequitur. *Et non intres in iudicium cum seruo tuo* Ego enim non sum dignus vocari amicus, vel filius tuus: sed tamen seruus tuus sum, qui misericordia indigeo, ad te fugitiuus redeo, pacem quæro, non ergo in futuro intres mecum in districtum iudicium, quia ego nolo intrare tecum. Intrant in iudicium cum Domino, qui iustitiam suam iactantes de ea præsumunt: Quibus per Prophetam dicit Dominus, *Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me*. Non sic ego, sed iustitiam meam coram me esse nullam reputo, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens:* quia si apud se quis suo iudicio iustificetur, tamen omnis homo in hoc mortali corpore viuens non iustificabitur in conspectu tuo: quia interiora, & occulta hominis vides, in quibus nemo bene plene iustus, aut mundus est tuo iudicio, quamtumlibet sanctus hominibus videatur. Ideo Paulus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Vel intelligi potest, *non iustificabitur in conspectu* idest, in tui comparatione, non solum omnis homo: sed nec omnis viuens, etiam Angelus: quia solus Deus est, in quo peccatum cadere non potest, in cuius conspectu etiam astra non sunt munda.

Non ergo intres mecum in iudicio rigoroso, sed mecum piè & misericorditer age *quia persecutus est inimicus* idest, Diabolus, vel quisquam alius aduersarius, *animam meam, & humiliauit in terra vitam meam* Hoc est, quantum in se fuit, eam, vt cœlestia relinqueret, & terrena

terrena saperet, inclinauit. Et iterum *collocauit me in obscuris* idest, in peccatorum tenebris *sicut mortuos seculi*, idest, sicut cæteros peccatores, non spiritualiter viuentes, sed sæculariter in peccatis morientes. Ideo *anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.*

Sed ecce postquam tristia præcesserunt, læta sequuntur: Postquam anxiatus fui, & turbatus per multiplicem inimici tentationem, lætus factus sum per spiritualem Dei consolationem, *quia memor fui dierum antiquorum*, scilicet, dierum æternorum, hoc est tuæ æternitatis diuinę, cuius memoria maxima causa est spiritualis delectationis & lætitiæ: vnde scriptum est, *Memor fui Dei & delectatus sum*. Nec solum in diebus æternis, seu rebus inuisibilibus, sed etiam in creaturis temporalibus, te æternum inuisibilem Deum contemplatus sum. Nam *meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar*. Quæsiui in operibus artificem, in creaturis creatorem, in rebus factis te earum mirabilem conditorem. Creatura tua facta est mihi speculum, vt in ea te cognoscerem Deum meum: quia, vt ait Apostolus, *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur sempiterna quoque virtus eius atque diuinitas.*

Et ideo *expandi manus meas ad te*, quia in operibus tuis cognoui, quod omnia bona sunt, & non à se sed a te tuæque bonitatis participatione bona existunt: ideo tibi gratias agens. *Expandi* in orationem *manus meas ad te*, tanquam ad bonorum omnium largitorem. *Et anima*

ma mea sicut terra sine aquā tibi Non solum ad te expandi manus corporis mei, sed & omnes vires animi. Et merito: quia *anima mea*, à te derelicta, est *sicut terra sine aqua tibi*: Ideo debet se ad te expandere, & non sibi ipsi, sed tibi adhærere; quia non seipsam, sed tu solus eam potes rore gratiæ irrigare. Sicut autem terra sine aqua sterilis est: sic anima sine gratiæ tuæ pluuia fructum ferre non potest. Tu ergo *velociter exaudi me Domine* cito dando pluuiam gratiæ: quia sitiuit in te anima mea. Ideo si aquam dare longius differas, *deficiet spiritus meus* à te, tanquam sterilis derelictus. Et propter hoc *Non auertas faciem tuam à me* spiritum meum derelinquendo, & ab eo auferendo, vel ei differendo gratiæ tuæ donum: Alioquin *similis ero descendentibus in lacum* hoc est in profundum peccatorum.

Sed potius *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam* Fac, inquam, mihi misericordiam tuam auditam, scilicet a Prophetis manifestatam, in scripturis; fac me interius sentire, quod exterius facis audire: Et hoc fac me *mane* idest, cito & non tarde *quia in te speraui* Et ideo speraui, quia audiui, *prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate*. Et vt cito facias mihi misericordiam tuam *notam fac mihi viam in qua ambulem* vt sit lucerna pedibus meis verbum tuum, ad recte ambulendum in via mandatorum tuorum; *quia ad te*, à quo, tanquam à patre luminum, descendit omne bonum; & qui illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; ad te, inquam, & non contra te *leuaui animam meam*.

Et

Et ideo *Eripe me ab inimicis meis, Domine, ad te confugi* Non a te fugi, contemnendo & postponendo lucem tuam: sed *ad te confugi*, quærendo & postuland eam. Ideo, *Eripe me de inimicis meis Domine* scilicet à Diabolo, & ministris suis, qui tentant me, vt ambulem in tenebris: Et vt ab eis eripias me *doce me facere voluntatem tuam*, quia si non doces me, faciam voluntatem meam, non tuam: Et sic deseris me Deus meus, dum ego te desero. Ergo doce me *quia Deus meus es tu* Ad alium currere possem, si alium creatorem haberem: sed quia tu solus es *Deus meus*, ideo doce me, vt magister meus.

Quod vtique facies, quia *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Doce, quia supra in memoria æternorum, & in contemplatione tua, & tuorum operum delectatus sum: Ne magnitudo contemplationis extolleret me, ne superba fieret lætitia mea, lætis miscui tristitias sed jam post tristitiam conuerto ad gaudium. Iam enim plene spero, quod spiritus meus malus non perducet me in terram peruersam infernalium pœnarum: Quia *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* in terram scilicet gaudiorum, de qua dicitur, *portio mea in terra viuentium*; hoc non propter meritum meum, sed *propter nomen tuum Domine, viuificabis me in æquitate tua* non in iustitia mea: Ego enim me occidi per peccatum meum: Sed tu me vificabis propter nomen tuum, quod est *Iesus*, & interpretatur *saluator* Vt rem nominis tui impleas, tu eris mihi *Iesus*, & me vificando sanabis. Et sic, *Educes de tribulatione* huius sæculi.

Animam

Animam meam & in misericordia tua, non in merito meo, *disperdes omnes inimicos meos*: quos etiam inimicos tuos merito dixerim, quia in me seruo tuo te Dominum meum, quantum in se est, persequuntur, & gloriam nominis tui: Cui & non mihi salutem meam attribuo, dicens, *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*: Hanc, inquam gloriam saluti meæ aduersando auferre conantur, vnde conuenienter subditur, *Et perdes omnes qui tribulant animam meam*, scilicet, Diabolum, & omnes obstinatos. Et merito perdes me tribulantes, *quoniam ego seruus tuus sum*, ad te in mea tribulatione recurrens, sicut seruus humilis & fidelis vasallus recurrit ad Dominum. Ecce ergo huius psalmi, aliorumque psalmorum pœnitentialium læta conclusio! Ecce spiritualis lætitiæ exultatio, quam salutaris pœnitentiæ contristatio finaliter operatur. Vnde qui per pœnitentiam affligitur, tandem dicit. *Consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Da ergo mihi, Domine, hos, quos pœnitentiales psalmos Ecclesia tua nominat, & à pœnitentibus tibi psallendos esse prædicat, tam digne ac deuotè, non solum ore, sed corde pœnitendo psallere: vt per contristationem pœnitentiæ salutaris exultationem consequi valeam lætitię spiritualis, vt post salutarem pœnitentiam, tandem per spiritualem lętitiam exultando dicam, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*: Da mihi Domine hoc septenarium pœnitentium psalmorum, esse remedium contra septenarium mortalium peccatorum: Mihique esse auxilium ad septenarium virtutum principalium,

palium, ad ſeptenarium beatitudinum, ad ſeptenarium denique petitionum in oratione Dominica contentarum. Da mihi Domine in horum pſalmorum meditatione timorem pœnæ, dolorem culpæ, ſpem veniæ, amorem cordialis munditiæ, deſiderium cœleſtis patriæ, diffidentiam virtutis propriæ, exultationem denique ſpiritualis lætitiæ. De hoc enim ſeptenario mentalium affectuum principaliter agitur in hoc ſeptenario deuotorum pſalmorum. His ſeptem affectibus, quaſi ſeptem ſcalæ pœnitentiæ gradibus, ad terram patriæ cœleſtis aſcenditur: quo me finaliter deduci, & finaliter aſcendere, & tecum habitare, perenniterque regnare, tu miſericorditer præſtare digneris, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

EIVSDEM

EIVSDEM VENERABILIS D. PETRI DE ALLIACO, CARD. CAMERACENSIS TRACTATVS SVper tribus Euangelij Canticis.

PROLOGVS.

SVMMÆ Trinitatis auxilio humiliter implorato, tripartitum deuotæ meditationis tractatum ex Sanctorum Doctorum sententia super tribus Euangelij Canticis, non de mea, sed de diuina virtute confisus aggredior. Profiteor quippe, non tam humanum esse, quam diuinum, tam alta mysteria digne posse concipere, vel proferre. Cum igitur in diuinis scripturis plura legantur cantica: specialiter tamen tria in Euangelio scripta esse Luca referente cognoscimus. Primum Mariæ, secundum Zachariæ, tertium Simeonis. Vnde quia hæc Cantica Euangelica sunt, ideo in reuerentiæ signum erecti assurgimus, stantes dum ea cantat Ecclesia. Nec vacat à mysterio, quia hæc Cantica non illo cantantur ordine, quo fuerunt edita: Prius enim cantatur, quod secundo editum; nam quia in Cantico Zachariæ legitur.

Et

Et erexit cornu salutis nobis, quod in resurrectione factum est, & quia loquitur ad puerum, qui fuit aurora solis, vbi ait, *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis, praibis enim ante faciem Domini parare vias eius*: Ideo cantatur in laudibus officij matutini. Quia vero legitur in Cantico Virginis respexit humilitatem ancillæ suæ, Ecclesiæ videlicet ac ipsius Mariæ; & quia agit de incarnatione, ibi, *suscepit Israel*, quod quidem factum est in sexta ætate; ideo canitur ad vesperas in sexto diei officio. TERTIVM autem Canticum Simeonis, in septimo officio canitur, idest in completorio: quia orat se dimitti in pace, quod in septima ætate quiescentinm complebitur. Hæc ergo, & alia multa profuuda misteria, in hijs Canticis deuotis mentibus occurrunt meditanda. Cum enim præ cæteris omnibus Canticis, quæ in sacra scriptura reperiuntur, hæc tria in tanta veneratione habeantur, vt ipsa iam celebri, & assidua, imo quotidiana recitatione, non sine magna & rationabili causa, sancta per orbem frequentet Ecclesia: quis ignorat, in eis maxima spiritualis intelligentiæ mysteria contineri? Sed præ alijs, Canticum Mariæ constat maioribus mysticis Sacramentis copiosius abundare. Nam, vt quidam eius deuotus ait, quis dubitet beatam Mariam spiritussancti in se superuenientis tanta plenitudine & gratia repletam, non potuisse paruum aliquid, & quod supra terrenarum mentium capacitatem non esset, in laudem Saluatoris sui proferre? Constat ergo de tanta plenitudine eructante, tantaque deuotione, nouum illud & humanis mentibus insolitum

gaudium

gaudium, Iesu suo iubilantem, noua laude & singulari præconio nouam lætitiam in nouo aduentu æterni Domini prædicasse.

MEDITATIO DEVOTA SVPER CANTICVM BEATÆ MARIÆ.

IGITVR A Mariæ Cantico, tanquam à priori, & ordine temporis, & magnitudine dignitatis, nostrum sumemus exordium. *Magnificat anima mea Dominum* vbi, pro intelligentia tanti mysterij, tanquam mystici Sacramenti videndum nobis erit, quemadmodum, & qua occasione, vel causa, virgo beata ad hæc dicenda verba, quæ proposita sunt, accesserit: sic enim ex circunstantia rei gestæ, quã ta consideratione verba ista sint canenda, clariùs apparebit. Legitur itaque in Euangelio Lucæ, quod postquam Angelus Gabriel à Deo missus fuisset ad Virginem desponsatam Ioseph, vt superueniente spiritussancti virtute nasciturum ex ea Iesum Dei Filium nunciaret: Mox tanti miraculi fidem confirmans, alio adiuncto miraculo, mirabili quidem, sed longe dispari, diuinæ potentiæ efficaciam manifestauit, dicens, *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis sex-*

tus

tus est illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Cui statim Virgo, fide & exultatione plena, cum humili gratulatione respondit; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Statim ergo adueniente spiritu sancto in Virginem, quem totus non capit mundus, totum se intra viscera Virginis collocauit. Sed quanto excellentioribus bonis diuinitus abundauit: tanto se humiliorem humanitus exhibuit. Nam quæ affluentia tantæ gratiæ omnibus mulieribus superior & super omnes mulieres benedicta, Angelo teste, dici meruerat: Mox surrexit, & ad fæminæ inferioris obsequium properans, ascendit cum festinatione in Montana Iudeæ, videre, & congratulari Elizabeth: vt quod de ipsa audierat credula, in ipsa præsens, & experta videret, & digna exultatione congauderet. Vnde ipsa Elizabeth, spiritu sancto repleta, qualis & quanta esset, quæ ad se venerat, agnouit: & quantum se indignam eius visitatione iudicare ostendit, *unde hoc* inquit, *mihi, vt mater Domini mei veniant ad me! Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

O igitur beatum fidei meritum, quo beata Virgo facta est Mater Dei! Quid ergo mirum, si tunc ait Maria: *Magnificat anima mea Dominum*? Nemo igitur verba ista leuiter, æstimanda putet: Nam quæ de tam profunda conceptione prolata sunt, sine profunda inuestigatione digne penetrari non possunt; sicut inquit

venera-

venerabilis Hugo, cuius in hoc Cantico deuotam expositionem magna ex parte sequi, & breuiter colligere studui. O vtinam ergo, vtinam contingat nobis, eorum arcana quærentibus, illo spiritu ducente incedere, quo repleta Maria verbum exultationis magnificauit. Ait ergo.

Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Videamus itaque verborum distinctionem: Primum *anima magnificat Dominum*; deinde, *spiritus exultat in salutari.* Sane, quia scriptum est, *vniuersæ via Domini misericordia & veritas*; perfecta laus est fidelis serui, Christum Iesum Dominum & salutare confiteri: cum veritas in Domino, & in saluatore misericordia commendetur: Propterea & *magnificare* Dominum *in salutari exultare* debemus: quia quibus reuerenda est iustitia iudicis, dulcis est misericordia saluatoris. Ideo ait, Maria, *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quasi diceret, O Elizabeth, tu magnis me laudibus extollis, & magnificas: ego verò non me propter hoc magnifico, sed magis humilio & humiliando me, Deum magnifico, & & in eo veluti in salutari meo, humiliter exulto: in Domino maiestatem, & in salutari meo pietatem, omnibus viribus, non solum corporis, sed & animæ & spiritus, humiliter recognoscens.

Vbi etiam considerandum est, quod cum ipsa *Dominum* nominaret, nihil addidit: cum vero *Saluatorem* diceret, non simpliciter Saluatorem, sed *suum Saluatorem* nominauit. Omnipotens

a potens enim Deus potestate, qua vniuersæ creaturæ suæ dominatur, omnium Dominus est; sed pietate, qua quosdam tantum, & non omnes, saluat, Saluator omnium non est. Merito igitur Beata Virgo, quæ se singulariter electam videt, fiducialiter ipsum, quem pro salute mundi filium conceperat, suum etiam cum lætitia & exultatione Saluatorem vocat, *Ecce ergo Cantici* Mariæ deuotum exordium: spirituali lætitia & exaltatione iocundum. Ibi quippe iocunda Virginis exultatio, & exultans laudis iubilatio multipliciter describitur.

PRIMO namque, ostenditur, esse *magna*, cum dicitur. *Magnificat.* SECVNDO; declaratur esse *deuota*; quia subditur, *Anima mea & spiritus meus*, quasi dicat, non solum exterioribus labijs corporis, sed omnibus interioribus viribus cordis, Deum laudo; cui totum, quod in me est bonum, attribuo. TERTIVM innuitur esse *debita*, cum dicitur, *Dominum*, cui soli principaliter debetur laus & honor, specialiter de tanto, tamque ineffabili dono; QVARTO probatur esse *iocunda*, Ibi *& exultauit spiritus meus:* quasi diceret præ iocunditatis magnitudine, non defectus, sed in Deum eleuatus spiritus meus exultauit, idest extra & supra se saltauit, & ad cœlestia per contemplationem ascendit. QVINTO notatur esse *recta*, idest, non in creaturam, sed in creatorẽ directa, quia *in Deo salutari meo*. Et dicit *in Deo* ratione creationis, *salutari* ratione recreationis, *meo*, ratione incarnationis: Nam causa humanitatis assumptæ fuit Virginis filius, sic vtique suus quod non alterius.

Audi-

Audiuimus hucuſque exordium Cantici: Audiamus deinceps cauſam, & rationem cantandi. Sane tanti iubili rationabilis cauſa fuit, diuinorum beneficiorum magnitudo: quæ hic tripliciter deſcribitur. PRIMO, in beneficijs Mariæ collatis genelariter; Ibi, *& miſericordia eius à progenie &c.* POSTREMO in beneficijs Iudaico populo collatis ſpecialiter. Ibi, *ſuſcepit Iſrael* &c. Dicat ergo nobis Maria exultationis ſuæ cauſam: *quia*, inquit, *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* Ac ſi diceret, merito in ipſo exulto, quia ab ipſo eſt vnde exulto. Ipſa quippe, vt ſuum gaudium ſolidum eſſe demonſtraret, illud nec à vanitate exortum neque ad vanitatem conuerſum, oſtendit; ſed Dei ſe dona in Deum dirigere, & pro reſpectu gratiæ, qua præuenta erat, in ſuo ſalutari ſe exultare prohibuit. Ideo, inquit, *exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Licet enim in ea fuerit copioſa virtutum magnitudo: ipſa tamen non immerito ſolam in ſe humilitatem dominum reſpexiſſe teſtatur: quia diuinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus perdidit, in Maria per humilitatem recuperauit; Cuius humilitatis virtutem mox determinans, ſubiungit, *ancillæ ſuæ.* Nam quia ſe humiliter, quod erat ancillam, cognouit: ideo quod non erat, ſublimiter mater eſſe meruit. Cum enim reſpondiſſet Angelo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum:* confeſtim in hoc humilitatis verbo concepit Dei verbum. O magnum humilitatis meritum. Eua per ſuperbiam Dei creaturam ſe eſſe minus quam debuit conſiderans, Deo quodam-

modo parificari voluit: Maria vero creatori suo humiliter se subdens, ancillam se nominauit. Et idcirco illa eiecta est, ista electa est. Superbam despexit; humilem respexit: & superba perdidit, humilis recepit. Bene ergo ait Maria, *respexit humilitatem ancillæ suæ*. Respexit, inquit, non respectu indignationis, & vindictæ, quo respexit iniustos: sed respectu pietatis & gratiæ, quo respicit iustos. De quo scribitur, *Oculi Domini super iustos & aures eius in preces eorum.*

Sic vtique Mariam, & eius humilitatem, respexit, quia benignus per misericordiam, per respectum gratiæ, Dominus ad eam specialiter se conuertit: imo in ea singulariter habitauit, vnde recte subditur *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Ac si diceret, omnes generationes, quæ amissam beatitudinem, per fructum vteri mei recuperabunt, qua per fructum vetiti ligni priuati sunt: Omnes merito ex hoc beatam me dicent. Sed quomodo hoc ais, ô Maria? cum plures sint generationes infideles, quæ te, & vteri tui prolem, non beatam dicant: sed tanquam infælicem, & infamem, ore polluto blasphemat? Sane ideo dictum est; *omnes generationes*; quia ex omnibus generationibus, & Iudæis, & gentibus, aliqui ad fidem conuersi sunt, qui te beatam Virginem confitentur; nec solum fideles sed etiam infideles sarraceni. Nam in Alchorano perfidi machometi, legitur, dixerunt Angeli. O *maria Deus anunciat tibi verbum, ex ipso, nomen eius Iesus Filius Mariæ*. Et iterum alibi in eodem libro, legitur. *Dixerunt Angeli, O Maria. Deus vtique*

quæ elegit te, & purificauit te. Et elegit te claram super mulieres sæculorum. Multa quoque alia in laudem Virginis, & suæ prolis, in eodem scribuntur libro. Ecce ergo quam verissime dictum est, *beatam me dicent omnes generationes* Cuius causa subditur. *quia fecisti mihi magna qui potens est: Et sanctum nomen eius.* Magnum fuit, vt virgo sine virili semine filium conciperet; Magnum fuit, vt Dei patris verbum carne sua indutum in vtero gestaret; magnum fuit, vt dum se ancillam confessa est sui plasmatoris mater fieret; magnum denique fuit, vt tam magnis & ineffabilibus Sacramentis cor Virginis asserenti Angelo fidem daret. Sed hæc omnia si magna sunt, impossibilia tamen non sunt ei, à quo facta sunt: *quia potens est*. Et ideo *fecit magna, qui potens est*. Et singulariter *magna*; quia singulariter *potens est*; & singulariter *potens*, quia singulariter omnipotens; & ideo absolute potens dicitur, quia omnia potest.

Solùm ergo confessa est Dei potentiam: sed eam qualis, & quanta sit, discutere non præsumpsit. Quia hoc sciri non potest, cum de ea verissime sciatur, quod immensa & omnipotens est. Erubescant ergo nunc, qui de suo sensu gloriantes, Dei opera ratione se putant discutere, & eius potentiam sub mensuræ coarturæ quia qui absolutæ potens est, summe potens, ac ideo omnipotens est. Propterea bene inquit Maria, *quia fecit mihi magna qui potens est. Et sanctum nomen eius*, quasi dicat; quod hæc magna, imo vero maxima, mihi facta sunt, non per me, aut ex me: sed mihi à Deo facta sunt; & in me ad omnium salutem, suæ electionis

 priuilegio

priuilegio, ad sui nominis gloriam singulariter ordinata. Ideo *sanctum nomen eius*. Sanctum est in se, & in nobis sanctificatur nomen eius, dum nos sanctificamur in nomine eius. Vnde in oratione dominica petimus, *sanctificetur nomen tuum*. Sed quid est *nomen eius*? Sane nomen eius est fama eius, cognitio eius, fides eius: Hoc nomen in sanctis sanctum est, quia glorificatur à sanctis, & bene dicitur; & à peruersis blasphematur. Ergo quia magna fecit, sanctificatum est nomen eius: quia dum verbum in carne mirabiliter nascitur, gloria Dei per verbum in hominibus declaratur, ideo *fecit magna qui potens est & sanctum nomen eius*.

Postquam autem Maria suæ exultationis causam ostendit, ex beneficijs sibi collatis singulariter, id est, sibi vni superexcellenter: Consequenter declarat ex collatis beneficijs toti mundo generaliter.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Et bene ait *misericordia eius*; id est, beneficium incarnationis eius, quod ex misericordia Dei factum est: Vnde petebat Dauid, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Quasi diceret, Ostendisti potentiam in mundi creatione, sapientiam in mundi gubernatione, iustitiam in peccatorum punitione: Ideo ostende misericordiam tuam in filij tui incarnatione: Ideo autem subditur, *a progenie in progenies*: quia licet hæc misericordia à progenie Iudæorum processerit, cum hæc incarnatio ex Virgine Iudæa facta sit; propter quod in Euangelio dicitur, *salus ex Iudæis est*; tamen hoc salutis beneficium ad omnes progenies, quantum ad sufficientiam;

ficientium; sed quantum ad efficaciam tantum, ad eos de quibus subditur, *timentibus eum.* Quod de timore sancto & charitatiuo intelligitur: de quo scriptum est, *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Econtra vero de timore malo dicitur, perfecta charitas foras mittit timorem. Nemo ergo, Græcus sit aut barbarus, liber aut seruus, si timorem Dei sanctum habeat, à gratia excluditur: sed in *omni gente & progenie qui timet Deum & operatur iustitiam acceptus est illi.* Et ideo *misericordia eius à progenie in progenies* id est in omnes progenies *timentibus eum.*

Hanc autem misericordiam incipit latius explicare, & ipsum redemptionis humanæ ordinem declarare. *Fecit inquit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui* Potentiam in *brachio suo* fecit, quia per humanitatem filij sui diabolum vicit: *Brachium* enim eius, filius est eius; de quo Isaias ait, *brachium Domini cui reuelatum est*: Fecit ergo *potentiam* fecit & *infirmitatem*, in hoc *brachio suo*, id est in filio suo. Sed & ipsa *infirmitas*, id est assumpta humanitas, *potentia* fuit: quia per illam Diabolum subiuganit, & hominem ab eius superba potestate eripuit. Vnde bene subditur, *dispersit superbos mente cordis sui*, idest, profundo consilio diuini secreti sui, quo verbum suum per assumptam humanitatem in hunc mundum misit: *dispersit superbos*: Superbas videlicet aeris potestates, & Diabolicæ superbiæ membra, sicut Iudæos, Scribas, & Pharisæos; aliosque in superba infidelitate manentes; dispersit eos, dum per potentiam verbi sui, eiusque sapien-

tiam, eorum fallacias dissipauit.

De hijs ergo superbis, alijsque similibus, conuenienter subiungit: *Deposuit potentes de sede & exultauit humiles.* PRIMO quidem *potentes de sede deposuit*, quia malignos dæmones à cordibus hominum, in quibus, tanquam in suæ potestatis sede, residebant, abiecit: & *humiles superexaltauit*; ipsos videlicet homines, quos priùs sub dæmonis potestate, propter superbiam, abiecerat, humiliatos reparauit. DEINDE ipsius dæmonis membra, quæ humilem Christi aduentum superbè contempserunt, siue Iudei fuerunt, siue alij infideles, à gratia sua, in qua ex suis meritis stare præsumebant, exclusit: & humiles, non de sua, sed de Christi misericordia confidentes, exaltauit. O profundum consilium mentis cordis sui! O arcanum mysterium diuini secreti! de quo cum Apostolo exclamare cogimur, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Cuius *eius?* Eius, videlicet, diuini verbi, quod de Virgine caro factum, ineffabili modo redemit genus humanum, & a superbis eius aduersarijs potenti brachio suo eripuit, redemptum, ereptumque, ac humiliatum, mirabiliter sublimauit.

Huius ergo profundi consilij secretaria, huius secreti diuini conscia, Virgo Beata, prophetauit, dicens, *dispersit superbos.* Et propter Prophetiæ certitudinem, de futuro per modum præteriti loquens subdit, *deposuit potentes de sede & exaltauit humiles.* Hæc namque Prophetia in eo, quod dictum est, *dispersit superbos, deposuit*

posuit potentes de sede, ad litteram specialiter impleta est, in dispersione & deiectione superborum Iudæorum, quam post passionem Christi, per Titum & Vespasianum factam esse legimus; impleturque quotidie in seruili seruitute, seruilique captiuitate, quam eos per orbem dispersos pati videmus. Insuper eos, qui se superbe reputabant potentes, & diuites, in lege & prophetis, deposuit *de sede*, idest, a legis authoritate, & eius veritate repulit, ipsosque ex suo demerito excæcatos, in erroris profunditate demersos, reliquit, de quibus Apostolus ait, *cæcitas contigit in Israel*. Sed abiectis Iudæis superbis, & per superbiam excæcatus; *exultauit humiles*, idest, gentiles humiliter & deuote Christi & Apostolorum prædicationem suscipientes, in fidei veritate sublimauit.

Vnde merito subiungitur *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes:* quia gentiles verbum Dei cum magno desiderio receperunt, quod per *esuriem* designatur: ideo *bonis à Deo replentur*, Econtra vero *diuites*; idest Iudæos, bonis spiritualibus abundare præsumentes, *dimisit inanes*, vacuos quidem à veritate, sed inflatos vanitate, & excæcatos falsitate. Possumus tamen hunc locum generalius exponere; Nam, qui prius Angelum de cœlo, & hominem de paradiso superbientes eiecit: vtique *deposuit potentes de sede*; sed postea *exaltauit humiles*, quia homines humiliatos per pœnitentiam, ad pristinam gloriam reuocauit. Sed & quotidie superbos quosque, subtrahendo gratiam suam, deponit, & humiliat: & postea eosdem humiliatos per gratiam priorem restaurans exaltat.

De quibus verum est, quod sequitur; *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes*. Esurientes vocat, qui se vero bono indigere cognoscunt, & eo repleri cupiunt. *Diuites* intelligi vult eos, qui superbi sunt, & se præ alijs in donis gratiæ abundare præsumunt. Ergo sicut humiles, modica de se sentiendo, quibus exemplum dedit Beata Virgo, maiorem gratiam merentur accipere: ita superbi, & elati, de se præsumendo, ea, quæ etiam acceperunt, amittunt.

Postremo, cum exultasset Maria de beneficijs, non solum ei singulariter, sed etiam toti mundo generaliter collatis: exultat de bonis populo Israhelitico specialiter exhibitis. Vnde ait: *suscepit Irael puerum suum* O speciale beneficium! quia suscepit populus Irael puerum Iesum, cum de illo populo, idest; de Virgine Iudæa, carnem puerilem accepit diuinum verbum, ideo vocat eum *puerum suum*. O Israel, humiliter recognosce hoc gratuitum beneficium: nec tanto dono exhibeas te ingratum. Tunc enim tibi erit maximum bonum, si *puerum istum* per fidem suscipias, cum humili actione gratiarum. Sic ergo suscipe ô Israel puerum istum: alioqui non es vere Israel, nisi fide credas in Iesum. Suscipe itaque puerum; idest, humilem & innocentem Christum, vt te ipse medicus sanet ægrum; vt te redimat captiuum; vt iustificet impium, vt beatificet iustum.

Quia vero per specialem gratiam fit ista susceptio; merito additur, *recordatus misericordiæ suæ*. Ad modum enim recordantis se exhibuit, quando

quando filium suum antiquis promissum patribus in carnem misit: Ideo subditur, *sicut locus est ad Patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.* Recordatus ergo misericordiæ, quam olim promiserat, sed diu distulerat: tandem iam tunc exhibebat eam; misericors in promittendo, verax in exhibendo: quia sine debito promisit, & sine dolo exhibuit. Sic enim *locutus erat patribus nostris*, idest patriarchis, & Prophetis. Et specialiter *Abraham, & semini eius*, cui prædixerat, *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.*

Additur autem hic *in sæcula*: quia benedicta Christi caro temporaliter nobis exhibita, æternaliter remanebit verbo Dei vnita: sicque verbum increatum in sæcula permanebit incarnatum: Cum quo regnare concedat qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

MEDITATIO DEVOTA DE CANTICO ZACHARIÆ, *Benedictus.*

PROLOGVS.

DICTVRI de Cantico Zachariæ, pro mysteriorum intelligentia seriem historiæ præmittemus: ab initio Euangelij Lucæ sumentes exordium. *Fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abya.* Sicut enim in libro paralipome non legitur, Dauid volens ampliare cultum Domini, viginti quattuor instituit sacerdotes, quorum vnus tamen maior erat, qui princeps sacerdotum dicebatur. Dedit autem cuique ebdomadam: Et quarto loco Abiæ, de cuius genere Zacharias erat. Qui cum in die propitiationis incensum poneret, prædixit ei Angelus, nasciturum sibi filium de vxore sua, cuius nomen Elizabeth. Ipse vero considerans sterilitatem vxoris, & vtriusque senectutem, non credidit. Vnde in pœnam suæ incredulitatis obmutuit vsque ad diem partus. Concepit tandem Elizabeth, & occultauit se mensibus quinque. Et hoc forte, quia magis certificari voluit de rei euentu, antequam propalaret; vel, quia,

quia, licet ipsa de conceptu gauderet, & de rei veritate nullatenus dubitaret: tamen aliquantulum verecundabatur, se palam facere, eo quod iam transierat tempus vacandi amplexibus causa prolis generandæ: exemplo Saræ, quæ dixisse legitur, *postquam consenui & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Quasi diceret, hoc merito facere erubesco. In mense autem sexto, videlicet à conceptu precursoris, missus est Angelus Gabriel ad Mariam ad annunciandum conceptum Saluatoris. Postea verò, exurgens Maria abijt ad visitandum cognatam suam Elizabeth, & ibi mansit quasi mensibus tribus: ministrans ei, vt communiter dicitur, donec pareret. Legitur in libro iustorum, quod Beata Virgo primò Ioannem à terra leuauerit; licet Theophilus, & alij quidam asserunt, quod Maria imminente partu Elizabeth in domum suam recesserit: tum quia virgines in partu mulieris non solent adesse; Tum quia aliæ mulieres iam aduenerant, quæ ad hoc obsequium poterant sufficere. Nato vero præcursore, die octaua, *cum secundum legem circumcideretur puer, vocauerunt eum nomine Patris sui, Zachariam*. Et ait Mater, *Ioannes est nomen eius*. Id ipsum scripsit & pater. *Tunc apertum est os Zachariæ*: per confessionem enim fidei, quam scripto fecit, quia verbo facere non potuit, meruit liberari; sicut propter verbum dubitationis, & incredulitatis, lingua eius meruerat obmutescere, & silentij pœna ligari. Igitur Zacharias *repletus spiritu sancto* prophetans, canticum fecit Domino.

CAN-

CANTICVM ZACHARIÆ.

BENEDICTVS *Dominus Deus Israël.* Vbi exultauit primò in laudibus Domini Saluatoris. Deinde in laudibus famuli precursoris. Ibi, *& tu Propheta altissimi vocaberis.* Exultans ergo in laudibus Domini, canit dicens; *benedictus Dominus Deus Israel.* Et meritò *benedictus*; quia *Dominus*, per generalem omnium gubernationem; quia *Deus*, per singularem creationis potestatem; quia insuper *Deus Israel*, per specialem Dei cultum, & latriæ deuotionem, & beneficiorum spiritualium ipsi populo exhibitam largitatem. Huius autem laudis & exultationis causam subdit: *quia visitauit, & fecit redemptionem plebi suæ.* Cuius plebis suæ? vtique plebis suæ Israel: quia ipse hic dictus est Deus Israel: quemadmodum & ipse alibi ait, *Ego sum Deus Abraham Deus Isaac & Deus Iacob*; quasi dicat: Ego meipsum illis dedi, & propterea ipsorum Deus appellari volui.

Licet enim omnium ipse sit Deus per dominationis potentiam: quorundam tamen modo quodam speciali Deus est per electionis gratiam. Sic ergo merito dictus est Deus Israel. *quia visitauit & fecit redemptionem plebis Israël.*

Cuius

Cuius Israel? Non vtique solius Israel secundum carnem litteraliter dicti: sed ipsius Israel spiritualiter intellecti: quia non solius plebis illius Iudaicæ, sed totius plebis Catholicæ, idest, vniuersæ Ecclesiæ, quia ex Iudæis & gentibus per fidem ad Christum conuersis vnum corpus eius misticum efficitur: & verissime Israel nominatur.

Audiamus itaque quot & quanta huic plebi suæ beneficia specialia gratis contulerit. *Primum* quidem *visitauit;* deinde *redemptionem fecit visitauit*, sicut medicus egrum; *redemit*, sicut pius Dominus seruum captiuum. *Visitauit* nos in sua natiuitate, & humili vitæ suæ conuersatione: *redemit* sua morte, & benedicta passione. Hæc autem prophetabat Zacharias, quæ tunc erant futura: sed propter prophetiæ certitudinem, de his loquitur, quasi iam essent præterita, quia in Dei præscientia æternaliter fuerunt ordinata. *visitauit*, inquit, *& fecit redemptionem plebis suæ*. Quid plura?

Audiamus & alia beneficia quæ sequuntur: *Et erexit cornu salutis nobis* quasi dicat non solum nos voluit per gratiam à carcere mortis redimere: sed etiam ad salutarem vitæ gloriam erigere. *Erexit*, inquit, *nobis cornu salutis*, idest, nostram erexit & direxit virtutem ad consequendam æternam salutem: quod factum est vtique in sua gloriosa resurrectione, quando ad vitam resurgens immortalem, patres in lymbo inferni detentos potenter eduxit; & deinde in sua mirabili ascensione, quando eos ad cœlestia introducens fæliciter sublimauit. Quia vero Christus hæc omnia adimpleuit in carne

assumpta

assumpta de dono Dauid: Ideo subditur, *In domo Dauid pueri sui*. Et dicitur *pueri sui*, quia ab ipso propter humilitatem electi.

Hanc igitur prophetiam suam Zacharias diuina authoritate confirmat: *sicut*, inquit, *locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum eius:* quia sancti Prophetæ, qui à sæculi principio fuerunt, spiritu sancto inspirati, ista veraciter prædixerunt. Quid ergo mirum, cum ipse, qui veritas est, per os eorum loquens, fideliter ista promiserit, si idem ipse eadem fideliter adimpleuit?

Sed quid ex tantis beneficijs consecuti sumus, adiunxit: *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos* O ingens donum. Securam salutem, & salutarem securitatem per Christum consequi ex inimicis nostris? Quibus inimicis? Ex illis vtique, de quibus gemens canit Ecclesia, *Mundus, caro, demonia, diuersa mouent prælia*. Diuersis ergo, & aduersis prælijs hij inimici certant contra nos. Ideo vero de hijs dicitur, *qui oderunt nos*. Licet enim sæpe nobis blandiendo nos diligere videantur: semper tamen nos seducere, & in æternæ mortis interitum ducere nituntur. Ab hijs inimicis horrendis, & magis omnino formidandis, quia familiares & proditores inimici; Christus nos liberauit: quia per suæ incarnationis mysterium, nisi per nostræ iniquitatis demeritum steterit, liberare meruit.

Sed quare hoc facere voluit? *Ad faciendam*, inquit, *misericordiam cum patribus nostris* quasi diceret, quod Christus mysterium incarnationis impleuit, non propter nostram iustitiam,

sed

sed propter suam misericordiam: quam patribus implendam promisit. Quomodo autem, & quam infallibiliter promiserit, conuenienter subiungit, dicens: *Et memorari testamenti sui sancti.* Idest, pacti firmissimi, quod habuit cum patribus veteris testamenti; pacti, inquam, iurati, de Christo venturo. De quo testamento sancto & iure iurando, ad modum memorantis se habuit, quando pactum efficaciter adimpleuit: hoc autem pactum exprimens, addidit *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* De hoc iurameno legitur. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus,* O miranda Dei dignatio quia iurauit Dominus seruo suo. Cur ita? Certe, vt doceat seruum in omni fideli iuramento fidelem esse Domino suo: nec solum Domino, sed etiam conseruo suo. *Iurauit,* inquit, *ad Abraham Patrem nostrum.* Patrem vtique multarum gentium, in cuius semine, idest, in Christo, promissum est quod benedicentur omnes gentes. Ideo sequitur, *daturum se nobis,* quasi dicat, iurauit Deus pater daturum se nobis Deum sibi consustantialem filium: quod iuramentum in Christo veraciter impletum est.

Sed quare iurauit Deus, Christum daturum se nobis? *Vt, inquit, sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.* O grandis exultatio. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* A Christo contritus & confractus est laqueus mortis, ac ideo liberati sumus ab inimicis nostris. Sed quare liberati? *Vt sine timore seruiamus illi.* Certe finis omnis diuini præcepti est *amor Dei:* vt sine seruili timore ser-

seruiamus illi in vera charitate. Seruilis timor fuit in obseruantia legis Moysi: Dei amor in obseruantia legis Christi, in qua perfecta charitas foras mittit timorem, & spiritualem inducit libertatem; qua libertate de manu inimicorum nostrorum Christus nos liberauit.

Audiuimus Zachariam exultantem in laudibus Christi nostri Saluatoris: audiamus eum exultantem in laudibus Ioannis, sui præcursoris, & in primis attendamus congruam huius ordinis rationem. Scimus enim, quia *Ioannes* interpretatur *in quo est gratia*: nec ignorare debemus, quia *gratia* dicitur quasi à Deo gratis data. Merito ergo hunc filium à Deo sibi gratis datum esse recognoscens, priùs exultauit in Domino, à quo est gratia: quam de famulo, in quo est gratia. Vnde etiam in filio non tam naturam, quam gratiam recommendans, exultans ait, *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis.* Quid ais, O Zacharia, quid ais? Cur ad nondum intelligentem sermonem dirigis, *Et tu puer* inquam *Propheta altissimi vocaberis?* An forte diuina inspiratione cognoscis, quod puer iste, vt aliqui æstimant, patrem ad se loquentem intelligebat spirituali virtute: sicut de Elizabeth matre eius scribitur, quod vt audiuit salutationem Mariæ, exultauit infans in vtero eius, quasi congaudens ad præsentiam Saluatoris. Quod secundum Augustinum duobus modis potest intelligi: *vel, quod* Ioannes nondum natus per spiritum sanctum cognosceret Christum præsentem in vtero Virginis: & secundum hoc in eo acceleratus fuisset vsus rationis; *vel quod* infans nondum cognosceret præsen-

tiam

tiam Saluatoris, sed mater eius motu diuinæ inspirationis; illa tamen motio, & pueri exultatio facta est à Deo, ad declarationem sanctitatis Virginis, & prolis in ea existentis. Vnde licet Augustinus neutrum horum modorum determinate asserat: dicit tamen, quod siue hoc, siue alio modo facta fuerit ista exultatio; omnino attribuenda est diuino miraculo. Sic ergo possumus etiam dupliciter intelligere patrem loquentem ad puerum: *vel*, tanquam iam virtute diuina intellectu & ratione vtentem; *vel*, quod ei loquebatur, non quasi iam ratione vtens intelligeret, sed vt alios ratione vtentes de mysterio incarnationis Christi; cuius puer iste propheticus precursor futurus erat, informaret.

Ait itaque. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis*. Vbi merito quæritur; quomodo pater nascitarum Prophetam vocat; & tamen natus filius postea se Prophetam esse negat? Sed absit, vt patri filius contradicat. Hæc autem quæstio citius soluitur, si responsio Ioannis ad quærentium intentionem referatur. Ioannes quippe negans se esse Prophetam, secundum propositum interrogantium, verum respondit: quærebant enim, si vnus esset de antiquis prophetis; quasi ex eis aliquis in Ioanne resuscitatus fuisset, vt Elias, vel Eliseus, vel alius huiusmodi. Et quia secundum veritatem nullus de eis erat, se huiusmodi Prophetam esse veraciter negauit. Sunt tamen, qui dicunt, ideo Ioannem se esse Prophetam negasse, vt se non solum esse Prophetam, sed plus quam Prophetam, tacite esse innueret.

Sed

Sed quod ipse Ioannes vere Propheta fuerit altissimi; sequentia verba designant, *praibis enim ante faciem Domini parare vias eius*. In quibus verbis, si ea diligenter notemus, alia inueniemus mysteria: *Praibis*, inquit, quasi diceret, nuncius & præcursor eris ante faciem Domini. Cuius Domini? Illius vtique, de quo præmissum est, *vocaberis Propheta altissimi*: Cuius altissimi? Certe sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritussancti: quorum quilibet altissimus est Dominus: Nec tamen tres altissimi, sed vnus altissimus. Possumus ergo intelligere, Ioannem esse Prophetam & nuncium totius altissimæ Trinitatis: quia à qualibet Trinitatis persona testimonium habuit sanctitatis. Habuit à patre testimonium, qui per Malachiam Prophetam vocat eum *Angelum suum*, idest nuncium suum: *Ecce* inquit, *ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam* Angelus enim nomen est officij non non naturæ: ideo Ioannes Angelus dicitur, quia Angelorum officium multipliciter exercuisse probatur. Habuit insuper à filio testimonium, qui in multis eum mirabiliter commendauit, & ibi specialiter, vbi ait, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne baptista*. Ab illo itaque verbo pronunciata sunt Ioannis præconia, per quod fundata est arida, condita sunt elementa, & mouentur sydera. Habuit denique à Spiritu sancto testimonium, quando ipso inspirante Zacharias ait, *Tu puer Propheta altissimi vocaberis*. Idest. Dei altissimi, summæ videlicet & ineffabilis Trinitatis.

Possu-

Possumus tamen hic nomen *altissimi*, non inconuenienter intelligere specialiter personam Dei filij: quia subditur, *praibis enim ante faciem Domini*, idest, ante filium, qui est facies & similitudo Dei Patris; per *faciem* enim secundum Gregorium *notitia* designatur: Illa vero, quæ in diuinis ad notitiam pertinent, filio appropriantur: vnde secundum Apostolum Christus sapientia Dei, & imago dicitur. *Praibis*, ergo, *ante faciem Domini*. Sed ad quid præibis? *Parare*, inquit, *vias eius*. Quas vias eius? Certe multæ sunt viæ Domini. Sunt enim viæ præceptorum; sunt & viæ consiliorum; & hæ multipharie. Est quippe via arta voluntariæ paupertatis, est via artior continentiæ & castitatis. Has ergo vias Domini, quas Christus principaliter docuit, Ioannes Christi præuius non solum prædicationis, sed etiam exemplo sanctissimæ conuersationis, Domino præparauit.

Sed ad quid parauerit vias eius recte subditur. *Ad dandum*, inquit, *scientiam salutis plebi eius* idest, ad annunciandum salutem, conferendam per Christum; *in remissionem peccatorum eorum*. Quia vero hæc remissio conferenda est à Christo, non ex iustitia, nostra, sed ex misericordia sua: Ideo sequitur. *Per viscera misericordia Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto*. Et bene ait, *per viscera misericordia*, idest per interiorem & occultam Dei misericordiam æternaliter in arcano diuini consilij secreto præordinatam, & per Christum nobis temporaliter exhibitam. In quibus, videlicet, misericordiæ visceribus, *visitauit nos oriens ex alto*. O mira & optanda visitatio, qua Christus

stus visitauit nos *oriens ex alto*, idest, ex sinu Patris altissimoque diuinitatis consilio temporaliter ortus in mundo.

Huius autem diu optatæ visitationis effectus sequitur, *illuminare his, qui in tenebris sedent*, idest, patribus in limbo tunc existentibus; quos Christus illuminauit, quando post resurrectionem pro eorum liberatione ad inferna descendit. Nec solum illis Christus illuxit, sed etiam illis, *qui sedent in vmbra mortis*; idest, adhuc viuentibus in hoc mundo, quorum vita, quasi quædam est vmbra mortis; quos tamen ipse per orbem vniuersum sua, suorumque discipulorum illuminauit doctrina. Sed ad quid illuminauit? *Ad dirigendos* inquit, *pedes nostros in viam pacis*. Hoc est, quod ait psalmus, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, quia videlicet doctrina Christi, qui est æternum verbum, lucerna est *ad dirigendos pedes nostros*, idest, affectus nostros, *in viam pacis*. Sed quid est, quod hic singulariter dicitur, *in viam pacis*: cum supra pluraliter dictum sit, *praibis parare vias eius*? Sane hoc ideo, quia cum plures sint viæ Domini; omnes tamen in vnam tendunt *viam pacis*: Illius videlicet pacis æternæ, idest, finalis obdormitionis in Deum, & *in idipsum*; hoc est, in eum, cui soli vere dicitur, *tu semper idem ipse es*, *consummata* quietis, quam optando canebat psalmista, *In pace in idipsum dormiam & requiescam*. Ad quam nos dirigat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

MEDI-

MEDITATIO DEVOTA IN CANTICVM IVSTI SYMEONIS, *Nunc dimittis.*

PROLOGVS.

ACCEDIT vltimo Canticum Symeonis, cuius deuota meditatio primo huius operis causa & occasio fuit. Nam quia senex iste, mortique propinquus, hoc canticum edidit: Ideo senex ego, & propinquam mortem expectans, incertus, in huius expositione cantici senectutis meæ laborem impendere studui: Et tanti misterij contemplatione paulisper quiescere, & vtinam finaliter in pace in idipsum fæliciter obdormire. Hoc itaque canticum paruum quidem est in verbis, sed magnum in sententiis: Vnde pro ipsius alta profunditate facilius penetranda, nobis est breuis hystoriæ narratio præmittenda. Sicut ergo refert Lucas Euangelista, *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ*, idest, quadraginta dies à Christi natiuitate: *tulerunt parentes puerum Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino*; idest, vt eum in templo offerendo Domino præsentarent. O mira Virginis humilitas; quæ semper purissima fuit; legem purificationis, ad quam non tene-

tenebatur, obseruare voluit: sicut & eius filius legem circumcisionis, & alia legalia, ex humilitate seruare dignatus est. Vnde & dederunt hostias pro eo, par turturum, aut duos pullos columbarum: Insuper redemerunt eum quinque siclis argenti. Tunc vero erat in Hierusalem Symeon *senex homo iustus & timoratus, qui responsum acceperat à spiritu sancto non visurum se mortem nisi videret prius Christum Domini*, idest Christum Dominum, quem vocat *Christum Domini*, quia eum vere credidit filium Dei. Ipse ergo senex eodem spiritu sancto repletus, venit in templum, quia per reuelationem cognouit, quod ipse videret Christum, sicut erat ei promissum: & tunc accepit puerum Iesum in vlnas suas; O magnum cordis gaudium! Sicut enim *spes, quæ differtur, affligit animam*: Sic, vt sapiens ait, desiderium si completum delectat animam. Quid ergo mirum, si gaudet senex, diu desideratum puerum oculis videns, & brachijs tenens: qui tamen, nisi à puero oculis suæ misericordiæ videretur; nisi à puero in brachijs suæ potentiæ teneretur, regeneraretur, & sustentaretur, mox diuino defectus auxilio rueret, & in nihilum redigeretur. Hoc itaque humiliter recognoscens, benedixit Deum: & pro tanto beneficio gratias agens dixit.

CAN-

CANTICVM SYMEONIS.

NVNC *dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Alloquitur seruus Dominum: & exemplo Mariæ, quæ humilitatis magistra, se *ancillam* nominat, Symeon iustus & timoratus, se humiliter *seruum* vocat. Sed attendite qualis sit iste seruus: Sane talis est seruus iste qui sicut nec illa, ita nec ista timore seruili sed amore filiali Domino seruiebat. Cuius rei gratia multiplicem timorem possumus distinguere, seruilem, mundanum, initialem, filialem. *Seruilis* timor est, secundum Hugonem, pro euitanda pœna abstinere à malo, retenta voluntate mala; *Mundanus* vero timor est pro euitanda pœna abstinere à bono, retenta voluntate bona. *Initialis* timor est, pro euitanda pœna, cum peruerso opere, etiam prauas cogitationes resecari *filialis* timor est, bono firmiter adhærere, quia illud nolis amittere. Ex hijs quatuor timoribus, duo mali sunt idest seruilis, & mundanus; duo vero boni, idest, initialis, & finalis. De malo timore poeta egregius ait, *Oderunt peccare mali formidine pœna.* De bono vero; *oderunt peccare boni* non formidine sed *virtutis amore.* Ideo au-

mor *initialis* dicitur, quia sub eo per bonam voluntatem & virtus initium capit, & vitium finem: necdum tamen perfectio est, quia ipsum bonum solum propter seipsum non amatur: sed accedit charitas, & intrat per timorem istum, & dum conuerterit cor ad Deum, sequitur timor *filialis*, qui ex succedente charitate nascitur, vt ipsum timere nihil aliud sit, quàm degustatum in charitate bonum iam nolle amittere, sed velle ei propter seipsum totaliter inhærere. Ideo dicit Apostolus, *perfecta charitas foras mittit timorem*; expellendo videlicet timorem malum, & inducendo timorem bonum.

Non ergo in malo, sed in bono timore Symeon Domino seruiens, se seruum Domini nominabat, dicens, *nunc dimittis seruum tuum Domine*. Vbi notate verbum *nunc dimittis*, & in aduerbio *nunc*, signate mysterium. Est enim *nunc* temporis, & est *nunc* æternitatis. Est *nunc* temporis, de quo dicunt Philosophi, non habemus de tempore nisi *nunc*. Est *nunc* æternitatis, de quo dicunt Theologi, quod ipsum *nunc* est æternitas. Optat ergo dimittere *nunc* temporis, vt valeat possidere *nunc* æternitatis. Econtra vero multi propter retentionem temporalium, perdunt possessionem æternorum: quibus merito dicitur, *Ve vobis, qui nunc ridetis*, in ipso videlicet modico *nunc* temporis, *quia plorabitis & flebitis* in futuro *nunc* æternitatis. Non sic autem non sic sanctus iste Symeon: sed propter æterna cupiens temporalia dimittere, suspirans, ait, *Nunc dimittis seruum tuum Domine*. Quasi dicat. Nunc opto Domine, vt di-

mitatis

mittas me de hac vita transire: Nunc cupio in mea senectute mori, vt in tua, quæ nunquam senescit, æternitate, ad immortalem vitam valeam peruenire. Nunc toto corde & animo concupisco vt dimittas seruum tuum *in pace.*

Sed in qua *pace?* Est enim pax multiplex quæ etiam à sanctis potest rationabiliter concupisci. Est *pax temporis*, est *pax pectoris*, idest tranquilitas mentis, est insuper *pax æternitatis*, Prima est ad proximum, secunda ad seipsum, tertia ad Deum. Quæ licet quandoque inchoatur in hac vita, in futura æternaliter consummatur. Hanc ergo *pacem æternitatis* præ cæteris desideratam optabat iste sanctus, dicens; *dimitte me Domine secundum verbum tuum: in pace*. Idest, secundum promissum tuum; quia *responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.*

Et ideo sui desiderij causam subdit. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum* Lætanter enim desiderabat descendere ad limbum patrum, ex quo spiritualiter coguouerat, & corporaliter viderat Salnatorem natum. *Viderunt*, inquit, non solum spirituales, sed & corporales *Oculi mei salutare tuum*. Et bene ait *salutare tuum*, quasi Deo Patri loquens, Christum confiteretur Dei Filium: & ideo salutare suum, nec tamen solum suum, sed etiam salutare nostrum: quia nobis a Deo datus est ad salutem omnium electorum.

Sed quale sit & quantum istud salutare, subiungit dicens. *quod parasti ante faciem omnium populorum* idest, quod æternaliter præparatum,

 tempo-

temporaliter declarasti, *ante faciem*, idest, ad notitiam *omnium populorum*. quia incarnationis & redemptionis mysterium per doctrinam Christi & prædicationem suorum discipulorum, omnibus populis, non solum Iudæorum, sed etiam gentilium, notum factum est: dicente Propheta, *In omnem terram exiuit sonus eorum*. Et ideo de hijs omnibus loquens subdit, *lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël*. Quasi dicat, Christum, non solum fuisse lumen præparatum vni populo, sed omnibus: quia *ad reuelationem gentium*, idest illuminationem gentilium, quia populus gentium secundum Prophetam, prius *ambulabat in tenebris*; & etiam specialiter *ad gloriam plebis suæ Israel*. Quia Iudæis specialis gratia fuit, eis ad fidem conuersis, vt specialis gloria, quod Christus ex eorum plebe humanam carnem assumpsit.

Sed in præmissis Symeonis verbis merito considerandum est, quod hic in puero Iesu triplex laudatur bonum, contra triplex in humano genere vituperabile malum. Dicitur enim Iesus *salutare*; dicitur, *lumen*, dicitur *gloria*. Ipse qui ppe *salus* est peccatorum, ipse *lumen* iustorum, ipse *gloria* beatorum. Hæc vero tria Christi bona, remedia sunt contra tria humani generis mala: Iesus enim *salus* est contra nostram *malitiam*; Iesus *lumen* est contra nostram *ignorantiam*, Iesus gloria est, contra nostram *miseriam*. O igitur bone Iesu, ô vtinam sis nobis Iesus, idest, saluator, salutare, & *salus*, nostram malitiam per tuam potentiam sanans! Vtinam sis nobis *lumen*, nostram *ignorantiam* per tuam misericordiam saluans, Magna quippe est *mi-*

seria

seria nostra, ideoque ad nostram salutem, opus est vt magna sit misericordia tua. Nisi ergo magna fuerit misericordia, qua sanetur magna miseria, non eris vtique nobis *Iesus*; quia non eris nobis *salus*. De te namque ab Angelo dictum est, imo à Deo per Angelum, *vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Sicut ergo non est sine Iesu salus: sic omnino nec sine salute Iesus.

Hæc igitur ad laudem pueri Iesu videre mihi videor senem Symeonem in præmissis sui cantici verbis longe altius, quam exprimere potuerim, designasse. Audiuimus itaque senem puerum laudantem: audiamus etiam aliquid ad huius senis laudem. Laudatur enim & multis ac magnis præconijs commendatur in Euangelio. Laudatur in primis, quia *iustus*, in quo vniuersa morum honestas notatur: quia iustitia communis est virtus, quæ in diuinis scripturis censetur omnium virtutum connexio. Laudatur deinde, Quia *timoratus*, in quo humilitas designatur, quia humilis timor Dei, non seruilis, sed filialis, vt dictum est, virtutum omnium custos esse creditur: scriptum est enim, *qui timet Deum, faciet bona*. Quare faciet bona? Quia timor Dei custos est ne fiant mala: imo vere, si timor Dei verus est, promotor est vt fiant bona. Laudatur insuper quia *expectans consolationem Israel*: quomodo expectans? Vtique fide, spe, atque charitate. Sane talem hospitem diligit Deus: & tale cordis hospitium eligit, vbi fide firmiter creditur, vbi spe desideranter expectatur, vbi charitate feruenter atque perseueranter amatur. Lauda-

tur etiam quia *spiritus sanctus erat in eo*, quomodo enim non esset spiritus sanctus in tali hospitio? imo vero quomodo tale esset hospitium, nisi spiritus sanctus esset in eo.

O magnum & admirandum Dei cum hoc homine consortium! Habuit quippe spiritum sanctum vt hospitem, & sui cordis habitatorem, quia *spiritus sanctus erat in eo*: Habuit etiam vt doctorem, quia *responsum acceperat à spiritu sancto*, habuit denique vt ductorem quia *venit in spiritu*, idest, ducente spiritu sancto, venit *in templum*, vt posset merito cum psalmista dicere *spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Sed in quam terram? Non vtique solum in illam terram, in qua erat templum terrenæ Hierusalem, sed in illam cœlestem terram, in qua est spirituale templum Hierusalem, quæ visio pacis dicitur, de qua idem psalmista loquitur dicens. *Portio mea in terra viuentium*.

Ex præmissis igitur senex iste Symeon ad suscipiendum puerum Iesum conuenienter dispositus ostenditur: & ideo, quem tamdiu tantoque desiderio suscipere expectauit, tandem cum magno cordis iubilo gaudenter suscepit. Vnde dicitur, *Accepit eum in vlnas suas*, idest, inter brachia sua. Senex debilis puerum fortem, idest, Deum omnipotentem, & senis debilitatem confortantem portauit. Vbi considerandum occurrit, quod senex iste pueri huius confortatus auxilio, quantum ad moralem sensum attinet, ipsum tripliciter portasse aduertitur videlicet, in præcordiis, in brachiis, in labiis: portauit enim Iesum in *præcordiis* suis, ipsum toto corde diligendo; portauit in *bra-*

chÿs suis, ipsi per bonam operationem seruiendo; portauit in *labÿs* suis, ipsius nomen & laudem anunciando. Vnde nobis datur exemplum, quod non solum ore, sed simul corde, & opere, ipsum suscipere debeamus, & portare. Quia ergo sanctus iste senex, non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter puerum Iesum suscepit: ideo eum laudare, & benedicere meruit. Vnde post Canticum laudis, sequitur in Euangelio, quod *benedixit eis*, videlicet puero, & Mariæ matri eius. Licet enim ipsi maiores essent Simeone in sanctitate: ille tamen maior erat quantum ad sacerdotis officium; ad quem spectabat benedicere populum. Nec solum *eis benedixit*, sed etiam de eis prophetauit: Vnde futuram Christi passionem prædixit. *Ecce* inquit, *positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël*. Quod ideo dictum est, quia ex passione Christi multi Iudæi fuerunt scandalizati, & à veritate priuati in erroris ruinam ceciderunt: Multi vero, qui postea ad Christi fidem & fidei veritatem conuersi sunt, à Christo illuminati, ab errore & ignorantia resurrexerunt.

Subdit autem de puero loquens, *quod erit in signum cui contradiceretur*: quia videlicet Christo Dei filio, qui signum erat fœderis inter homines, & Deum; & verus mediator Dei & hominum, multi contradixerunt filij hominum: non solum Iudæorum, sed aliorum etiam populorum: de quibus per psalmistam dicitur, *Filÿ hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & queritis mendacium?* Iterum verò de eadem Christi passione prophetans

Simeon ait ad Mariam: Et *tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Idest, passio ipsius pertransibit animam tuam per dolorem compassionis: non enim sine materno amore potuit videre crucifigi filium, etsi resurrecturum speraret. Vel ita potest exponi, *animam ipsius*, quæ & *tua* est, quam scilicet quasi tuam diligis, *pertransibit gladius* passionis.

Eadem autem hora superuenit & *Anna* prophetissa, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. O igitur sancta, & Deo grata societas, *Iesus, Maria, Simeon, & Anna*. Conueniunt Deus & homo; mater & Virgo. Maria, cum Iesu vero Dei Patris & Virginis Matris Filio: Conueniunt pariter cum eis Propheta, & prophetissa, inspirati spiritu sancto; conueniunt vtique ad præsentandum Deo Patri Deum Filium suum. In templo sancto suo. Sed vbi eras ô sancte Ioseph? Vtique, huic societati non deeras: Aderas enim Mariæ sponsæ tuæ cui Virgini, tu Virgo, quamdiu vixisti, & virginitatis testis, & matris ac filij fidelis custos fuisti. O mira tot & tantorum ac sanctorum conuenientia vnanimiter procedentium ad præsentandum Christum in templum! O veneranda processio, quam in purificatione Mariæ ab omni peccato omnino purissimæ tot & tanti in vnum conuenientes sancti facere meruerunt! Quapropter Ecclesia in tanti mysterij venerationem in festo purificationis celebrem agit processionem, quia Maria & Ioseph, Simeon & Anna, in templo Christum Dominum præsentauerunt.

Vbi considerandum nobis est, quod tres procef-

processiones, tanquam præcipuas, sancta festiuat Ecclesia: quarum prima fit in purificatione Mariæ; secunda in celebritate primi Paschæ; tertia in Domini ascensione. Prima fit, cum lucernis; secunda cum floribus, & palmis; tertia cum crucibus & vexillis; quæ omnia nullatenus credenda sunt spirituali vacare mysterio. Vt autem hæc inuestigare valeamus, sciendum est, quod, sicut quidam egregie ait, *omnis animæ rationalis profectus constat ex tribus, In obtinenda videlicet cordis munditia, cordis iustitia, cordis lætitia.* Primum pertinet ad puritatem, secundum ad sanctitatem, tertium ad fœlicitatem. In primo, anima mundatur à vitio; in secundo, ipsa dotatur merito; in tertio, ditatur præmio. Hoc est ergo quod significare volunt tres istæ processiones principales atque præcipuæ. *In prima* quidem processione, quæ fit cum lucernis, significatur cordis illuminatio, ac totius vitæ munditia. *In secunda*, quæ fit cum floribus & palmis, notatur cordis iustitia, quæ in duobus consistit, vt, videlicet in floribus fiat innouatio profectuum, in palmis perseuerantia meritorum; in floribus instantia proficiendi, in palmis constantia perseuerandi. *In tertia* vero, quæ fit cum crucibus & vexillis, designatur cordis lætitia, certe in cruce caro affligitur, vt spiritui obediens mortificetur: vexillum verò in victoriæ signum extollitur, & supra ipsum etiam, qui portat, cum lætitia in altum leuatur. In cruce igitur carnis mortificatio, in vexillo intelligitur mentis eleuatio, seu mentis alienatio. Mentis eleuatio, in eo, quod vexillum in alta extollitur: mentis alie-

 natio,

nutio, in eo, quod à portatore supra portantem leuatur. Magna ergo sunt harum processionum mysteria, nec ea hic explicanda suscepimus: sed de prima solum processione nobis sufficit, si parum aliquid dicere valeamus.

Cum ergo illam processionem cordis munditiam significare dixerimus, cur eam in festo purificationis Mariæ celebramus, quæ sine concipiendo, siue parturiendo, nec cordis nec carnis immunditiam, cogitationisque maculum contraxit, ac ideo ipsa omnino purissima, nec purificari debuit, nec in hac parte legis præcepto subiacuit? Sed quæstionis huius solutionem faciliùs inueniemus, si ad famam potius, quam ad Virginis conscientiam attendamus. Ab omnibus namque, qui eam peperisse sciebant, & sine virili semine de spiritu sancto concepisse nesciebant: præuaricatrix legis diceretur, si purificationis obseruantiam præteriret, quæ prolem genuisset. Hanc itaque præuaricationis notam a sua fama detersit, in eo quod legem illam, cui nihil debebat, impleuit, iuxta illius exemplum, qui circumcisionis legem seruauit: quia, vt, ipse ait, *non venerat legem soluere sed adimplere*. Iuxta hoc ergo exemplum multa expedit præter debitum modo facere, modo omittere, vt falsæ suspitionis notam possimus vel præuenire, vel euitare. Si igitur tanto studio purganda est fama, à suspitione falsa: quanto magis ab infamia vera? etsi satagendem est ad emendationem famæ, multo ampliùs ad purgationem conscientiæ. Omni ergo tempore, sed in ipsa maximè purgationis festiuitate, lucernas portare monemur: vt ipso

ipſo lumine non ſolum manifeſta, ſed occulta dedecoris diligenter quærere, & inueſtigare, arguere & accuſare, damnando flere, & flendo purificare valeamus hæc eſt itaque prima proceſsio, quæ fit pro cordis munditia, & conſcientiæ purgatione: per quam venitur ad ſecundam quæ fit pro cordis iuſtitia, & ſanctitatis adeptione; ac denique ad tertiam, quæ fit pro cordis lætitia, & fælicitatis conſummatione: hic in ſpe, per gratiam: & in re deinde per gloriam, quam ipſe præſtare dignetur, qui gratiæ & gloriæ largitor eſt, Chriſtus, regnans cum Patre & ſpiritu ſancto per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

INCIPIT EXPOSITIO DOMINI PETRI DE AILLYACO CARDINALIS ET EPISCOPI CAMERACENSIS; super cantica canticorum.

PROLOGVS.

OSCVLETVR *me osculo oris sui* Iste liber dicitur *canticum amoris*: vel, *canticum cantici*; seu *cantica canticorum*. Singulariter enim dici potest *canticum*, propter vnitatem amoris, quia quidquid hic canitur, amor est. Sed pluraliter dicitur, *canticorum*, propter diuersitatem personarum hic loquentium: quæ sunt, *sponsus*, idest Christus; *sponsa*, idest, *Ecclesia*, vel, quælibet *anima* sancta; vel specialiter *Virgo beata*; de qua totus liber iste pene legitur, & cantatur; *sodales sponsi*, vel, *amici*, idest, *Angeli*, & omnes qui in virum *perfectum* veniunt; *Adolescentulæ*, idest, *incipientes* & adhuc teneri in fide. Ad hoc propositum vide glosam *Materia* ergo huius libri sunt *sponsus & sponsa*: *Intentio* Salomonis est, hortari sponsam ad oscula & amplexus, & ab omni amore adulterino reuocare: Vnde patet falsitas errorum illorum, qui dicunt,

dicunt, Salomonem hunc librum composuisse ob amorem concubinæ carnalis, quam amore fornicario diligebat. Finis enim huius libri est, *dilectio*, non quidem carnalis, sed *spiritualis*, sponsi & sponsæ, idest, Christi & Ecclesiæ. Vide glosam. *Titulus* talis est: *Incipiunt cantica canticorum Salomonis*. Siue, *canticum cantici*: sic dictum, propter excellentiam. Est enim triplex canticum: scilicet canticum in *exitu vitiorum*, de quo Exodi 25. quando Moyses cecinit in exitu filiorum Israel de Ægypto; canticum *in progressu virtutum*, de quo dicitur Deuteronomi. 32. quando cecinit Moyses. *Audite cœli quæ loquar* &c. Et canticum *in consummatione bonorum operum*, de quo hic. Vnde glosa: Si vis ascendere &c.

In hoc ergo libro Salomon canit Epithalamium sponsi & sponsæ, siue nuptiarum Christi & Ecclesiæ: Quæ quidem nuptiæ fiunt in consummatione bonorum operum; Nam tunc Ecclesia Christo nuptialiter coniungitur, quando ipsa in virtutibus perfecta est, & in bonis operibus consummata. Continet autem liber iste solum octo capitula: quæ etsi breuia sint in verbis, longa tamen in sententijs. In processu expositionis huius libri non intendo insistere curiosis distinctionibus seu continuationibus capitulorum, vel partium ad inuicem: sed, quia liber iste dialogus est, in quo sunt quattuor personatus, sponsi, videlicet, & sponsæ, sodalium, & adolescentularum, sicut ex dictis patet: ideo solum intendo vti quadam distinctione clausularum, vt appareat quando sponsus loquitur, vel sponsa, vel sodales sponsi, vel adolescentulæ sponsæ.

CA-

CAPITVLVM PRIMVM.

HAbet igitur primum capitulum octo partes: In quarum *prima* hæc verborum series continetur. *Osculetur me osculo oris* & cętera & sunt verba Ecclesiæ in persona antiquorum, Christi aduentum in carnem desiderantium.

PRIMA PARS.

DIcit ergo *osculetur me*, Scilicet Deus Pater *osculo oris* idest, vnione filij Dei. Vel *osculetur me osculo oris sui* idest, non loquatur mihi Moyses, vel Isaias, vel alius prophetarum: sed ore suo filius Dei me erudiat. Vel *osculetur me osculo oris sui*, Idest, blandum & hilarem se mihi exhibeat, non asperum, vel terribilem, sicut in veteri testamento. Sunt autem tria circa istam litteram notanda: *Primum* est, quod non dicitur hic, *osculetur me* ore suo, sed *osculo oris sui* quia non patrem per vnionem coniugij postulat, sed filium Patris. Qui os id est, verbum patris dicitur.

Secundo notandum, quod in hoc osculo tria sunt consideranda. Primo; quia labia sese osculantium se consolant *Secundo*, interiores anhelitus consociant; *Tertio* corpora ipsa sibi inuicem appropinquant: In *primo* signatur coniunctio naturalis humanitatis & verbi diuini; In *secundo* vnio spirituum diuini & huma-

ni; *In tertio*, comparticipatio passionum Christi & Christiani.

Tertio notandum, quod triplex est osculum scilicet, *ad pedes*, per peccatorum remissionem; *ad manus*, pro gratiarum actione; *ad os*, per mutuam dilectionem. Quia igitur osculum oris signum est dilectionis, fœderis, & reconciliationis, homagij, & matrimonij: Ideo Ecclesia hæc omnia per incarnationem Christi & vnionem verbi diuini se adepturam sperans, eum per osculum petit dicens, *osculetur me osculo oris sui*; & causam subdit; *quia meliora sunt verba tua vino* idest, refectio præsentiæ tuæ, vel Euangelicæ doctrinæ, melior est feruore legis, vel quibuslibet alijs documentis, sunt enim *fragrantia unguentis optimis* idest, redolentia donis spiritussancti.

Vel, per vbera sponsi possunt intelligi longanimitas expectantis, & clementia suscipientis. Et per verba sponsæ, congratulatio, & compassio. Lac autem istorum vberum, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, vt dicit Apostolus.

Sequitur: *Oleum effusum nomen tuum*. Vbi alia causa redditur, quare sponsa osculum petit, scilicet, quia *nomen tuum* quod est Christus est *oleum effusum* CHRISTVS enim ad litteram interpretatur *vnctus*. Est igitur hoc *nomen effusum*, quia lassos confortat, languidos sanat, cæcos illuminat, & omni nomini supernatat; & ideo, quia teipsum non datur amplecti, interea odor nominis tui mecum ex desiderio pernoctabit.

Vel potest exponi *nomen tuum* idest; fama nomi-

nominis tui, est *oleum effusum* idest, toti mundo manifestum. *Ideo adolescentula*, idest, rudes in fide, *dilexerunt te nimis*. Vnde in feminino dicitur *adolescentula*, ad exprimendum vehementiam amoris, quia ardentius amant. Si igitur propter effusionem solius nominis, adeo ardenter & vehementer diligitur sponsus: Quod erit, cum res ipsa, & veritas apparebit? De omnibus enim, quæ sponso conueniunt, nihil nominare potuit, quod longiùs à veritate ipsius esset.

SECVNDA PARS.

TRrahe me post te. Hucusque fuit vox Ecclesiæ, in persona præcedentium aduentum Christi: Hæc autem est vox eius post ascensionem. Vnde, quia nemo venit ad Deum, nisi tractus, iuxta illud, *nemo potest venire ad me*. &c. Ideo Ecclesia post ascensionem Christi alloquitur Christum dicens. *Trahe me post te*. Quasi diceret, Trahe me quodammodo inuitam vt reddas voluntariam; Trahe me torpentem, vt reddas currentem; Trahe me, quia retinet propria ponderositas; Trahe me, quia retrahit mundi suauitas. Et ideo, trahe me, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis, aut blandiendo beneficijs. Trahe me igitur *curremus*, scilicet, ego, & adolescentulæ meo exemplo excitat. *In odorem vnguentorum tuorum*. Idest, in virtutem donorum tuorum, non in vigore meritorum nostrorum. Vel *in odorem vnguentorum tuorum* in imitatione operum tuorum,

rum, in consideratione miraculorum, vel in fama nominis tui, & tuorum Apostolorum. De quibus dicitur, *Christi bonus odor sumus*:

Sequitur. *Introduxit* Dixerat enim, in quo currendum, scilicet in odore vnguenrorum tuorum: Nunc dicit, ad quid currendum, scilicet ad cellaria sponsi; dicit autem. *Introduxit me* quia, licet omnes currant, ipsa tamen, quæ ardentiùs amat, velociùs currit, & ideo citiùs sola ad terminum peruenit. *Introduxit* ergo *me Rex in cellaria sua* Diuersa cellaria diuersæ sunt Ecclesiæ particulares. In eadem domo, seu eadem Ecclesia generali: quia Arca Noë, licet vna fuerit, Ecclesiæ vnitatem præfigurans: plures tamen habuit camerulas condistinctas. Vel diuersa cellaria, diuersę sunt intelligentię scripturarum. Vel, *introduxit me Rex in cellaria sua* idest, in Ecclesiam triumphantem, in qua *mansiones multa sunt introduxit.* Scilicet, nunc in spe tandem in re.

Sequitur. *Exultabimus* Ecclesia enim loquitur ad sponsum, grata de beneficijs, non elata dicens, *exultabimus & latabimur in te*, non in nobis, sicut superbi, & ingrati; nec in cellarijs tuis, idest, in gaudijs tuis, sicut mercenarij: Sed *in te* sicut veri filij, & amici. *Memores vberum tuorum super vinum* idest, super austeritatem legis, vel, voluptatem carnalium desideriorum, quæ inebriant mentem *exultabimus* inquam in futuro, ad plenum & non modo. Vel, secundum Bernardum, hæc potest esse vox adolescenturarum congratulantium sponsæ, & dicentium, *exultabimus in te*. Non in nobis, quia non meruimus introduci. *Memores vberum tuorum*

rum idest, meritorum tuorum dulcium nobis: *super vinum* scilicet præteritæ iocunditatis carnalis. *exultabimus* inquam, quia *recti diligunt te recti*, scilicet, idest, illi, qui non sunt ingrati. Quod dicit propter sorores murmurantes, & sponsæ inuidentes: Et ad eundem sensum potest esse vox sponsæ ad sponsum dicentis. *Recti* idest, non ingrati *diligunt te*. Vide glosam.

TERTIA PARS.

N*igra sum* &c. Vox est sponsæ adolescentulas exhortantis, & eas ad passionum tolerantiam, & perseuerantiam inducentis, & murmur blasphemantium compescentis, quasi diceret, vos vultis mecum in cellaria introduci, non ergo vos terreat tribulatio; quia & ego *nigra sum* scilicet exterius, tribulationibus & pressuris, *sed formosa* scilicet, interius virtutum decoramentis. *Nigra* secundum statum præteritum sub peccato; *sed formosa* secundum statum præsentem sub gratia; *nigra* iudicio mundi, *formosa* iudicio Dei; vel *Nigra* in aliquibus vestrum, scilicet in peruersis: Sed formosa in fidelibus & iustis. Nigra sum igitur sed *formosa filia Hierusalem* scilicet, illius Hierusalem, quæ libera est, & quæ est mater nostra. Ad Galat. 4. Omnes autem vocat *Filias Hierusalem*, propter fidei confessionem, sacramentorum susceptionem, fidelium societatem, & futuræ salutis spem. *Nigra sum* igitur, *sicut tabernacula Cedar*. Cedar filius Ismaelis, *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.*

&

& nullum inter homines habens locum, sed in tabernaculis, pro nequitia sua, semper habitans: sic & iusti pro meritis suis creduntur expelli, & affligi; & quasi hostes omnium iudicantur. Vnde dicitur; *Eritis odio hominibus propter nomen meum*. Sic etiam Ecclesia, quasi nullum habens hic habitaculum, semper est in militia, & ventis tribulationum exposita: Exterius ergo, *nigra est, sicut tabernacula Cedar* sed interius, *formosa, sicut pelles Salomonis* quibus scilicet ipse texit tabernaculum, vt dicit glosa. *De pellibus* inquit, *rubricatis fecit sibi tabernaculum Salomon*. Hæc glosa. Sed dubium est, vnde hoc sumpsit glosa: cum hoc de Salomone nusquam legatur in Biblia: Hoc autem de Dauide 2. Regum 12. & 1. Paral. 17. Potest autem dici, quod Salomon Templum ædificauit, & verisimile est, quod donec ipsum totum perfecisset, ipsum texit pellibus preciosis, & de his loquitur textus & glosa.

Sequitur *Nolite me considerare, quod fusca sim, &c.* Quia enim dixerat *nigra sum*; ideo subdit, *nolite &c.* quasi diceret, non vos terreat hæc nigredo; quia non est naturalis, sed accidentalis. nam *decolorauit me sol*, scilicet, sol tribulationis, in qua Deus illucet, dando in temptatione prouentum; vel, sol iustitiæ, propter cuius amorem hoc patior. Vnde nota, quod iustitia Ecclesiam colorauit, decolorauit, & recolorauit: Colorauit in natiuitate; decolorauit in passione; recolorauit in resurrectione. Et ita dici potest de Beata Virgine, quod sol iustitiæ eam colorauit in conceptione; decolorauit in morte; recolorauit in assumptione.

sequi-

Sequitur. *Filij matris meæ &c.* Vbi declarat, quod dixerat; Dixerat, se decoloratam, propter passiones tribulationum: ideo hoc declarando subdit, *filij matris meæ*, idest, Iudæi, qui sunt filji ex eadem matre, scilicet, Synagoga; sed non ex eadem patre, quia eis dicitur, *Vos ex patre Diabolo estis*: Ioannis 8: isti ergo *filij* adulterini, *pugnauërunt contra me* scilicet. disputationibus, & afflictionibus; *posuerunt me custodem in vineis*, scilicet, in vineis gentium *vineam meam non custodiui*, idest, locum vineæ, scilicet Hierusalem incustoditum dimisi, licet inuita, & expulsa. Hanc autem vineam suam dicit, quia ad eam specialiter missa fuerit; ab ipsa tamen expulsa fuit, tempore Christi, & Apostolorum; ideo ad vineam gentium, idest, ad prædicationem fidei, & eruditionem gentium, se conuertit. Iuxta illud, *ecce conuertimur ad gentes &c.* Vel, ista mater, de qua hic loquitur, potest dici *Eua*, cuius motus sunt motus culpabiles, affectiones carnales, & temptationes pœnales, quæ omnia contra primitiuam Ecclesiam pugnauerunt.

QVARTA PARS.

I*Ndica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas vel vbi pascat* secundum aliam litteram. Si autem littera habeat *vbi pascat* tunc est vox Ecclesiæ gentium ad Ecclesiam Iudæorum quasi diceret Ecclesia gentium, idest, Ecclesia assumpta ex gentibus, posita sum custodiæ in vineis, sicut & tu: Sed ne fallar in multitudine hæreti-

hæreticorum, & hypocritarum, *indica mihi* scilicet, Sponsum tuum, *quem diligit anima mea, vbi pascat & vbi cubet* idest, in quibus delectatur, & quiescat, *in meridie* idest, In splendore maiestatis suæ. Vbi notandum, quod cœnaculum sponsi matutinum, sunt ipsi boni actiui, qui bonis operibus eum pascunt: Sed cubiculum meridianum sunt ipsi contemplatiui, qui diuinis contemplationibus eum suscipiunt.

Secundo nota, quod triplex est Christi cœnaculum, vel cubiculum, scilicet matutinum vespertinum, & meridianum. *Matutinum* fuit ipsa Synagoga, in Patriarchis, & Prophetis; *vespertinum*, erit quando reliquiæ eorum saluæ fient, vt dicit scriptura; sed *meridianum* fuit Ecclesia post ascensionem, quando in die Penthecostes sol iustitiæ feruore caritatis suos discipulos igne Spiritussancti visibiliter inflammauit.

Si vero littera habeat *vbi pascis vbi cubes* tunc est vox adolescentularum ad sponsam, & erit idem sensus, & eadem expositio, quæ prius. *Ne vagari &c.* idest, ne vaga. errabunda, & hæsitans, curram post multitudinem hæreticorum, hypocritarum, & falsorum fratrum: qui Deum ore confitentur, factis autem negant. Vnde sodales dicuntur, de quibus Ecclesiastici 37. *Sodalis amico coniocundatur in oblectationibus, & in die tribulationis aduersarius erit*. Vel *Indica mihi* potest esse vox sponsæ post sudores vitæ actiuæ, refectionem & quietem vitæ contemplatiuæ optantis. Est autem contemplationis quasi hora matutina cogitatio; quasi hora tertia, meditatio; quasi meridies visio, quam optat;

tat; quasi hora vespertina, cognitio per creaturas. Vel meridies, potest intelligi Ecclesia triumphans quam sibi indicari optat Ecclesia militans, ibi pasci & cubari cum sponso cupiens.

QVINTA PARS.

SI ignoras, & cætera. Vox est sponsi sponsam arguentis: petierat enim sibi indicari cænaculum sponsi, & cubiculum, quod ipsa est: Ideo videtur ignorare seipsam; vel ad id refert, quod dixerat, se nigram, decoloratam, & fuscam: cum ipsa sit colorata, candida, & pulchra. Dicit ergo. *Si ignoras te* scilicet, quæ & qualis sis, Vel, *si ignoras te* per tribulationem pulchriorem fieri, ô *pulcherrima inter mulieres* idest, super omnes infirmorum congregationes; quasi diceret: tu videris hoc ignorare, & male. Et ideo *egredere* scilicet à meo consortio, vel amplexu, Et nota quod hic non tenetur verbum *egredere* imperatiuè, sed permissiuè vel promissiuè. Quia promittit, & prædicit, quod euenturum erat: quasi diceret *egredere* idest, egredieris, *& abi* idest, abibis *post vestigia gregum tuorum* post varios actus errantium; *& pasce* idest, pasces praua doctrina, *hædos tuos*, idest, peruersos auditores, vel prauos motus carnales, & fætidos nutries: *iuxta tabernacula pastorum* scilicet, secuta scholas prauorum, & doctrinas iniquorum magistrorum. Vel *iuxta &c.* idest iuxta veros doctores, vt eis simi-

similes videaris: cum tamen futura sis eis dissimilis, & aduersa.

Sequitur *equitatui &c.* Vnde quia sponsus non vult sponsam ignorare seipsam, propter quod increpando dixerat, *Si ignoras &c.* Ideo post comminationem & increpationem blandicijs vtitur, & per beneficia ipsam ad cognitionem sui reducit, dicens. *Equitatui meo* idest, populo Israelitico *assimilaui te* idest, similem feci: vt sicut ille populus vsque ad transitum maris rubri semper afflictus ab Egyptijs, ita tu à filijs matris tuæ, vsque ad mortem. Et ordinabitur sic littera. O *amica mea* idest, custos & conscientia secretorum meorum, *assimilaui te* idest, similem esse monstraui. *Equitatui meo* idest, populo Israelitico, existenti *in curribus Pharaonis*. idest, existenti tempore curruum Pharaonis, idest, in tempore currentibus persecutionis Pharaonis; & sicut illum tunc liberaui: ita & te liberabo; ideo debes constanter & patienter huiusmodi persecutiones sufferre. Vel dic, *assimilaui te equitatui meo*, Scilicet ad equitaudum. *in curribus Pharaonis* idest, contra currus Pharaonis, scilicet, currus malitiæ, auaritiæ luxuriæ & cuiuslibet iniquitatis: Equitatus autem sponsi sunt equorum apparatus, quorum alij sunt dextrarij armis scilicet patientiæ armati; alij palofredi, idest contemptatiui, qui Dominum suauiter portant; alij summarij, vt prædicatores, qui victualia & arma virtutum aliis circumferunt; aliis curriles, vt, prælati boni, qui pectore & humeris, idest sapientia & operatione plebem quasi currum ad cælum trahunt. Iste ergo equitatus sponsi, qui assimilatur

milatur sponsa, continue certat contra currus Pharaonis, idest, diaboli, ideo dicitur, *assimilaui te &c.*

Sequitur *pulchra sunt*; vnde quia sponsa nigram & fuscam se causata fuerat, ideo sponsus de hoc eam confortans, eius pulchritudinem describit, incipiens à genis, vbi pulchritudo mulierum maxime videtur apparere; Genas autem Ecclesiæ prædicatores dicimus, in quibus deformitas, vel pulchritudo Ecclesiæ maxime consistit. Genis autem *turturis* assimilantur, quia turtur amisso compare nulli alteri associatur, & pro cantu gemitum assumit: Sic Ecclesia separata corporali præsentia à sponso nullum extraneum admittit consortium, & sola sedet, sua & aliorum peccata gemens. Dicuntur etiam ipsi prædicatores *collum* Ecclesiæ quia collo verba proferuntur, cibus in corpus trahitur, corpus capiti iungitur: Sic de prædicatoribus. &c Prædicatores etiam *monilibus* comparantur, quia pectus Ecclesiæ verbis & exemplis muniunt, ne adulter Diabolus manum suam inserat; & ornant pectus Ecclesiæ, sicut virginale pectus, monilibus adornatur ideo dicitur, *Pulchra sunt genæ &c.* Sed quia Ecclesia vere posset dicere. Vere pulchra sum vt asseris, sed non habeo vnde meum possim seruare decorem. Ideo subdit sponsus. *Muremulas aureas* idest. Sacrarum scripturarum summas vel quaslibet institutiones bonas *faciemus tibi* scilicet, ego, Pater & Spiritussanctus; vel ego & mei coadiutores Apostoli, seu Apostolici viri *vermiculatas argento* idest, distinctas nitore sacri eloquii iuxta capacita-

tem

tem auditorum. Alia littera aliter habet. Sed de hoc vide glosam. Hic autem notandum est, *murana* piscis est rotundus & longus, per quem Christi æternitas & Ecclesiæ longanimitas accipi posset: Est etiam quoddam ornamentum aureum, vnde *murenula*, dicit possunt cathenæ, quibus monilia colligantur collo Ecclesiæ, idest, prædicatoribus est ligata. Item in auro spiritualis intelligentia, & in argento vitæ munditia accipitur: pro qua decor Ecclesiæ custoditur. Ideo dicit *murenulas aureas vermiculatas argento.*

SEXTA PARS.

C*Vm esset Rex accubitu. &c.* Vox est sponsæ ad sodales sponsi, vel ad adolescentulas: Vbi ostenditur, qua deuotione sponsi beneficia susceperit & quantum ex eis profecerit; & quid pro eis fecerit, dicens *cum esset Rex in accubitu suo* idest, in vtero Virginis in conceptione, vel in patibulo Crucis in passione; vel in sinu Patris in ascensione; *nardus mea* quæ est herba humilis, & calida, idest, humilitas & charitas mea, *odorem suum dedit* idest, bonam opinionem, mandata eius & consilia implendo; vel in persona Beatæ Virginis *cum esset Rex in accubitu suo* idest, in sinu Patris & Filij Dei; *nardus mea* idest humilitatis *odorem suum dedit* neque enim cedrus, neque cypressus, neque alia arbor alta: sed sola nardus, *odorem suum dedit*; propter quod in Virginem descendit, quia scriptum est, *respexit humilitatem ancillæ*

 suæ,

suæ, Lucæ primo. Vel potest dici in persona Mariæ Magdalenæ. *Cum esset Rex in accubitu suo* idest, Christus in mensa, in domo Lazari. *Nardus &c.* idest vnguentum nardi pistici, quod Magdalena effudit in caput Christi.

Sequitur. *Fasciculus mytra dilectus meus mihi* idest tota congeries tribulationnm, quas dilectus meus pro me sustinuit, nunquam à memoria mea recedet: sed semper erit mihi præsens per recordationem & compassionem. Et ideo *inter vbera mea commorabitur*; vbera antem sponsæ dici possunt, gratitudo & humilitas, quæ maxime sponsum alliciunt & delectant. Hic autem est notandum, quod Christus dici potest fasciculus myrræ, quia myrrâ potatus & myrra & aloe pollinctus. Vel per fascilnm *myrræ*, vt iam tactum est, possunt intelligi amaritudines plurium tribuiationum Christi. Nam myrra arbor est Arabię cuius gutta, etiam myrra dicitur: Et est multum amara.

Sequitur *Botrus cypri &c.* quia Ecclesia dixerat, Christi passiones semper suæ adesse memoriæ: ideo subdit, quem fructum inde consequitur, dicens *botrus cypri* factus est supple *dilectus meus mihi* idest, factus est causa lætitiæ in resurrectione: qui fuerat mihi *fasciculus myrræ* idest, causa amaritudinis & tristitiæ in passione. *Cyprus* enim insula, est florida, & abundans racemis vinum dulce facientibus, & forte: botrus autem est vua cum palmite, & signat Christum floridum, fortem, & dulcem in resurrectione. *Engaddi* vero ciuitas est eadem, quæ & Hiericso, vbi fuit olim vinea balsami, quam Cleopatra transtulit in Babilonem Ægipti.

ti. Arbores autem Balsami, quia in modum vinearum excoluntur, vineas appellat. Dicit ergo *botrus cypri dilectus meus mihi* idest dulcis, fortis, & floridus, factus est mihi dilectus meus, & apparet *in vineis Engaddi*. Idest, in collectionibus gentium, seu quorumlibet peccatorum, qui de hædis fonte baptismatis facti sunt agni: *Engaddi* enim fons hædi interpretatur. Vel, *botrus cypri factus est mihi*, ille, scilicet qui habitat *in vineis Engaddi* idest, in his, qui ex temptatione florescunt; vel in his, qui in temptatione oculo cordis Deum recognoscunt. *Engaddi* enim alia interpretatione dicitur *oculus temptationis*. Fuit ergo Rex, idest, Christus in accubitu suo in vtero Virginis existens, fuit *fasciculus myrræ*; in cruce pendens & moriens fuit *botrus cypri*; de morte ad vitam resurgens; fuit *in vineis Engaddi* Spiritumsanctum visibiliter mittens: Tunc enim vino spirituali & Balsamo totam Ecclesiam suam inebriauit.

Ecce ergo quam breuiter & succincte Ecclesia quattuor beneficia sponsi recolligit, & cum gratitudine recognoscit: Vnde per primum inuitatur ad humilitatem; per secundum excitatur ad deuotionem; per tertium erigitur ad spem; & per quartum inflammatur ad amorem. His igitur quatuor beneficijs & quatuor virtutibus Ecclesia pulchra effecta: statim à sponso audire meruit *Ecce tu pulchra*.

SEPTIMA PARS.

ECce tu pulchra. Vox est sponsi admirationem facientis super pulchritudine sponsæ: Vnde notandum, quod bina vice dicit eam pulchram, vel quia ipsa iteratio pulchritudinis, confirmatio est amoris; vel in signum duplicis pulchritudinis, scilicet, interioris & exterioris; vel vtriusque populi, scilicet, Iudæorum & gentium pulchritudinem notat; vel vtriusque vitæ, actiuæ & contemplatiuæ. Tu igitur *pulchra es* & vere pulchra; quia *oculi tui columbarum* idest affectio & intentio habent simplicitatem columbinam, sine plica prauæ dilectionis in affectione; vel erroneæ opinionis in intentione. Vel, *oculi* sponsæ sunt Doctores, qui comparantur *columbæ*, per decem conditiones quas vide in glosa Gregorij.

OCTAVA PARS.

ECce tu pulcher. Vox est sponsæ admirationem facientis super pulchritudinem sponsi: Mos est enim sese amantium mutua collaudatione lætari, vnde sponsa à sponso laudata reciproce eum laudat, dicens. *Ecce tu pulcher* quasi diceret. Tu dixisti me pulchram; sed mea pulchritudo non est ex me, sed ex te: *tu enim pulcher es* per naturam, ego à te pulchra sum per gratiam; tu *pulcher es* secundum diuinitatem: *Decorus* secundum humanitatem; *pulcher* in

in ſolio Patris, *decorus* in vtero Matris; *pulcher* iuſtis gloriam conſerendo, *decorus* pœnitentibus indulgentiam largiendo. Cum igitur ego pulchra ſim, & tu pulcher: non reſtat niſi vt intremus lectulum, & iungamus oſcula: & quia palam hoc rogare, vel petere erubeſcit verecundia muliebri ſuffuſa: ideo hoc eſt, quod clàm inſinuare videtur, cùm dicit *Lectulus noſter floridus* ergo in eo quieſcamus.

Lectulus iſte eſt Eccleſia tota, in quo ſponſus cum ſponſa quieſcit. Eſt autem floridus roſis martyrum, lilijs virginum, & violis confeſſorum. Dicit autem *lectulus* diminutiuè: quia etſi duos capiat, ſcilicet ſponſam & ſponſum, hoc tamen non poteſt niſi prope ſint, & in dilectionis vnitate coniuncti. Et dicitur *noſter*, quia bona opera, & filij, qui in hoc lectulo generantur, communes ſunt ſponſi & ſponſæ.

Sequitur *Tigna domorum noſtrorum cedrina* quaſi diceret, non ſolum lectulus noſter pulcher eſt, ſed etiam domus pulchra. Quia *tigna domorum noſtrarum cedrina*, Tigna, captiones dicuntur: quia mutuo ſe capiunt, vel quia bina iunguntur, parietes enim ſtringunt, altiorem locum tenent, & tectum ſupportant. Per iſta vero *tigna* prædicatores intelliguntur; qui & *cedrini* dicuntur, quia alti per ſapientiam intellectus, & imputribiles per munditiam affectus. Ergo *Tigna domorum noſtrarum cedrina* ſed *laquearia noſtra cypreßina* iſta *laquearia* ſunt ſimpliciores in Eccleſia: qui etiam ſunt imputribiles & redolentes, ſicut cedri; De hac domo nota gloſam.

CAPITVLVM SECVNDVM.

EGo *flos campi* hoc est ſecundum capitulum huius libri, quod continet nouem partes. In quarum PRIMA ſponſus ſponſam alloquitur. Quia enim ipſa eum inuitauerat ad amplexus, ipſe ei reſpondendo eam ad ſtrenuitatem certaminis, & laborem agriculturæ inuitat, dicens *Ego flos campi*. Quaſi diceret, Tu ſponſa quietem appetis: Sed *ego ſum flos campi*, per laborem certaminis obtinendus; brauium, in ſtadio currentibus, corona in campo certantibus: nihil me iocundius inueniunt, qui pro me certant: Nihil fortius, qui pro me laborant *ego* igitur *ſum flos campi*, non flos lecti; *flos campi* ideſt, Filius Virginis, quæ fuit campus incultus, qui florem edidit decorum aſpectu, tactu leuem, guſtu medicinalem, olfactu delectabilem. Sum igitur *flos campi* omnibus ad capiendum expoſitus, & *lilium conuallium* ideſt gloria humilium, vel clementia peccatorum: quia non veni vocare iuſtos ſed peccatores.

Sequitur. *ſicut lilium inter ſpinas &c.* Adhuc ſponſus ſponſam laudando, eam ad patientiam prouocat: quaſi diceret, tu quæris requiem ſæculi, ſed ſcias, quia candidior & pulchrior tribulationum aculeis efficieris: quia *ſicut lilium inter ſpinas*, candet, creſcit, & redolet: *ſic anima inter filias* ideſt hæreticos, & fratres falſos; vel *inter filias*. Scilicet, adulterinas, ideſt ſe-

ctas

ctas Ecclesiæ contrarias: Nam quanto pretiosius & laudabilius est lilium spinis: tanto sponsa huiusmodi filias adulterinas præcellit. Hic autem notandum est, quod *lilium* in radice, quæ sub terra latet *fidem* signat; in hastili alto recto & virenti, *spem* in granis aureis *charitatem*: sex vero folia candida sex sunt quæ constanter præcipuæ conseruant scilicet *sobrietas, operatio, cultus asperitas, custodia sensuum. Raritas sermonum, vitatio oportunitatis peccandi* scilicet loci, personæ &c. Vel potest exponi. *Sicut lilium* idest, sicut ego fui lilium, idest ignoscens *inter spinas* idest Iudæos; Vel *spinas* coronæ spineæ, quam in cruce sustuli: *sic amica mea inter filias*. Vel sicut lilium in spinas ita Beata Virgo omnes alias Virgines præcessit &c.

SECVNDA PARS.

S*Icut malus*. Quia sponsus sponsam laudauerat, ipsa non inde in superbia extollitur: Sed laude reciproca ipsum attollit, dicens, *sicut malus inter ligna siluarum* idest, sicut omnia ligna antecedit: *Sic dilectus meus inter filios*, sic Christus omnes sanctos & angelos excellit, respectu cuius infructuosi iudicantur. Hic autem sciendum est quod *malus* in hyeme est rugosa in vere est spinosa, in autumno fructuosa: ideo Christus huic arbori merito comparatur, quia ipse etiam fuit in passione rugosus, in resurrectione floridus, in prædicatione fructuosus. Item sciendum. quod Christus huic arbori aliunde rationabiliter comparatur: Quia *malus*

inter arbores sublimes est exigua; inter leues rugosa; inter planas spinosa: Sic etiam Christus sui, inter superbos humilimus; inter delicatos doloribus plenus, inter hypocritas peccator reputatus.

Sequitur sub vmbra illius. *Malus* enim habet vmbram & fructum: & hæc duo sponsa sole suscata priùs petierat, quando dixit, *Indica mihi vbi cubes vbi pascas &c.* Et ideo ipsa exaudita clamat lætabunda, *Sub vmura illius quem desideraueram* idest sub protectione secura, sub refrigerio quieta, sub odore vmbraculi lætabunda *sedi*; scilicet docendi auctoritate prædita, regendi dignitate sublimata, & iudicandi potestate honorata *& fructus eius &c.* Scilicet pœnitentiæ, contemplationis, vel prædicationis, vel *fructus* scilicet corporis & sanguinis eius, *Dulcis gutturi meo* idest, inferiori affectioni.

TERTIA PARS.

I*Ntroduxit me &c.* Hæc est vox primitiuæ Ecclesiæ de Iudæis, & est hic rectus ordo: Quia postquam locuta est sponsa de fructu, consequenter loquitur de vino & de potu, dicens. *Introduxit me Rex in cellam vinariam* Vbi sciendum quod *cella aquaria* potest dici lex secundum litteram exteriorem, *cella* autem *vinaria* est ipsa lex secundum spiritum interiorem, idest, iuxta spiritualem intelligentiam: In nuptijs enim Christus aquam in vinum conuertit: Qui etiam aquam litteralis ruditatis in vinum spiri-

ſpiritualis ſubtilitatis mutauit. Vel *cella vinaria* eſt ſpiritualium bonorum affluentia, quibus Ioſeph inebriatus pallium reliquit egyptiacæ, ideſt, temporalia mundo; vel *cella vinaria* contemplationis gratia, vel, cœleſtis ſapientia, vel clauſtralis vita.

Sequitur. *ordinauit in me charitatem*; *ordinauit*, inquam, quia aliquibus maiorem, & alijs minorem contulit, Vel *ordinauit charitatem* oſtendens qualiter Deus, & qualiter proximus ſit diligendus: Vt ſecundum Auguſtinum, *primo* quod ſuper nos eſt diligatur, *ſecundo* quod nos ſumus, ideſt, anima noſtra; *tertio* quod iuxta nos, ideſt, homo vel Angelus; *quarto* quod infra nos, ideſt, proprium corpus, Vel, ſecundum aliam gloſam, vt primo Deus, ſecundo ab homine ipſemet diligatur, tertio parentes, deinde filij, poſtea domeſtici, qui ſi boni ſint malis filijs ſunt præponendi, tandem inimici. Vide gloſam.

QVARTA PARS.

F*vlcite me &c.* Hæc eſt vox Eccleſiæ ad ſocios ſponſi: vnde ſponſa prius vmbra refrigerata, fructu cibata, calice potata, munere charitatis ornata, & propter ad hoc ſuperna erecta: ne ab hac perfectione deficiat, ad ſocios ſponſi ait; *fulcite me floribus* ideſt exemplis bene incipientium roborate; & *ſtipate me malis* ideſt, exemptis perfectorum munite; *quia amore languo* ideſt propter amorem ſponſi defectum in temporalibus ſuſtineo; vel, pænas carnis ſuſtineo;

neo; vel, in huius mundi peregrinationa amore supernæ visionis langueo. Vel *fulcite me floribus* idest sanctis desideriis; vel, *floribus* virtutum, & non folijs verborum: *& stipate me malis* idest, operationibus bonis.

Sequitur. *Laua eius &c.* Vnde quia sponsus viderat sponsam languentem, & debilem: ideo leuam suam capiti eius supposuit; propter quod sponsa in gratiarum actionem erumpens ait, *laua eius sub capite meo & dextera illius amplexabitur me.* Vbi sciendum est quod per *lauam sponsi* eius iustitia accipitur: Et per *dextram* misericordia; vel per *lauam* comminatio supplicij, & per *dextram* promissio regni perpetui vel per *lauam* potestas secularis, vita actiua, vel bona temporalia; per *dextram* vero potestas Ecclesiastica, vita contemplatiua, vel bona æterna intelliguntur. Et ideo de *dextra* gloriæ æternæ dicit, quod *amplexabitur*, non quod *amplexetur*. Et ad hoc propositum vide glosam.

QVINTA PARS.

ADiuro vos &c. Hæc est vox sponsi ad adolescentulas sponsæ: vnde sponsus volens ostendere, quantum miseratur laboribus sponsæ, & quantum eam suis amplexibus habere gaudeat: his verbis insinuat, dicens; *Adiuro &c.* Quasi diceret, ô vos filiæ hierusalem idest plebes mihi subditæ, *adiuro vos per capreas ceruosque camporum* idest per amorem, quem debetis vestris Doctoribus & Prælatis, *ne suscitetis neque*

euigi-

euigilare faciatis dilectam ideſt, ne aliquid faciatis, propter quod oporteat ſponſam meam dilectam, in meo amore & meis amplexibus quieſcentem, quietem contemplationis relinquere, & veſtris litibus vel peccatis curandis intendere, quod autem ſubdit, *donec ipſa velit*; notat & innuit, eam aliquando ex propria voluntate ſurrecturam ad procurandum vtilitatem ſubditorum: Scilicet tempore oportuno.

Hic autem eſt notandum, quod per *capreas* conuenienter intelliguntur Doctores, qui viſum habent perſpicacem, ardua paſcua quærunt, herbas mundiores comedunt: Per *ceruos* vero Prælati. Vide gloſam. Secundo ſciendum eſt, quod iſti, qui capreæ & cerui dicuntur eſſe, in montibus ſapientiæ cœleſtis & diuinæ contemplationis verſentur ideo dict *per capreas ceruoſque camqorum* qui in montibus habitant.

SEXTA PARS.

V*Ox dilecti &c* Hæc eſt vox ſponſæ ad adoleſcentulas: quia enim ipſa animaduertit, quod latenter ei præcipitur, vt aliquando ſurgat: ideo ipſa ſe ſurracturam promittit. Sed primo oſtendit, quis ille ſit, pro quo ſurgit, dicens *vox dilecti* quaſi diceret: O vos adoleſcentulæ, facta eſt mihi vox dilecti mei, ideſt, dilectum meum audiui: Et quia poſſent quærere adoleſcentulæ, vbi eſt dilectus tuus, quomodo eius vocem audiſti? Ideo ſubdit *Ecce iſte venit &c*. Vbi nota quod per *ſaltum in montibus*, poſſunt intelligi ſubitæ apparitiones eius in

in montibus factæ ad litteram, sicut patet in nouo & veteri testamento; vel per *montes* possumus intelligere sanctos maiores; per *colles* vero sanctos minores; in quibus nec Deus ita apparet, nec refulget, sicut in maioribus. Vel dicamus. *Ecce iste venit*, scilicet de sinu Patris in vterum Virginis. *Saliens in montibus* scilicet de monte in montem, idest de Seraphin in Cherubin. Et sic de alijs, vsque ad Angelos, qui sunt sub alijs ordinibus inferiores; ideo dicit *& transiliens colles* idest Angelos, quos scilicet ipse transilit, quando non Angelus de ordine inferiori, sed Archangelus Gabriel missus est ad Virginem: sed in regressu de vtero Virginis in sinu Patris, nam ita Angelos inferiores transilit, sed prima die hospitatus est apud eos: Vnde ipsi quærebant, *quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra*: Et secunda, apud Archangelos, & ita de alijs consequenter, donec sol per gradus decem lineas reuersus est, & decima die mansit apud Patrem: Et tunc misit Spiritumsanctum. De saltibus Christi vide glosam.

Similis est dilectus &c. Vbi ostendit sponsa, qualis est dilectus, qui ita salit & transilit: dicens, *Similis est dilectus meus capreæ* bene saliendo *hinnuloque ceruorum*, Affectus humilitate, Cursus velocitate, virtutum varietate. Sed pro hac littera vide glosam Sequitur *En ipse stat* vbi notandum, quod triplex est paries noster: scilicet natura humana, de qua psalmus: *Tanquam parieti inclinato; & maceriæ depulsæ*: Peccatorum macula, Ezechielis. 8. *Filij hominis fode parietem & videbis abominationes &c.* Diuitiarum

uitiarum farcina, psalm. *In Deo meo transgrediar murum*. Dicit ergo sponsa ad adolescentulas *eu ipse stat post parietem* quasi diceret. Bene dixi, quod venit. Quia *ecce ipse stat post* hunc triplicem *parietem nostrum* ac si diceret, ipse prope est, sed ipsum videre impedit paries noster. Et *primo* natura humana nostra, quæ sua obscuritate impedit visum; *secundo* peccatorum macula, quæ obnubilat sensum; *tertio* diuitiarum seu bonorum terrenorum sarcina, quæ aggauat intellectum. Sed quod Christus non est impeditus his tribus, ideo stat post parietem, *respiciens per fenestras* idest, per Apostolos, per quos respicit, idest recte aspicit, & *prospiciens per cancellos* idest per Prophetas, per quos *prospicit*, idest, procul aspicit. Christus enim per Apostolos locutus est de præsentibus: Per Prophetas autem de remotis: Sequitur. *En dilectus* quasi diceret. Non solum respicit me, sed etiam *loquitur mihi* & locutio nihil aliud est, quàm ad laborem vitæ actiuæ excitatio, quod sequentia verba declarant.

SEPTIMA PARS.

S*Vrge prepara &c.* Hæc est vox sponsi sponsam ad laborem vitæ actiuæ exhortantis: Dicit ergo. *O amica mea* quæ amas, & amatis, *columba mea*, Simplex, non inuida, sed Spiritusancto repleta. *Formosa mea*, Fide & morum compositione, vel Ecclesia dicitur *amica* Christi, quia eius lucra quærit, *columba* quia in oratione gemit; *formosa* quia diuinę similitudinis decorem

corem in contemplatione induit; Tu igitur *sur-ge* à lecta contemplationis, ad laborem vitæ a-ctiuæ, scilicet ad opus prædicationis. Nam & ego sponsus tuus quietem meam cum patre quodammodo pro prædicatione intermisi; *pro-pera*, quia tempus breue, & malitia in moribus inualescit; *& veni* scilicet ad dandam curam salutis proximis: vt cum magno comitatu ad nuptias cælestis Regis valeas ingredi.

Vel *surge* scilicet à somno culpæ, ad vigilias pœnitentiæ; ab amore terrenorum, ad deside-rium æternarum; *propera* quia tempus breue, via longa, & pericula multa; *& veni* ad me, sponsum tuum, magistrum tuum; Et secundum hanc expositionem etiam potest esse vox Chri-sti ad animam deuotam.

Sed ne sponsa excusationem prætendat propter tempus vel viam: Ideo subdit. *Hyems* scilicet infidelitatis, *transijt*; *imber* persecutio-nis *abijt* & loquitur pro tempore confessorum, quia tempore Apostolorum, & Martyrum *hyems* erat, & *imber* innundabat. *flores* idest. Initia bonorum operum, *apparuerunt in terra nostra*, idest, in Ecclesia gentium, quam & tu & ego excolere debemus: Tu plantando & ir-rigando, ego vero incrementum dando, & per hoc venit *messis*. Ideo subdit *tempus putationis aduenit* idest, collectionis bonorum, & remu-nerationis.

Vbi notandum est, tria esse tempora: scili-cet *tempus temptationis*, quod fuit ante legem, regnante diabolo; *tempus visitationis*, quod fuit sub lege, regnante Moyse; *tempus putationis*, quod est sub gratia, regnante Christo. *In primo*

vero

voro tempore *seruus* expectabat ymbram *legis*: *In secundo mercenarius* finem *operis*; *In tertio filius*, *gloriam* animæ & corporis.

Sequitur *vox turturis* ideſt, vox Spiritusſancti, qui gemit, ideſt, gemere nos facit, *audita eſt in terra noſtra* ideſt, in Eccleſia, ſcilicet, quando Gabriel dixit, *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te &c.* Lucæ primo. Vel *vox turturis* eſt ſonus Apoſtolorum, & Prædicatorum, qui auditus eſt *in terra*, quia *in omnem terram exiuit ſonus eorum*. Vel *vox turturis* ideſt, Eccleſiæ, quæ abſentiam ſponſi inconſolabiliter gemit.

Quod autem vox turturis audita ſit, probat cum dicit, *Ficus protulit groſſos ſuos*, *ficus* ideſt; ſynagoga *protulit* ideſt proiecit, *groſſos ſuos* ideſt coremonias ſuas, & immaturam legalis obſeruantiæ intelligentiam. Groſsi enim dicuntur fructus immaturi: Hoc ergo factum eſt audita voce turturis, ideſt, Spiritusſancti &c. *vineæ florentes* ideſt congregationes fidelium in primitiua Eccleſia, *florentes* ideſt credere incipientes, *dederunt odorem ſuum*, ideſt famam ſanctæ conuerſationis, ſicut alibi, *Chriſti bonus odor ſumus.*

Ex quo igitur tanta tanta eſt oportunitas prædicandi, *ſurge anima mea*, quæ amas me, ſi paueris oues meas; ſicut dictum eſt de Petro. *Speciosa mea columba mea & veni* ſcilicet gradiendo propriâ & non coactâ voluntate. *In foraminibus petra* ideſt in fide vulnerum Chriſti, de quo. Corinthiorum 1 *Petra autem erat Chriſtus*. *In cauerna maceria* ideſt in fide lanceati, & foſsi lateris Saluatoris: Vel *in foraminibus petræ, in cauerna maceria* ideſt, foraminoſa & ca-

uernoſa

uernosa prædicatiane Apostolorum, idest, inculta per sapientiam mundi, & reputata stnlta apud mundum.

Sequitur. *Ostende mihi &c.* Christus enim primo cœpit facere, deinde docere (Actuum primo) & idem docet Ecclesiam, dicens, *ostende mihi faciem tuam* scilicet in bona operatione; *& sonet vox tua in auribus meis* scilicet in ista prædicatione. Et dicit *ostende mihi* vt propter Deum; non propter mundum fiat prædicatio. Dicit etiam *in auribus meis* idest, non in auribus hominunm, ne propter eornm fauorem fiat prædicatio. Vel *in auribus meis* idest, morum, non canum, vel porcorum: De quibus dicitur, *nolite sanctum dare canibus* Matthei 8.

Vel, animæ peccatrici dici potest, *ostende mihi faciem tuam* quam tibi dedi immaculatam, & tu eam peccatorum turpitudine maculasti. *Ostende* inquam *mihi* vel vicario meo spirituali, per confessionem, *sonet vox tua* scilicet vox quinque partita, idest vox confessionis, laudis, orationis, doctrinæ, prædicationis. Hæc enim sunt quinque verba Apostoli, Prima Corinthiorum 14. *In auribus meis* idest auribus misericordiæ, clementiæ, & compassionis. Quia *vox tua dulcis* quia laudem meam resonat: *& facies tua decora* idest intentio, operatio, conscientia, vel vita, *decora* scilicet, quia voci consona: aliter non bene concordaret psalmus cum cythara, voci ergo consona, moribus ornata, & pristinæ pulchritudini restituta.

Quia vero non sufficit Doctoribus & Prælatis vitam bonam ostendere, prædicationem docere, nisi & errantes corrigant, & maleuolos

los compescant: ideo subdit, *capite nobis* scilicet retibus doctrinæ, & venabulis disputationis; *nobis* non vobis, idest, ad laudem nostram, & gloriam diuinam, non ad laudem vestram, & vanam gloriam humanam; *vulpes paruulas* idest hæreticos, & scismaticos, callidos & cautos; *paruulas* idest, dum paruulæ sunt in malitia, & in fraude: ne maiores effectæ plus noceant. Vel *paruulas* per simulationem simplicitatis; & humilitatis; *quæ demoliuntur vineas* idest, Ecclesias roduut, & corrumpunt: *nam vinea nostra floruit* & ideo florenti vineæ sunt vulpes nociuæ.

OCTAVA PARS.

D*ilectus &c.* Vox est sponsæ ad adolescentulas, suam obedientiam ostendentis: siquasi diceret. *Dilectus meus mihi* supple præcipit, vt ego surgam de vita contemplatiua ad actiuam. *Et ego illi* supple obedio. Vel *dilectus meus mihi* supple, adest præueniendo *& ego illi* adsum cooperando, iuxta illud. *Dei adiutores sumus*. Vel dic, sicut glosa. Et quasi aliquis quæreret, quare ita sponsa sponso obediat? respondet *qui pascitur inter lilia* idest, quia ipse *pascitur* idest, delectatur *inter lilia* idest, inter humilas obedientes. Vel *lilia* virtutes sunt, in quibus dilectus pascit & pascitur. *Donec aspiret dies* idest donec clarescat dies æternitatis, *& inclinetur umbra* idest transeant omnes hæreses & errores; vel *umbra* dicuntur reprobi, qui inclinabuntur

nabuntur in infernum, & tunc aspirabit dies æternitatis ipsis beatis.

NONA PARS.

R*Euertere.* Vox est sponsæ, videntis se insufficientem ad ea quæ iubetur facere: nisi assit speciale adiutorium sponsi; quasi diceret sine te nihil possum; ideo *reuertere* adiuuando me per gratiam tuam; *similis esto dilecte mi capreæ* propter acuciem visus *hinnuloque ceruorum* propter agilitatem cursus. *reuertere* inquam *super montes Bethel* idest in excelsis mentibus perfectorum conscende, qui sunt *Bethel*, idest domus consurgens; vel domus vigiliæ, vel domus Dei; quasi diceret: Licet discedam à te dimittendo paulisper contemplatiuam tui, propter actiuam & consolatiuam proximi: tamen ex toto non discedo; sed *reuertere* assistendo mihi, illuminando me, & velociter adiuuando.

CAPITVLVM TERTIVM.

I*N lectulo.* Hoc est tertium capitulum huius libri quod continet quinque partes. In quarum prima hæc verborum series continetur. *In lectulo meo &c.* Et est vox Ecclesiæ de gentibus, desiderium, quod ante conuersionem habuit, exprimentis: *In lectulo meo* idest in amore mundi,

di, vel in voluptate carnis, vel in ocio quietis, à ſtrepitu mundi: Quod dicitur propter Philoſophos gentiles; *Quæſiui* ſcilicet ducatu rationis naturalis, *quem diligit anima mea* naturali dilectione; *per noctes* ideſt Philoſophicas rationes, vel per creaturas. Vel, in noctibus peccati erroris, ignorantiæ, & aduerſitatis exiſtens, *quæſiui* multoties *& non inueni* quare? non recte, vel non vbi erat inueniendus, quærebam. Vel, quia nec Angelus, nec Propheta, nec Doctor mihi lumen fidei reuelauit, *fides enim ex auditu eſt*, ſecundum Apoſtolum. Et ideo dixi animo meo *ſurgam* ſcilicet à triplici lecto prędicto, ſcilicet, mundi, carnis, & quietis: *& circuibo ciuitatem*, ideſt Eccleſiam, *per vico & plateas*. *Vici* ſunt ſpirituales viri, qui dum ad cœleſtia gradiuntur, anguſtam viam tenent. *Plateæ* vero ſunt ſæculares, qui malas voluptates ſequuntur, & lata via incedunt. Per vtroſque igitur circuit ſecundum gloſam. *Quæram quem diligit anima mea* ideſt, quæram ſi ſit ibi aliquis, qui ſit ille, vel qui ſciat me docere, qualiter debeat inueniri. *Quæſiui, & non inueni* ideſt, plurimo labore mundo peragrato, ſapientum verbis diſcuſsis, nihil certum habere potui de via veritatis: *inueñerunt me cuſtodes ciuitatis* ideſt, cuſtodes Eccleſiæ inuenerunt me, ideſt, ad fidem conuerterunt. Philippus enim Eunuchum inuenit Act. 8. Et Petrus Cornel. Act. 10. *Cuſtodes* ergo *ciuitatis inuenerunt me*, & tunc dixi eis, *Num quem diligit anima mea vidiſtis*? ſcilicet, in ſcripturis, in creatutis; vel potius in fide, & inſpiratione. *Paululum* ideſt, paulo poſt, *cum pertranſiſſem eos* ideſt, cum facta & dicta eorum per-

percurrissem: *inueni quem diligit anima mea*, quia quam cito aliquis Denm vero intuitu inquirit, statim eum inuenit.

Tenui illum in manu fidei *nec dimittam* scilicet eum, vel fidem eius; *donec introducam illum in domum matris mea*, idest, in collectionem Synagogæ, quod erit in fine sæculi; quando reliquiæ eorum saluæ fient. Vel, posset exponi moraliter, de lectulo religionis, & de ciuitate sæcularitatis; &c. Vel de lectulo studij & lectionis, & de ciuitate moralis operationis. Et cætera.

SECVNDA PARS.

A*Diuro vos &c.* Hæc est vox sponsi ad adolescentulas: Vnde sponsus percipiens sponsæ obedientiam & auiditatem alios conuertendi, vt citùs, & liberiùs hoc fieri possit, adiurat filias Hierusalem, idest, Iudæos nouiter conuersos: vel Iudæos, qui Ecclesiam de gentibus præcesserunt; vt sponsæ non parent impedimentum. Et potest iste versus proportionabiliter exponi, sicut priùs: non tamen inutililer repetitur, vt dicit glosa. Vide.

TERTIA PARS.

Q*Va est ista?* Hæc est vox Ecclesiæ de Iudæis, videntis Ecclesiam de gentibus, de deserto idolatriæ ad alta virtutum & sponsi amplexus ascendere: vnde super hoc gaudens, admi-

admiratur, & dicit, *quæ est ista*, idest, quanta laude digna, *quæ ascendit*, scilicet de vanitate ad veritatem, de vitijs ad virtutem; *per desertum* idest, per medium gentium desertarum à gratia & veritate; Vel, *per desertum* idest, per mundum *sicut virgula fumi*, facti *ex aromatibus myrræ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij*. Vbi notandum quod hic Ecclesia *virgulæ* comparatur, quia recta est in intentione; erecta in spe; fragilis paupertate; flexibilis mansuetudine. Item *fumo* comparatur, quia calida in amore, leuis sine peccatorum pondere, & ascendens in contemplatione. Item *fumo* comparatur, quia fumus eodem tempore partim inferiùs oritur, & superiùs moritur: Ita Ecclesia partim in quibusdam gignitur, & in alijs ad cœlestia colligitur. Et quanto magis ascendit ad cognitionem Dei, tanto magis nihil efficitur in consiperatione sui, *sicut fumus &c.* Hic autem *myrra* pœnitentiam significat; quæ vermes motuum carnalium necat, & animam à corruptione peccati seruat. *Thus* vero orationem designat, quæ in conspectu Dei redolet & fragrat. Vniuersitas enim pulueris pigmentarij vniuersitatem virtutum notat. Patet ergo mysterium. Potest etiam hoc moraliter exponi de ascensu animæ pœnitentis, & ad alta virtutum per desertum pœnitentiæ ascendentis. Vel, de ascensu gloriosæ Virginis. Et est planum.

QVAR-

QVARTA PARS.

EN *lectulũ* Hæc est vox Ecclesię de gentibus, respondentis ad questionem; *qua est ista &c.* Vnde quia Ecclesia de Iudæis ascensum Ecclesiæ de gentibus admiratur, quærens, *qua est ista? &c.* Ideo ad hanc quæstionem respondet, ipsa gentilitas, determinans, quo ascendat, scilicet, ad lectulum Salomonis; dicens *En lectulum* idest, me effectam lectulum Salomonis, idest Christi veri pacifici. *sexaginta fortes* idest, vniuersi prædicarores fortes ad onera & ad pugnam: exercitati idest operum misericordiæ & decalogi impletione perfe&i, *ambiunt*, scilicet contra incursus hostium *ex fortibus Israël* idest, ex perfectioribus contemplatiuis, qui ad Dei visionem seu cognitionem laborant: qui sunt tenentes gladios, scilicet tres gladios: *Primus* est gladius doctrinæ. Scilicet *gladius spiritus*, quod est verbum Dei. Ephe. 6. contra hostes & aduersarios veritatis: *Secundus* est gladius disciplinæ, contra motus temptationis carnalis & rebelliones sensualitatis. *Tertius* est gladius potestatis iudiciariæ qui est Principum & Prælatorum contra hostes iustitiæ & æquitatis *Et ad bella doctissimi* scientia docti, sapientia Doctores; & experientia doctissimi. *Vniuscuiusque ensis super femur suum* scilicet ad repellendum prompte hostium nocumenta. *Propter nocturnos* idest, temptationes occultas, vel pecata ignorantiæ, vel temptationes carnis, quæ maximè de nocte infestant.

Se-

Sequitur. *Ferculum fecit sibi.* Ferculum istud dicitue à *fero fers.* Et est idem, quod vehiculum, vel currus, vel cathedra vel thronus. Vnde notandum est, quod Ecclesia priùs cõparata fuit *virgula*, propter deuotionem orantium; secundo *lectulo*, propter quietem contemplantium; tertio nunc crmparatur *ferculo*, propter discursum prædicantium. Dicit ergo *ferculum fecit sibi*, quasi diceret, non est ex me si ascendero, sed ex Deo. Quia *Rex Salomon* Rex pacificus, & amabilis Domino, idest, Christus, *fecit sibi ferculum* quo feratur per mundum: *De legnis libaui* idest, de gentibus primo aridis, & infructuosis, sed postea fortibus patientia, celsis sapientia, pretiosis temperantia, odoriferis fama, imputribilibus perseuerantia, candidatis innocentia. *Columnas eius fecit argenteas* idest, prælatos, & Doctores altos, per sapientiam; rectos per iustitiam, fortes, per constantiam, alios portantes per compassionem & misericordiam: sicut argentum per sacræ scripturæ doctrinam & eloquentiam. *Reclinatortum aureum* idest, speculatores &c. Vide glosam. *ascensum purpureum* idest martires &c. Vide glosam *media charitate monstrauit* idest huiusmodi martyres affligi & mori permisit, mediante charitate.

Et hoc totum factum est *propter filias Hierusalem*, idest propter infirmos de Ecclesia confirmaudos: quos ideo *filias* vocat, non filios. Vel *media* protest esse aceusatiui casus; & tunc exponatur sicut glosa.

Vel de Beata Virgine potest dici, *fereulum fecit sibi Rex Salomon* idest, Beatam Virginem, quæ cum gestauit *de lignis libaui*, idest, de membris

bris imputrifactibilibus, omni puritate candidissimis; *columnas eius fecit argenteas* idest virtutes eius; *fecit argenteas* per relucentiam bonæ famæ; *reclinatorium aureum* idest Virginis vterum pretiosum: vel ideo *aureum*, quia diuitijs sapientiæ repletum; *ascensum purpureum* quia ipsa in cælum ascendit. Nec tamen expers fuit Martirij; *media* idest, cor eius, *charitate constrauit* idest decorauit; *propter filias Hierusalem* idest, vt eam imitando possint secum ascendere, & videre Regem Salomonem in diademate suo.

QVINTA PARS.

E*Gredimini.* Hæc est vox Ecclesiæ gentium ad incredulos de Iudæis dicens, O *filia Sion*; idest Patriarcharum & Prophetarum *egredimini* ab ignorantia infidelitatis, à carnali intelligentia legis, à carcere peccati; *& videte* visu fidei, *Regem Salomonem* idest, Christum *in diademate* idest, carne pura, & integra, *quo coronauit eum* idest circundedit virum &c. *In die desponsationis illius* idest, in die incarnationis, quando sibi naturam humanam, quasi sponsam sociauit *& in die lætitiæ cordis eius* idest incarnationis, qua fuit Mariæ ineffabile gaudium.

CAPITVLVM QVARTVM.

Q*Vam pulchra.* Hoc est Capitulum Quartum huius libri; quod continet octo partes:

tes: Quartum *prima*, est vox sponsi Ecclesiam de gentibus multipliciter commendantis: & eius pulchritudinem admirabilem ostendentis: & dicit. O amica mea *quam pulchra es* operatione *quam pulchra* prędicatione *oculi tui columbarum* idest, Doctores & Prælati simplices sunt, & spirituales, & fluentis scripturarum insistentes, *absque eo, quod intrinsecus latet* idest, absque intentione cordis, quæ soli Deo patet; vel, absque virtutum interiorem pulchritudine, quæ homines latet. Vel, absque æternæ retributionis claritate, quæ modo non videtur, nec apparet. *Capilli tui* idest fideles & graciles humilitate, molles mansuetudiue, Christo capiti adhærentes, fide, spe, & charitate; *sicut greges caprarum* in velocitate operis, ascensu contemplationis, descensu compassionis, & electione pastus melioris; *quæ ascenderunt de monte Galaad.* idest, de monte scripturæ sacræ, vbi est aceruus testimouiorum de promissione præmiorum bonis, & de comminatione suppliciorum malis. Vel, *Mons galaad*, est Christus, cui attestatur multitudo Martyrum. *Martyr* enim & testis, idem sunt: & de hoc monte idest, de fide & virtute eius, ascenderunt omnes pœnitentes, ab imo vitiorum ad alta virtutum.

Dentes tui idest prædicatores puritate candidi, fortitunine ossei, charitate coniuncti, institia ordinati, constantia & stabilitate immobiles: qui peccata rodunt, scipturas conterunt, alios in corpus Ecclesiæ trahunt: Hi sunt *sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro* idest, sicut greges ouium concordes, vnanimes, simplices, & innocentes; *tonsi*, quia superflua sponte

te relinquentes; *de lauachro*, scilicet baptismatis, *ascendentes* de virtute in virtutem; *omnes* scilicet, tam oculi, tam capilli, quam dentes, idest, maiores, minores, & mediocres, *gemellis fœtibus* idest, habent gemellos fetus, idest, habent opera consimilia; vel, tales reddunt alios, quales ipsi sunt; vel *gemelli fœtus*, sunt opera actiuæ & contemplatiuæ, vel, conuersi de vtroque populo *& sterilis non est inter illas* idest, aliquis infecundus, qui sibi, & alijs non proficiat. Nota ibidem glosam.

Sicut vitta concinea labia tua labia sponsæ, prædicatores sunt, qui & *oculi*, & *dentes* dicti sunt: tamen propriè *oculi* sunt Prælati Ecclesiæ, qui Ecclesiæ prouident; *dentes*, expositores scripturarum, qui scripturam sacram terunt; & *labia* prædicatores, qui attritam alijs afflant: Hi sunt ergo *sicut vitta* quia capillos, idest, cogitationes suas, vel aliorum, vel fideles, restringunt ne effluant in opus malum: & ne operiant oculos, ne Deum videant; *coccinea* dicitur, quia circa ruborem passionis prædicatio eorum versatur, & ex ardore charitatis procedit. Et, *eloquium tuum dulce*, idest, prædicatio tua dulcis, quia de dulci fonte procedit, & nihil resonat nisi dulce.

Sicut fragmen malipunici, ita gena tua &c. Genæ Ecclesiæ sunt Prælati: qui sunt facies & decor Ecclesiæ, si sint boni; & sicut in genis pudor apparet, sic ipsos debet pudere de malis operibus, si quæ fiant. *fragminis autem malipunici* quædam pars albet, & alia rubet: Sic & illi candorem habent per innocentiam, & ruborem per martyrij, si opus est, promptam toleran-

tiam.

tiam. *Absque eo quod intrinsecus latet*. Exponatur sicut supra in principio capituli.

Sequitur. *Sicut turris David collum tuum*, Collum Ecclesiæ sunt ipsi prædicatores, per quos nutrimentum à capite Christo in Corpus Ecclesiæ trahitur: qui turri comparantur, propter fortitudinem, & refugium; & propter vitæ & scientiæ eminentiam: quæ turris, si caperetur, tota ciuitas Ecclesiæ facile expugnaretur. *Turris David* idest Christi, & à Christo *ædificata est cum propugnaculis* idest scripturarum sententijs, Ecclesiæ Sacramentis, & sanctorum miraculis, & exemplis. *Mille clypei* idest, tota deuotio, & sanctitas *pendent ex ea* scilicet tripliciter documento, exemplo, & patrocinio: & dependet ex ea *omnis armatura fortium* idest, omnis instructio verbi & exempli. Vel moraliter. *Collum animæ* est charitas, per quam vitalis flatus recipitur à Deo: & emittitur ad vtilitatem proximi; quæ *turris* dicitur, propter altitudinem, rectitudinem, & fortitudinem, & ex ea *dependent mille clipei* idest, omnia sacra eloquia: Nam ex ea pendent vniuersa lex & Prophetæ. Matthei 22. vel *mille clipei* idest, vniuersæ virtutes, quibus protegimur; & *omnis armatura fortium* idest, omnes virtutes, quibus hostes impugnantur.

Sequitur. *Duo vbera tua*. Hic est notandum, quod dicit glosa. *Vbera* ergo prædicatores sunt, quia paruulis in Christo lac doctrinæ infundunt *duo* propter geminam charitatem, ad Deum & proximum; vel duo, propter vitam & scientiam, *sicut duo hinnuli capreæ* quia perspicaces visu, veloces cursu, in arduis habitantes,

meliora pascua quærentes; *gemelli* quia eodem tempore, scilicet, tempore gratiæ, ab eodem Patre, & eadem matre, idest, Deo & gratia, generati: *qui pascuntur in lilijs* idest, in scripturis sacris, & sanctorum exemplis, *donec aspiret dies* scilicet æternitatis, *& inclinentur umbræ*, scilicet infidelitatis: quia tunc non habebunt necessè docere vel doceri.

SECVNDA PARS.

V*Adam ad montem myrræ.* Hæc est vox sponsi: vnde postquam ipse posuit sponsæ commendationem, nunc ponit eius consolationem, dicens: *vadam ad montem myrræ* idest, carnem mortificantibus consolationem impendam, *& ad collem thuris* deuotis maiorem gratiam & deuotionem conferam. Hic autem notandum, quod *mons* altior est *colle*: Et ita pœnitentia vel amaritudo sublimior est deuotionis suauitate. Secundo notandum, pro mysterio huius literæ, quod primo est *vallis myrræ*; idest, amaritudo pro exigentia culpæ; secundo est, *campus myrræ*, idest, amaritudo pro zelo iustitiæ; tertio est *collis myrræ* pro custodia innocentiæ; quarto est *mons myrræ*: pro desiderio cœlestis patrię. Non autem peruenitùr in hunc montem, nisi primo transeundo vallem, campum, & collem: idest, non venitur ad gaudium cœlestis patriæ, nisi per pœnitentiam culpæ, zelum, iustitię, & custodiam innocentię. Similiter etiam dici posset de *thure* scilicet, quod primo, est *vallis thuris*, idest, oratio, pro dimis-

sione

ſsione culpę; ſecundo eſt *campus thuris*, ideſt, oratio pro collatione gratię; tertio eſt *collis thuris*, ideſt, oratio pro virtute perſeuerantię; quarto eſt *mons thuris*, ideſt oratio pro largitione glorię. Sponſus autem hic in præſenti non venit niſi vſque ad collem thuris: Ideo dicit *&* *ad collem thuris* & in futuro veni & ad montem thuris, ideſt, gloriæ largitorem. Item poteſt exponi de Beata Virgine, & tunc dicemus, quod *vallis myrra* fuit Marię humilitas; collis myrrę vitę ſanctitas; mons mirrę martyrij ſublimitas. Sed collis thuris pręmij ſuauitas. Ad primam venit ſponſus in incarnatione; ad ſecundum in ſancta mundi conuerſatione; ad tertium in ſua paſsione; ad quartum vero in ſua aſcenſione.

TERTIA PARS.

TOta *pulchra es amica mea* Vox eſt ſponſi pulchritudinem ſponſę generaliter concludentis. Dixerat enim pulchritudinem diuerſorum membrorum: Nunc vero generaliter dicit; *Tota pulchra eſt &c.* q. d. Non ſolum in membris prędictis pulchra es, ſed etiam in omnibus alijs: nec ſolum membra pulchra ſunt, ſed etiam pulchre & decenter ad inuicem ſunt coniuncta, & ideo *tota pulchra &c.* Et *macula non eſt in te* ideſt, criminalis culpa, ſponſa enim non habet maculam, neque rugam: quoniam ſponſus maculam ſuo ſanguine lauit; & rugam crucis extenſione deleuit. Nunc vero eſt abſque macula, quia nec eſt cęcitas in intellectu, nec impuritas in affectu, nec vanitas in effectu

& absque ruga: Quia nec est duplicitas in verbo vel effatu.

QVARTA PARS.

V*Eni de libano, sponsa mea, veni de libano veni coronaberis.* Hæc est vox sponsi sponsam, vt ad se veniat, exhortantis, quasi diceret; priùs dixi *vadam &c.* Et ideo debes venire ad me. Igitur *veni* Ter autem dicit *veni* propter fidem Trinitatis; vel, veni corde, veni ore, veni opere; vel veni fide spe & charitate quod autem *libanus* dicitur, notat ipsius duplicem candorem: Libanus enim interpretatur candor, *Primũ* ergo refertur ad candorem conscientiæ & intentionis, *secundum* ad candorem vitæ & operationis. Nota hic quod dicit glosa de libano monte.

Sequitur. *De capite Amanade vertice sanyr & hermon*, Istud dupliciter potest exponi: Vel *veni de capite amana &c.* Veni *de vertice Sanyr &c.* Vel *veni & coronaberis de vertice &c* Est autem hic notandum. Quod *Amana Sauyr* & *Hermon* sunt montes, in quibus habitant diuersæ bestiæ conuersantes, per quæ peccata diuersa signantur, secundum suas interpretationes *Amana* enim interpretatur *inquietus*, & signat superbiam *Sanyr* idest, *fœtor*, & signat luxuriam *Hermon* idest, anathema; & signat auaritiam: Quia se & sua à proximorum communione auarus separat. De his ergo vocatur sponsa, vt veniat relinquendo peccata; & veniendo ad pœnitentiam, & veniam, sponsi: Et *de cubilibus leonum* idest, de habitaculis dæmonum, qui sunt

sunt corda sordida, per peccatum, *& de montibus pardorum* de his, qui non solum sunt habitacula dæmonum, sed etiam sunt alijs alta refugia, vt male faciant. De his ergo locis iubetur Ecclesia venire secundum primum sensum litteræ. Vel. iuxta secundum sensum, dici poterit *coronaberis de vertice amana &c.* Nam prædicatores, dum illos malos, de quibus dictum est, conuertunt, tales conuersi corona eorum fiunt, secundum Apostolum prima Thi. 2.

Sponsa igitur primo fuit coronata *stellis;* scilicet Apostolis, secundo *spinis*, idest, iudæis in rosas conuersis; & hoc est *de vertice Amana &c.* Tertio de gentibus vitiosis, vt postea conuersis, & hoc est, *de vertice Amana* Quarto de mundi seductoribus, & persecutoribus, factis tamen prædicatoribus, sicut patuit in paulo; Et hoc est *de cubilibus leonum* quinto de mũdi principibus obedientibus, & hoc est *de montibus pardorum*. Sexto coronanda est gloria in honore, quãdo verus assuerus capiti hester diadema regni imponet: *Veni* igitur & *coronaberis* de istis vel istis sex modis. Et hoc iuxta secundum sensum.

QVINTA PARS.

V*Vlnerasti cor meum*. Hæc est vox sponsi amorem suum ostendentis; ac per hoc sponsam, vt ad se citius veniat, exhortantis, dicens: *Vulnerasti cor meum* quia pro amore tuo carnem assumpsi, & mortem subij; *soror mea* quia cohæres Regni mei, *sponsa* scilicet, per arram fidei: *Vulnerasti cor meum* bis autem dicitur *vulnerasti*, & per hoc intelligit duplex

 vulnus;

vulnus; scilicet vulnus doloris, & vulnus amoris. Vel, vulnus passionis; & vulnus compassionis. *In vno oculorum tuorum* idest, in vnitate prædicantium, qui omnes idem docent; idem amant, idem quærunt. Vel vnus oculus est cætus contemplantium; qui vnam petunt à Domino, Alter vero *oculus*; scilicet sinister est cætus actiuorum & temporalium; vel vnus oculus cætus audientium, quibus est cor vnum & anima vna *& in vno crine colli tui* idest in vnitate intentionis.

SEXTA PARS.

QVam pulchra sunt mammæ tuæ soror mea sponsa. Hæc est vox sponsi, iterum pulchritudinem sponsæ commendantis. Vbi sciendum est, quod *mammæ* sponsæ possint intelligi minores doctores, qui lac simplicis doctrinæ paruulis propinant; & cum mammæ indecentes videri soleant propter grossiciem; plus tamen placet sponso grossicies simplicis doctrinæ, quam subtilitas: ideo laudat mammas dicens. *Quam pulchra sunt mammæ tuæ &c. Pulchriora sunt vbera tua vino* scilicet, lac, quod fluit ab vberibus scilicet, simplex doctrina, magis competit paruulis, quam vinum subtilitatis. Et nota verbum glosæ hic; *& odor vnguentorum tuorum super omnia aromata* idest, fama fidei spiritualium quæ ex charitate procedit, & virtutum, superat omnem delectationem ęternam. Vel dic, sicut glosa. *Fauus distilans labia tua sponsa,* idest, sacra eloquia, dic consequenter sicut

ſicut gloſa. *Mel & lac ſub lingua tua* ideſt, ſermo tuus dulcior eſt omni lacte, & melle; *& odor veſtimentorum tuorum* ideſt fama operum *ſicut odor thuris* ideſt ſicut virtus orationis; vel, veſtimenta ſponſæ ſunt electi. &c.

SEPTIMA PARS.

HOrtus concluſus ſoror mea ſponſa: hortus concluſus. Vox eſt ſponſi, ſponſæ pulchritudinem aliter, quàm prius deſcribentis. Comparauerat enim eam mulieri formoſæ; nunc horto ſeu culturæ fructuoſæ. Et cauſam vide in gloſa. Dicit ergo *Hortus concluſus &c.* Et bis dicit, *hortus* de quo vide gloſam. Et quare *concluſus*? Vide ibidem. Eſt autem hic notandum, quod *hortus* iſte, eſt ille, quem plantauit Dominus ab initio. Geneſis primo; in quo ſingulæ plantæ cum diuerſis arboribus, diuerſi ſunt ſancti: Lignum autem vitæ, Chriſtus eſt; ſed lignum ſcientiæ vitæ boni & mali, ſunt Doctores, qui habent ſcientiam boni & mali. In hoc igitur horto ſunt diuerſæ arbores: Sunt enim ibi *palmæ*, ideſt conſtantes & victorioſi; *cedri*; ideſt, humiles & timorati; *oliuæ*: ideſt, miſericordes & pij: *amigdali* ideſt, illi, qui ſunt in fructu ſolidi: Et aliæ innumerabiles arbores pretioſæ, ideſt, diuerſi virtuoſi. Ibi etiam ſunt *aues*, diuerſæ, *alaudæ*, ideſt, alte laudantes; *philomenæ*. Ideſt, amore languentes. Dicuntur enim à *philos*, amor & *mene* defectus; quia &c. *Cygni* ideſt, propter Chriſtum diſſolui cupientes; *corui* Prophetæ ſubi obſcuritatis nigre-

dine futura præstolantes ergo *hortus conclusus &c.*

Sed etiam *fons signatus*, Quia continet plenitudinem aquarum viuentium; *fons aquæ*. Idest, doctrinæ, *salientis in vitam æternam*. Iohannis 4. *Signatur* autem quia nemo hunc fontem aperit, nisi qui habet clauem David: vel dicendum, sicut glosa dicit. Sequitur *emissiones tuæ emissiones*, propriæ sunt aquarum & fontium: Ideo dicit, quod *emissiones* prædicti fontis sunt aquæ multæ, idest, populi multi: qui efficientur Paradisus. Vel, dicendum quod *emissiones tuæ*, idest, populi multi, sunt paradisus *malorum punicorum cum fructibus*. Per mala punica, quæ primo ponit, intelligit martyres; per poma vero communia, alij fideles intelliguntur: & alij omnes ipsum sponsum delectant velut Paradisus. Vel sunt *paradisus* idest hortus quietus &c. Item *emißiones tuæ* sunt *cypri cum nardo*. Cyprus non capitur hic pro insula, sed pro quadam arbore aromatica, cuius semen est candidum; cui adhibetur oleum, & inde efficitur vnguentum regale: per hoc autem significatur castitas. De qua dicitur. Sapientiæ 4. *quam pulchra est casta generatio cum charitate*. Sed quia ex castitate plerumque oritur tumor superbiæ: Ideo recte *nardus cypro* coniungitur: quia *nardus* spicam habet, & alium fructum non habet. Et humiles significat, quia cum omnia bene fecerint, dicunt, *serui inutiles sumus*. Cætera quæ sequuntur exponantur sicut glosa dicit.

Summa autem huius litteræ est, quod Ecclesia est *fons*, cuius *emissiones* sunt paradisus. Idest,

Ideſt, delectabilis abundantia malorum punicorum, & aliorum, quæ in littera ponuntur: quæ omnia ſub varijs ſimilitudinibus & metaphoris ſignunt diuerſas virtutes, vel diuerſos virtuoſos, de fonte Eccleſiæ per ſacram doctrinam ſuauiter emanantes. Et quia ſponſus ſponſam fonti comparauerat: adhuc continuando & declarando quod dixerat ſubdit, *fons hortorum* ideſt, tu es fons, ex quo procedit aqua lachrymarum, & gratiarum, per quam irrigantur omnes horti, ideſt, omnes qui fructum faciunt. Sed non ſolum fons hortorum, ſed etiam tu es *puteus aquarum viuentium* ideſt, ſpiritualiter viuere facientium. Io. 4. Vide gloſſam, quare *fons & puteus* dicatur. *Qui fluunt impetu de libano* ideſt, quæ fluunt abundanter de monte Dei candido, ſcilicet de monte cæleſti.

OCTAVA PARS.

S*Vrge aquilo*. Vox eſt ſponſi ſponſam ad patientiam inuitantis. Ipſius enim pulchritudinem commendauerat ſub ſpecie mulieris allicientis formoſitatis: & ſub ſimilitudine horti redolentis ſuauitatis. Sed quia in tribulatione formoſitas ſponſæ multum relucet, & ſuauitas multum redolet: Ideo ſponſus ſponſam ſuam ad tribulationum patientiam exhortatur, dicens, *ſurge aquilo & veni auſter* quaſi diceret. *Surgat aquilo* ideſt, ventus tribulationis; Et *veniat auſter*, ideſt ventus adiutorij Spiritus ſancti, ſeu diuinæ conſolationis: *perfla ortum* ...

Idest, fideles Ecclesiæ. *Vt fluant aromata illius* idest, vt suauius redoleant fidelium virtutes. Vel *surge aquilo* idest, infer tribulationem, vel blandiendo vel persequendo: & cætera sicut glosa. Vel Diabolus potest dici *aquilo*, quando temptat per aduersitatem; & *auster* quando per prosperitatem. Similiter Spiritus sanctus diceretur *aquilo*, quando immittit timorem: Sed *auster* cum accēdit amorem: Et sic de vtroque potest littera intelligi, & remanet eadem constructio & intentio litteræ.

CAPITVLVM QVINTVM.

VEniat dilectus meus in hortum suum. Hoc est quintum capitulum huius libri, quod continet nouem partes: Quarum prima est vox sponsæ, ad ea, quę sponsus immediatè dixerat, respondentis. Vnde quia Ecclesia audiuit se temptationibus probandam: ipsa promissioni dilecti non contradicit; sed ne superetur, auxilium ipsius quęrit: qui non patitur supra id quod possumus. Dicit ergo. *Veniat dilectus meus in hortum suum* quasi diceret: qui promisit se futurum mecum vsque ad consummationem sęculi, modo, cum magis indigeo eius presentia, me consoletur, & maiori gratia me visitet: veniendo *in hortum suum*, & hortum quem plantauit amplius irrigando *& comedat fructum pomorum suorum*, idest, totum sibi vendicet vel, comedat, ne forte eruca vel locusta

vel

vel brucus vel rubigo opera sanctorum vel filios spirituales deuoret. Veniat ergo ad irrigandum & ad custodiendum: Vel ad spaciandum; Vel ad comedendum. Hic autem est notandum, quod hoc potest exponi de aduentu Christi spirituali in mentem: vel, de aduentu corporali ad mortem; vel de aduentu finali ad iudicium.

SECVNDA PARS.

V*Eni in hortum meum*. Hęc est vox sponsi ad ea, quę sponsa dixerat respondentis: quasi diceret, quod petis iam feci. Ideo *veni* mecum *in hortum*. Scilicet errantes corrigendo, &c. Vt in glosa. *Messui myrram meam cum aromatibus meis &c.* Idest, martyres cum confessoribus, & omnibus alijs; qui fama bonorum operum sunt insignes, in horrea cœlestia transportaui. Vel, potest exponi, vt sit vox Ecclesię primitiuę, ad Ecclesiam modernam; quasi diceret. Tu inuitas me solum ad poma, quę myrram & aromata idest, martyres, & Apostolos, metere siue colligere consueui. Hodie enim in Ecclesia colliguntur poma, idest, fructus minus perfecti: sed tunc in Ecclesia primitiua colligebantur fructus magis perfecti. Melius est tamen, quod hęc sit vox sponsi ad sponsam, &c.

Sequitur. *Comedi fauum cum melle meo; comedi* idest, in corpus meum mysticum traduxi. *Fauum*, idest, cętum confessorum, pabulum luminis, vasa dulcedinis; *cum melle meo* idest, cum ipsa

ipsa dulcedine, qua eos repleui. *Bibi vinum meum* idest doctores spiritu feruentes, lachrimis fluentes, alios inebriantes: *cum lacte meo* idest, cum infirmis & debilibus, & simplicibus. Vel dic sicut glosa.

Sed quia iustum est vt satiato Domino famuli in secunda mensa comedant, & reficiantur: ideo subdit *comedite amici* idest, congaudete mihi in spirituali conuiuio hic in præsenti; vel *comedite fauum*, idest, eloquia mea dulcia; sed tamen difficilia; *& bibite* idest facilia; ad hoc propositum allega verbum glosæ. Vel dic. *Comedite* scilicet, hic, dura præceptorum & tribulationum; vt *bibetis* in futuro *vinum* omnium consolationum. Et ibi *inebriamini* iuxta psalm. *inebriabuntur ab vbertate domus tua, & torrente voluptatis tua potabis eos*. Et ideo hic *amici* sed in futuro *charissimi* vel *amici* quia amantes vel amati sed *charißimi* quia care empti.

TERTIA PARS.

EGo dormio. Hæc est vox Ecclesiæ, tepidos exhortantis, vt in hortum sponsi veniant: seipsam dans in exemplum, dicens. *Ego dormio* quasi diceret: Non sum tepida, nec sum torpori dedita: quia *Ego dormio* idest, exteriùs contemplationi vaco, & ab impetu persecutionum, & strepitu actionum, & corporali solicitudine quiesco: *& cor meum vigilat* idest, rationis & intentionis oculus vigilat, & ne tempore quietis per blanditias fallatur, prouidet & laborat.

Vel

Vel de somno corporis *ego dormio* & cętera id-est, iuxta verbum Christi, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Causam vero, quare cor suum vigilat, subdit, cum dicit, *vox dilecti mei pulsantis* quasi diceret, ego volo quiescere, sed ipse ad laborem inuitat. Vnde *vox* idest, inspiratio *dilecti mei* facta est mihi ad cor meum quod vigilat *pulsantis*, scilicet vtraque manu idest beneficijs & flagellis; & dicentis *aperi mihi* scilicet, auditorum corda, vt intrem & cænam faciam cum illis, & ipsi mecum. Apocalipsis 4. vel vt dicit glosa.

Et quare hoc facere debeat, subdit causas: quia *soror mea* idest cohæres Regni *amica mea* secretorum consciæ, *columba mea* simplex, non inuida; *immaculata mea* quia in flumine sanguinis mei lota. Vel vt dicit glosa, vel *soror mea*, in incarnatione, *amica* ex passione; *columba*, baptismi lotione.

Sequitur. *Quia caput meum* Alia causa quare debet sponsa surgere *quia caput meum* idest, ego, qui sum caput, scilicet Deus; *plenum est rore* Deus enim, quantum est in obstinatis, absque hospitio remanet: & nocturno rori seu pluuiæ noctis exponitur; *& cincinni mei* idest, capilli crispi, qui sunt fideles inuicem amore mutuo colligati, & Christo capiti cohærentes; *pleni sunt guttis noctium* idest, patiuntur frigora persecutionum & temptationes dæmonum. Vel dic vt glosa. Vel moraliter quia *caput*, idest, clerus *abundat rore* idest, delicijs. *Cincinni* idest, fideles subditi *abundant guttis noctium* idest, ignorantijs & peccatis, ideo *surge*.

QVAR-

QVARTA PARS CAPITVLI QVINTI.

E*Xspoliaui me tunica mea.* Hæc est vox sponsæ suam obedientiam ostendentis: sed tamen timorem & tremorem suum declarantis. Vnde, quia sponsus sponsam excitauerat; vt de dormitione contemplationis surgeret ad solicitudinem regendarum animarum: ideo ipsa non inobediens, sed de iniuncto officio metuens, respondet, dicens; *Exspoliaui me tunica.* Vnde *tunica* ista est temporalium cura, vel vita actiua; vel peccatorum macula. Dicit ergo Ecclesia in contemplatione existens, *expoliaui me tunica mea*; idest omnibus prædictis renunciaui: *quomodo induar ea?* idest, quomodo iterum ad prædicta reuertar? *Laui* scilicet lachrymis compunctionis, vel deuotionis, vel exultationis, *pedes meos*, idest omne lutum peccati, & omnem puluerem affectus terreni: *quomodo inquinabo eos?* Quasi diceret, non potero foris ambulare, nisi aut lutum contraham, aut puluerem. Vel dic cum glosa.

Se quia sponsa timoris & periculi causas præmisit, consequenter vigoris & auxilij rationem inducit: scilicet quia, *dilectus meus misit manum meam per foramen* quasi diceret, & si pericula egrediendi timeam, tamen in dilecti mei auxilio confidenter agam: Nam *dilectus meus misit manum suam*, idest virtutem suam,

&

& auxilium suum, & vigorem; *per foramen timoris & venter meus intremuit ad tactum eius* idest, molles & debiles compuncti sunt; vide glosam. Et ideo *surrexi* scilicet à dormitione, & quiete vitæ contemplatiuæ, ad laborem actiuæ: *vt aperirem dilecto meo* scilicet, prædicando, & docendo; sed prius cæpi facere, & post docere. Vnde *manus mea* idest opera mea, *distillauerunt* idest, aliis circumquaque expresserunt, *myrram*, idest, exemplum amara patiendi, secundum glosam. Vel *manus* istæ possunt dici Prælati, qui *myrram*, idest pœnitentiam selent aliis distillare. Et *digiti mei* idest illi, qui subtiliora & spiritualia prædicant, *pleni sunt myrra probatissima* idest, pœnitentia perfectorum. Vnde myrra prima est asperitas disciplinæ, secunda vero increpatio doctrinæ; sed tertia executio sententiæ. Et ista est myrra probatissima. Vel myrra prima est pœnitentia peccatorum: secunda pœnitentia iustorum; tertia pœnitentia perfectorum; prima est probata, secunda probatior, sed tertia probatissima.

Pessulum hostij mei idest, omne illud quod gratiæ diuinæ resistere potuit; *aperui dilecto meo* idest, à cordibus subditorum predicando remoui: vt intraret; *at ille declinauerat atque transierat*, quia hic non ad plenum, sed exiliter habetur; vide glosam. Et ideo *anima mea liquefacta est* idest, in aquam lachrimarum resoluta, vel cum glosa. *Vt* idest, postquam, *dilectus meus locutus est*. Dum enim seruus, scilicet Moyses, locutus est, anima Ecclesiæ timore congelata est: Sed *vt dilectus* scilicet Deus Pater *locutus est* in si-

in filio, *anima* Ecclesiæ *liquefacta est*, scilicet in dilectionis feruore.

QVINTA PARS.

Q*Væsiui.* Hæc est vox Ecclesiæ, siue sponsæ sponsum suum quærentis: Vnde, quia ipsa dixerat, sponsum ab ea declinasse, & transisse, ne ipse clarè & plenariè videretur: Ideo subdit sponsa, dicens. *Quæsiui* vt abundantius fruerer dilecto; & perfecte cognoscerem; *& non inueni illum*, quia illa duo reseruantur in patria; *vocaui* oratione, intentione, & operatione, *& non respondit mihi* idest, non se mihi indicauit, quia *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*. Sed ne desperarem ex absentia sponsi, *inueneurnt me* quærentem anxiè & curiosè, *vigiles*, idest Prælati Doctores, vel prædicatores curiosè vigilantes, *qui circumeunt ciuitatem* idest, Ecclesiam, ex offibio circumquaque visitant. Isti *inuenerunt me* scilicet anxiam consolando, & curiosam reprimendo, *percusserunt me* idest, magis compunxerunt me, ad quærendum. *Et vulnerauerunt me*, scilicet gladio Spiritus, quod est verbum Dei, idest, dolorem pœnitentiæ intulerunt: *tulerunt pallium meum* scilicet vt nuda Christum nudum sequerer, omnia relinquere fecerunt. Vel dic cum glosa. Vel *pallium* posset intelligi velamen legis veteris testamenti. &c.

SEX-

SEXTA PARS.

A*Diuro vos Filia Herusalem si inueneritis dilectum meum vt nuncietis ei quia amore langueo*. Hæc est vox sponsæ adolescentulas alloquentis: Vnde, quia id, quod à pluribus quæritur, citiùs inuenitur: ideo ipsa eas hortatur, vt sponsum suum secum quærant; vel quia quandoque minoribus reuelatur, quod maioribus latet, (vt 1. Chorintiorum 15.) Ideo sponsa adolescentulas exhortatur, vt sponsum quærant & languorem suum anuncient eidem. Non dicit, quod eum adducant, sed quod ei nuncient: quasi secura sit, quod ipse, qui tantum diligit, & qui tantum diligitur, si sciret languorem sponsę, non sustineret, nec tardaret. Similiter Ioannis 11. Vbi dicit Martha ad Iesum, *veni & vide* non dicit: Suscita Lazarum, & Ioannis 11. dicit Maria: *Vinum non habent*, non dicit conuerte aquam in vinum. Littera est clara cum glossa. Vel hęc potest esse vox ad animas sanctas, quę in cœlo dilectum vident, &c.

SEPTIMA PARS.

Q*Valis*. Hæc est vox adolescentularum, respondentium & dicentium, *qualis* idest, cuius speciositatis vel suauitatis *est dilectus tuus ex dilecto?* idest, filius qui *dilectus ex dilecto* idest, ex patre: Vnde hoc dicit, ad differentiam dilecti,

dilecti, qui ex nullo est scilicet, patris; O igitur *pulcherrima mulierum qualis est dilectus tuus* secundum quod ipse procedit *ex dilecto* idest, ex patre, idest, dicito qualis ipse est secundum diuinitatem; sed iterum *qualis est dilectus tuus* scilicet secundum humanitatem? *quia sic adiurasti nos* vt eum tecum quæramus.

OCTAVA PARS.

D*ilectus meus candidus*. Hæc est vox sponsæ adolescentulis respondentis, & dicentis: *dilectus meus candidus* secundum diuinitatem, quia *candor est lucis æternæ*; & *rubicundus* secundum humanitatem; scilicet in passione; vel *candidus* in natiuitate, & *rubicundus* in cruce; vel *candidus* in domo Hærodis & *rubicundus* in prætorio Pilati; *electus ex millibus* idest, præ omnibus hominibus & Angelis. Ad Hebræos 1. cap. vel quia *speciosus forma præ filijs hominum*; *caput eius* idest diuinitas, vel diuina sapientia, *aurum optimum*, idest, omni alteri sapientiæ incomparabilis: sicut aurum alijs metallis est incomparabile. *Coma eius* idest cogitationes eius, *sicut elatæ palmarum* idest, altæ, rectę, & sublimes; ideo *elatæ* idest altæ, *nigræ*, *quasi coruus* idest humiles, & mundo despicabiles: Vel *comæ* sunt humanæ fragilitates, & infirmitates, quæ caput Christi, idest dininitatem velabant. *Oculi eius* idest dona Spiritussancti &c. Prosequere sicut glosa. Vel, *oculi isti* possunt intelligi Doctores, vel Prælati; qui columbis comparantur. Vt supra primo capitulo *Genæ ipsius*

Istæ

Istæ genæ secundum glosam sunt modestia, & pietas Christi, & dic vt glosa. *Labia eius* idest, verba Christi, vt glosa dicit. Vel duo labia duo sunt testamenta. *Manus eius* idest, virtutes Christi operatiuæ, *Quæ fuerunt tornatiles* idest, in nullo reprehensibiles, ad omne opus bonum volubiles; *aurea* per charitatem; *Plena hyacynthis* idest operibus virtuosis & pretiosis; vel dic cum glosa. *Venter eius eburneus* idest, humanitatis fragilitas, sicut glosa. *Crura eius* idest, Apostoli, vel alij fortes eum sustinentes &c. Vel dic secundum glosam aliter. Et vide. *Species eius vt libani* idest, vniuersalis decor, vel vniuersa membra. Vide glosam. Ipse est *candor lucis æternæ*. Ideo *libanus* qui candidus interpretatur; ipse est *mons in vertice omnium montium*, & inter omnes altissimus *guttur illius suauissimum* internus sapor, dic vt glosa. Finaliter concludit *talis est dilectus meus*, quem ego diligo; *& ipse est amicus meus*, quia ipse me diligit, *O filiæ Hierusalem*, Et ideo quæramus eum vt dixi.

NONA PARS.

QVo abijt. Vox est adolescentularum respondentium sponsæ, & dicentium. *Quo abijt dilectus tuus* quando præsentiam suam subtraxit, *ô pulcherrima mulierum; quo dilectus tuus declinauit*, quando, vbi solebat, inueniri, non amplius inuenitur? Abijt ergo à Synagoga, & declinauit ad gentes. Dic ergo nobis, *quo abijt &c. Et quæramus eum tecum* quia sine con-

sortio Ecclesiæ non recte quæritur Christus, ideo nec inuenitur.

CAPITVLVM SEXTVM.

D*ilectus meus*. Hoc est sextum capitulum huius libri, continens septem partes, quarum prima, est vox Ecclesiæ ad quæstionem adolescentularum respondentis. Quærebant enim prius *quo abijt &c.* Nunc vero ipsa respondet. *Dilectus meus &c.* Ostendens per hoc dilectum suum in seipsam descendisse, quia ipsa est hortus. Vt supra patet. Dic cum glosa & ideo videns sponsa quantum sponsus in hoc hoc horto delectetur, ait, *Ego dilecto meo,* supple in me & in alijs locum præparo, *& dilectus meus mihi* supple locum præparat receptionis, apud se, *qui pascitur inter lilia,* Idest sanitas animas.

SECVNDA PARS.

P*Vlchra es*. Hæc est vox sponsi Sponsæ & adolescentulis quærentibus assistentis, earumque deuotis affectionibus respondentis. Vide glosam. Respondet igitur sponsus & sponsam commendat, dicens, *pulchra es* scilicet desiderio quo me quæris secundum glosam; *& suauis* scilicet eloquio, quo alias adolescentulas ad me quærendum inuitas: *& decora* scilicet bonis

nis operibus exteriùs. Vel *pulcha es* in aspectu; *suauis* in affectu, *& decota* in effectu *sicut Hierusalem terribilis* idest, non minus in tua pulchritudine admirabilis, quam fuit Hierusalem, idest, primitiua Ecclesia, assumpta de Iudæis. Hic enim loquitur sponsus de Ecclesia assumpta ex gentibus. Vel dic. *terribilis* scilicet hæreticis, impiis, & peruersis.

Vel dic, *terribilis* scilicet ex multis *primo* ex numero & fortitudine bellatorum, *secundo* ex longo exercitio & labore armorum; *tertio* ex zelo & vnanimitate pugnatorum: *quarto* ex præsidio & defensione Angelorum: Et quod plus est ex præsentia & assistentia Regis Christi; qui promptus est ad protectionem suorum subditorum: Et ideo non mirum si sit *terribilis*, quia ipsa etiam est *vt castrorum acies ordinata*. Habuit enim diuersas acies. *In prima* Christum Regem cum cętu Apostolorum; *In secunda* exercitium Martyrum robustorum. *In tertia* cuneum Sanctorum Confessorum. *In quarta* tempore Antichristi habebit de omni genere electorum. Sed proch dolor, ipsa nunc habet in medio istarum acierum turbam magnam plurium inualidorum.

Quia vero sponsus dixerat, *pulchra es* scilicet ex voluntate & desiderio, quo me quęris, secundum quod dicit glosa; ideo nunc vt desiderio querendi moderationem imponat, subdit, *auerte faciem tuam à me* vbi non desiderium cognoscendi, sed curiositatem inquirendi, vituperat; pro quo vide glosam. Igitur *auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt*. Idest, non ex toto tuo desiderio adesse volui, *quia oculi tui*

tui idest, intentio & affectio, *à te me auolare fecerunt* qui enim priùs abijt, & declinauit: Nunc *auolat* scilicet, vt auidiùs requiratur, vt gratiùs recipiatur, vt cautiùs custodiatùr, vt curiosiùs complexetur vt subditis impendatur, vt ardentiùs diligatur. Christus enim quęrentibus eum non deficit: Sed plerumque, dum abesse creditur, pręsens existit: Ideo ipse dicit, *quærite & inuenietis.*

TERTIA PARS.

C*Apilli tui &c.* Hęc est vox sponsi sponsam commendantis. Vnde, sicut dicit glosa, ne Ecclesia grauiter ferret, quod à dilectione dilecti suspenditur: Ideo sequitur descriptio eius. In qua assimilatur illi primitiue Ecclesię Hierusalem, de qua non est dubium, quin amica Dei fuerit. Vnde sciendum, triplicem fore Ecclesiam: *Prima* fuit Ecclesia primitiua, de Iudęis, quę Hierusalem vocatur; *secunda* fuit Ecclesia primitiua de gentibus; *tertia* erit de collectione Iudęorum & gentium; & erit tunc plenitudo Ecclesię, quę non erit, quousque reliquię Israel saluę fient.

Secundo sciendum, quod hic repetuntur iidem versiculi, qui supra positi, & expositi sunt, vsque ibi. *Sexaginta* & ideo præcedentia exponantur vt priùs. Et versus *sexaginta &c.* Exponatur sicut glosa docet & bene *adolescentulæ* autem *quarum non est numerus* sunt incipientes, vel fragiles, vel ciues cœlestes, secundum

dum glosam. *Vna est;* quare *vna?* Vide glosam, *columba* propter simplicitatem, fæcunditatem, mansuetudinem, & amoris inseparabilitatem. Bis autem dicitur *vna*, propter vnitatem fidei, & vnitatem charitatis. *Perfecta* quia per dilectionem, quæ est legis plenitudo, consummata. Vel, quia iam capiti suo Christo vnita: *Vna est matri suæ*. Hæc mater est gratia, cum qua, per quam, & ex qua vna est: vel, est cœlestis Hierusalem quæ mater eius dicitur, quia eam generat, nutrit, amat & custodit: Nam *omne donum perfectum desursum est*, cum qua *vna est*, scilicet vnitate amoris. *Et electa genitrici suæ*. Hæc genitrix est Ecclesia primitiua, de Iudæis, quæ eam in fide genuit: Cuius electa dicitur, quia ipsa multas spurias simul produxit. Est autem summa huius litteræ, quia Ecclesia primo commendata est ex suæ pulchritudinis descriptione, *capilli &c.* Secundo ex sui magnifici status declaratione *sexaginta &c.* Tertio ex suorum membrorum vnitate & perfectione *vna est &c.* Quarto commendatur ex intuentium admiratione *viderunt &c.* Vbi notandum, quod *filiæ* solum *vident* sponsam: Quia *omnis gloria eius ab intus est; oculi autem stultorum in finibus terræ*; qui interiora eius non attendunt: Quia luminositas sponsæ visum eorum excecat. Ideo dicitur. *Viderunt eam filiæ Syon & beatissimam prædicauerunt*; beatam ex diuitijs specialibus, beatiorem ex donis generalibus, sed beatissimam ex sponsi amplexibus. *Et Reginæ & Concubinæ laudauerunt eam*: licet enim solæ filiæ vere videant sponsam: Tamen tam *Reginæ quam Concubinæ* idest, tam boni quam mali, laudant

cam: Sed istæ sicut veri testes; illæ vero sicut Histriones. Moralisa hic.

QVARTA PARS.

Qvæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens &c. Hæc est vox synagogæ admirantis: Ipsa enim in nouissimis temporibus videns Ecclesiam de gentibus per totum orbem extensam, inde compuncta, & admirans ait: *Quæ est ista.* Vbi notandum, quod comparatur auroræ, lunæ, & soli. *Aurora* in pœnitentibus, & contritis; *Luna* in sæcularibus & actiuis; *soli* in perfectioribus contemplatiuis. Vel, dicitur *aurora* propter lumen scientiæ; *luna* propter splendorem gratiæ. *sol* propter lucem gloriæ. Vel, *aurora* in Patriarchis. *Luna* in Prophetis, *sol* in Apostolis.

Item Beata Virgo fuit *aurora* in annunciatione, *luna* in conceptione: *Sol* in assumptione. Item anima sancta comparatur *aurora* in oratione, *luna* in operatione, *soli* in contemplatione. Vel est *aurora* in mortis termino; *luna* in purgatorio; *Sol* in cœli solio. Dicitur autem Ecclesia *terribilis, vt castrorum acies ordinata*, maxime propter tempus Antichristi, quando erit crudelissimus conflictus. Vel vt glossa.

QVIN-

QVINTA PARS.

DE*scendi in hortum nucum*. Hæc est vox sponsi ad prædictam quæstionem respondentis: Vnde Synagogæ admiranti, & quærenti, *quæ est ista?* Respondet sponsus *descendi &c.* Est autem responsio indirecta: quia quæstionem non soluit; sed laudibus sponsæ in quæstione expressis, laudes alias superaddit, comparans eam horto propter causas alias dictas. Sed dicit *hortum nucum* secundum vnam litteram, quia extra amaritudo, interiùs dulcedo; *descendi* igitur *in hortum meum* vel, *in hortum nucum* secundum aliam litteram idest, in Ecclesiam gentium; & ideo ipsa nunc progreditur & ascendit. Quare vero ipse descendit? Causam subdit. *Vt viderem &c. Poma conuallium* idest, Doctores, & Prædicatores humilium; *si floruisset vinea* idest, si per prædicationem Doctorum Ecclesia initia bonæ vitæ dedisset *&* *germinassent mala punica* idest, fructum bonorum operum produxissent. Vel dic vt glosa.

SEXTA PARS.

N*escivi*. Hæc est vox Synagogæ, suam cæcitatem & ignorantiam accusantis, & excusantis, & dicit *nescivi* scilicet prædicta: Et, causam subdit. *anima mea* idest, animalis ratio, *conturbauit me* idest, excæcauit & ignorantem fecit, scilicet, propter hypocrisim Phariseo-

rum, traditiones scribarum, auaritiam sacerdotum, & ambitionem principum: Et ideo *propter quadrigas Aminadab.* Prædicta enim fuerunt quatuor quadrigæ, quæ Christum ad mortem traxerunt. Et sunt *quadrigæ Aminadab* idest, populi voluntarij ad mortem Christi. *Aminadab* enim interpretatur *populus spontaneus*. Populus ergo Iudæorum spontaneè, sine causa iusta, Christum crucifixerunt, dimittentes Barrabam: Et hæc fecerunt propter quatuor causas prædictas, vt patet in Euangelio. Et ista fuit causa ignorantiæ & cæcitatis Synagogæ Iudæorum.

Vel dic, *nesciui* scilicet prædicta &c. *Sed anima mea conturbauit me* idest, compuncta sum. *Propter quadrigas &c.* Idest propter prodicationem quatuor Euangeliorum Christi. Et ad hoc vide glosam.

SEPTIMA PARS.

REuertere. Hæc est vox Christi vel Ecclesiæ, Synagogam Iudæorum, vt à falsitatis cæcitate ad fidei & veritatis claritatem reuertatur, exhortantis, quasi diceret. Tu confessa es tuam tarditatem, & cæcitatem: Sed nihilominus *reuertere sunamitis* idest captiua, scilicet; sub ignorantiæ cæcitate, sub legis grauitate, sub intelligentiæ sensualitate, sub cuiuslibet potestate. Et quare dicit *quater reuertere*, vide glosam. *Vt intueamur te* idest, vt tu me videas & ego te &c.

CAPI-

CAPITVLVM SEPTIMVM.

Q*Vid videbis.* Hoc est capitulum septimum huius libri, quod continet quinque partes, quarum prima est vox sponsi ad sponsam Ecclesiam, de gentibus alloquendis: Vnde quia ipsa priùs dixerat Synagogæ, *reuertere &c.* Ideo sponsus dicit ei, *quid videbis &c.* Quasi diceret. Tu modo doles de cæcitate Synagogæ, propter quod ipsam exhortaris dicens, *reuertere &c.* Sed cito videbis eam *quasi choros castrorum* & ideo consolaberis. Videbis autem eam *quasi choros castrorum* idest, ad spiritualia bella paratam. Comparatur autem Ecclesia *choris* propter tempus pacis, in quo Deus auctor pacis debet glorificari, & laudari: Sed etiam comparatur *castris*, propter tempus belli; in quo Diabolus auctor temptationis debat fortiter impugnari. Vel *castris* comparatur, quia ordinatas habet acies, vnam continentium, aliam coniugatorum.

SECVNDA PARS.

Q*Vam pulchri sunt &c.* Hæc est vox sponsi illam Ecclesiam, quæ ex Iudæis & gentibus futura est nouissimis temporibus, commendantis. Vnde dicit *quam pulchri sunt gressus*; vbi sciendum quod *gressus* Ecclesiæ dicuntur opera

& profectus Ecclesiæ, in agendo, & atiendo; vel *gressus* dicuntur actus prædicationis; qui *pulchri* dicuntur *in calciamentis* idest, in exemplis Apostolorum & Sanctorum. Vel *gressus pulchri in calciamentis*, quia gressus ideo pulchri, quia pedes pulchri, idest Doctores, & Prælati, qui corpus sustinent: Quorum pulchritudo est, Primo vt sint *recti*. Secundo *ampli*. Tertio *dilatati*. Quarto *mundi*; *recti* per iustitiam, *ampli* per sapientiam; *dilatati* per bonam famam; *mundi* per vitam sanctam. *Iunctura feminum tuorum* idest, vnio & concordia duorum populorum in vna fide & charitate, erit *sicut monilia*, idest erit vnitissima & indiuisibilis; *quæ fabricata sunt manu artificis* quia solus ille artifex hanc vnionem fabricauit, qui fabricatus est auroram & solem: Et hic solum nouit quare hæc iunctura vsque ad finem sæculi retardata fuerit; vide glosam.

Vmbilicus tuus crater tornatilis iste vmbilicus est infirmitas nostræ mortalitatis. Vide glosam. Vel *vmbilicus* possunt dici Doctores infirmiores &c. Qui *numquam indigent poculis* quia non solum vasa, sed fontes sunt aquam sapientes scaturientes. *Venter tuus* idest, copia populi Christiani, *sicut aceruus tritici* quia in imo præceptorum multi sunt, in alto vero consiliorum pauci; *vallatus lilijs* idest, virtutibus. *Aceruus* autem ideo dicitur, quia *grana*, idest fideles, absque *palea* immediatè sese contingunt; pro moralitate vide glosam.

Duo vbera iste versiculus supra in quarto capite habitus est, ideo exponatur vt supra. *Oculi tui* Duo oculi sunt prouisores spiritualium & tempo-

temporalium, qui erunt *sicut piscina* ideſt, multas aquas ſapientię continentes, *in eſebon* ideſt in cingulo mœroris, ſcilicet tempore Antichriſti: *qui ſunt in porta filia multitudinis* ideſt, Eccleſię, quę eſt filia multitudinis, quia ex duobus populis generata. Dicuntur autem *piſcina eſſe in porta filia multitudinis* quia nemo ingredietur in multitudine Chriſtianorum, niſi qui biberit ex hac aqua: Vel, niſi qui de aqua baptiſmi renatus fuerit. &c.

Naſus tuus ideſt cętus prędicatorum, qui ſpiritum vitę miniſtrant Eccleſię, & fœtores peccatorum odoreſque virtutum prudenter diſcernunt. Hi ſunt *ſicut turris libani* quia eminentiores cęteris, refugium infirmis, fortes virtute, fundati in libano monte, ideſt, in Chriſto. Vel *turris libani* quia per ſapientiam alti, & per vitę munditiam candidi. *Qui reſpicit contra Damaſcum* ideſt contra malos, & peruerſos: Contra quos prędicatores & Doctores reſpiciunt. Vide gloſam de Damaſco.

Caput tuum vt carmelus Carmelus eſt mons altus, & pinguis, qui ſcientia circumciſionis interpretatur. Caput autem Eccleſię eſt Senatus Apoſtolorum, vel cętus Pręlatorum: qui debet eſſe altus excellentia vitę ſanctę, & pinguis fructuum ſpiritualium fertilitate, & non tantum carnis, ſed ſimiliter & cordis circumciſionis ſcientiam in ſe, & in alijs exercere. *Et coma capitis tui*. Comæ ex capite naſcentes, & ipſum ornantes, ſunt clerici, qui Pręlatis aſsiſtunt, qui debent eſſe *ſicut purpura Regis* ideſt, ipſis Pręlatis debent eſſe quaſi ornamentum regale; & debent eſſe *iuncti canalibus* ideſt ipſis Do-

ctoribus & Prælatis coniuncti, scilicet vitæ sanctæ conformitate, obedientiæ promptitudine, adiutorij efficacitate. De purpura dic cum glossa.

TERTIA PARS.

Q*Vam pulchra es*. Hæc est vox sponsi, qui hucusque sponsam suam ad labores inuitauit: & eam magis in laboribus commendauit; nunc autem, post duorum populorum coniunctionem, & post certaminis laborem, sponsus sponsam suam vacantem cælestibus delicijs recommendat: dicens, *quam pulchra es* fide, *decora* opere, *charissima in delicijs* idest charissima Domino tuo, ex hoc, quod cœlestibus vacas delicijs. Secundum glosam. *Statura tua assimilata est palma*, comparatur Ecclesiæ statura, vel anima, quæ cœlestes delicias prægustauit, quia totum in cœlum erigitur, & ad terrena despicit incuruari: De palma vide glosam. *Et vbera tua botris*. Quæ sint vbera Ecclesiæ superiùs dictum est, *botri* autem vini sunt vasa, & *vbera* vasa sunt lactis, *vbera* ergo & *botri* sunt Prælati, quia & lac paruulis; & vinum prouectis propinant.

Dixi ascendam; quasi dicat sponsus, quod tales habes Doctores, non est tui meriti, sed mei doni: Quia *dixi* idest, ab æterno disposui, *ascendam in palmam* idest in Ecclesiam, quam ipse priùs palmæ comparauit, & in quam ascendit, dum per gratiam, & amorem, & per naturæ vnionem, in ipsam intrauit; & eius se caput fecit,

cit. Vel *in palmam* ideſt, in crucem, cuius pars de palma fuit, ſecundum gloſam. *Et apprehendum fructus eius* qui fuerunt, proprij corporis glorificatio, humani generis redemptio, antiqui ſerpentis ligatio, & redempti hominis ſaluatio; quos ita fortiter apprehendit, vt nullo modo decidere poſsint. *Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ* ideſt, dulces, ſicut botri vineæ; non amari, vt hæderæ, ideſt, Synagogæ. Vide gloſam *& odor oris tui ſicut odor malorum* ideſt, odor famæ tuæ. Vel *odor oris* ideſt, fama prædicationis, & laudis *ſicut odor malorum* ideſt, ſicut odor fructuum, perfectorum: non ſicut odor foliorum, verborum. *Guttur tuum* ideſt, Doctores tui, vel prædicatio tua, *ſicut vinum optimum* ſcilicet, colore, odore, & virtute præcellens: *dignum dilecto* ideſt Chriſto *ad potandum* Chriſtus enim libenter calicem paſsionis bibit, & alijs ad potandum porrexit. Vnde ſequitur, non ſolum vinum illud eſt *dignum dilecto* ſed etiam *labijs* ideſt, præconibus eius, vt Paulo, *& dentibus* ideſt attritoribus ſacræ ſcripturæ, Vt Auguſtino *ad ruminandum.*

QVARTA PARS.

EGo *dilecto*. Hæc eſt vox Eccleſię ad Synagogam: Quaſi diceret, Mihi credite, & conuertimini ad ſponſum Chriſtum: quia ipſe vos libenter recipiet, ſicut & me. Nam *ego* priùs exul, pauper, & nuda, conuerſa ſum ad eum: & coniuncta ſum *dilecto meo, & ad me* facta eſt *conuerſio eius*, carnem humanam aſſu-

mendo, meam penuriam adiuuando, mihi gratiam conferendo, & gloriam promittendo.

QVINTA PARS.

VEni dilecte mi. Hæc est vox sponsæ, quę certificata, quod Iudęa compuncta obediet, & conuertetur, prę gaudio sponsum alloquitur, & dicit *veni dilecte mi*; quasi diceret, certa sum, quod licet Iudęa nimis tardet, tamen finaliter conuertetur: Et ideo, *veni mecum vt egrediamur in agrum* idest, vt tu & ego egrediamur in illos Iudęos, qui adhuc arandi & colendi sunt: Et *commoremur in villis*, idest, in nouiter conuersis; in quibus est commorandum, donec ad perfectionem perueniant. *Mane surgamus ad vineas* idest, studiosè laboremus, ad excolendum, fouendum, & nutriendum *vineas*, idest, virtuosos ad Dominum conuersos. Et quia aliud faciendum est vineę nondum florenti, aliud dum floret, & aliud dum fructificat: ideo subdit, *videamus si floruit vinea* idest, si aliqua bona signa virtutis, confessionis, & fidei appareant; *si flores fructus parturiunt*, idest, si bonum propositum sequitur opus bonum; *si floruerunt malapunica*, idest, si flores perfectum fructum dederint: *Ibi dabo tibi vbera mea*. Idest, Prelatos & Doctores; dabo non solum ad lactandum, vel contrectandum: Sed simpliciter dabo etiam ad lacerandum per Martyrium, si opus fuerit. *Mandragora &c.* Hęc est herba, quę profundè radicatur in terra, & parum supereminet; Habet tamen pomula rubea, & odorifera,

rifera, & ſignat Iudæos &c. *Quæ dederunt odorem in portis noſtris* ideſt, in Sacramentis: Ideo *egrediendum &c.* Secundum hoc expone. Vel expone *Mandragora* ideſt virtutes: *porta* ideſt, Apoſtoli &c. ſicut gloſa.

CAPITVLVM OCTAVVM.

QVis mihi det. Hoc eſt octauum, & vltimum capitulum huius libri: quod continet octo partes; quarum prima, ſecundum gloſam, eſt vox ſinagogę: vnde introducitur hic Iudęa inſpirata iam, & edocta, & ſummo deſiderio Deum quærens; ideo dicit, *quis mihi det te &c.* Vel ſecundum aliam gloſam, eſt vox Eccleſię de gentibus, Chriſti incarnationem recolentis, quę ipſam incarnationem tam feruenter amplectitur, vt ipſam de nouo fieri deſiderare videatur, dicens: *quis mihi det te* ideſt, Dei Filiū *fratrem meum* ideſt, vt ſit frater meus, communione naturę, *ſugentem vbera matris meæ,* ideſt, Virginis Beatę, quę maternę pietatis viſceribus totam Eccleſiam fouet & nutrit. Vel, mater Eccleſię fuit Synagoga. Et notanter dicitur *det,* quia ſola charitate filius datus eſt nobis. Itē bene dicit *te,* quia ad filium loquitur, excludendo Patrem, & Spiritum ſanctum à noſtrę infirmitatis ſuſceptione. *Vt inueniam te* ideſt, cognoſcam te ſecundum naturam humanam, *foris;* quia intus ſecundum diuinitatem nulli fas eſt ipſum ad plenum cognoſcere. Vel *foris* ideſt,

Z 6 eſt,

est, non inclusum in sinu Patris, sed cum hominibus conuersantem. Vbi nota glosam; *& deosculer te* idest, facie ad faciem videam, & ore ad os loquar. Vel expone, vt in principio libri. *& iam me nemo despiciat*. cum apparuerit me esse sororem, Reginam & sponsam: Olim enim despecta fuit, cum abhorrebat mundus diuinitatem in homine, & vitam in mortuo floruisse. Et sic de similibus. *Apprehendam te* quasi diceret. Si detur mihi te sic osculari, etiamsi velis effugere, non dimittam, Sed *apprehendam te*, Amoris coniunctione: *& ducam te in domum matris meæ*, Idest, in multitudinem Iudæorum, *& in cubiculum genitricis meæ*, idest, in secretarium sanctorum; scilicet, cœlestem Hierusalem. *Ibi me docebis* idest, te mihi manifestabis. *& dabo tibi poculum* idest, faciam te delectari, quasi diceret. Tu augebis mihi gratiam, & gaudium & ego augebo tibi seruitium: quia *dabo tibi poculum ex vino condito* idest, seruitium faciam tibi ex vino bonorum operum inebriante præ gaudio: & condito diuinæ gratiæ auxilio; *& mustum malorum granatorum meorum*, idest, inebriari, exhilarari, & calefieri te faciam in sanguine martyrum. Mustum enim calidus est vino; & citiùs inebriat &c. *Laua eius sub capite meo &c.* Hoc expone vt supra. Vel dic *Laua* idest, suæ humanitatis cognitio, *& dextera* idest, diuinitatis clara visio. *Adiuro vos filia Hierusalem* Hic versus expositus est supra: ideo dicatur vt priùs sicut, & de præcedenti *Laua eius &c.*

SECVN-

SECVNDA PARS.

QVa est ista. Hæc est vox Angelorum, vel Synagogæ, profectum Ecclesiæ de gentibus admirantium: sicut supra tertio capitulo. *Qua est ista &c.* Vel melius potest dici, vox Ecclesiæ de gentibus, de Synagoga, quasi iam conuersa, admirantis, & dicentis: *qua est ista* quasi diceret. *qua est hac qua ascendit de deserto* idest, de priori excæcatione. *Delicijs* spiritualibus *affluens*. *Innixa super dilectum suum* illi namque soli innititur, cui tanta familiaritate coniungitur: & à quo in omni tribulatione fulcitur, & per quem gratia omnis liberaliter distribuitur &c.

TERTIA PARS.

SVb arbore malo. Hæc est vox sponsi, Ecclesiæ de gentibus respondentis & inducentis eam vt ipsa Iudeæ pœnitenti congaudeat, & beneficij sibi facti recordetur. Ideo dicit, *sub arbore malo*. Quasi diceret, Tu admiraris de hoc, quod Synagoga ascendit &c. Sed noli admirari: imo potius congaudere velis, & de beneficijs recordari, quia *sub arbore malo &c.* Vbi sciendum, quod *malus* est arbor, per quam Christus conuenienter intelligitur: propter causas superius dictas: huic igitur arbori subiecta fuit Ecclesia, & ideo de morte ad vitam redijt: & hoc est, quod dicitur, *sub arbore &c.*

Vel

Vel *sub arbore &c.* Idest, sub vmbra ligni vitæ, quod est Christus, *suscitaui te, Ibi corrupta est mater tua* idest Synagoga, & hoc tripliciter seu triplici corruptione, *primo* corruptione mortis spiritualis; quia non regenerabatur sacro baptismi fonte, per quem vita spiritualis confertur; *secundo* corruptione Thori matrimonialis, quia relicto Christo verò sponso Diabolum adulterum petijt; *tertio* corruptione inuidiæ visceralis, Inuidia enim est corruptio visceralis, quia *putredo ossium Inuidia*. Prouerbiorum. 14. Hac autem corruptione corrupta fuit Synagoga, quando Barrabam latronem dimisit, & per inuidiam Christum innocentem occidit. *Ibi violata est genitrix tua*. Idest, Lex, vel Synagoga, & hoc exteriori persecutione, scilicet sub Tito & Vespasiano. Hic est notandum quod ex hoc loco volunt quidam, quod lignum vetitum, in quo peccauerunt Adam, & Eua sit malus ista: & secundum hoc littera legeretur sic, O tota Ecclesia *suscitaui te* existentem *sub arbore malo* idest, sub ligno vetito: Vbi primi parentes mortis sententiam incurrerunt. Et *ibi*, scilicet sub eadem arbore *corrupta est mater tua* scilicet humana natura, *ibi violata est genitrix tua* idest Eua. O igitur Ecclesia, quia hæc omnia tibi facta sunt per gratiam, noli admirari, si Synagoga ascendat &c. *Sed pone me vt signaculum super cor tuum*. Quasi dicat sponsus, quia igitur ad tantam prouecta es gratiam, ideo *pone me vt signaculum*, idest. Vt memoriale vel sigillum, quo secreta clauduntur; vel sicut vexillum quod est signum triumphi; *super cor tuum* idest, super omnem

amorem

amorem & intentionem cordis tui; *vt signaculum supra brachium tuum*, ideſt, ſuper omnes actus tuos, & omnia opera tua, ſcilicet, vt in omnibus mei memoria in te ſemper vigeat; vt pulcritudinis meæ ſimilitudo in te ſemper luceat; vt mei amoris character te ab omni alieno diſcernat; vt in caſtro tuo vexillum meum ſemper aduerſarium proſternat. & cauſam quare hoc facere debeat, ſubdit, cum dicit, *fortis eſt vt mors dilectio*, Quam habeo & habui ad te; per quam anima mea à corpore eſt ſeparata, quam nihil auertere potuit; imò morte fortior, quia ipſum auctorem vitæ quodammodo ſuperauit. *Dura ſicut infernus æmulatio*, ideſt, amoris executio quæ me ad infernum deſcendere fecit: Et ideo *Dura ſicut infernus*; quia nulli penè parcere fecit, ſicut infernus nulli parcit. *Lampades eius*, Scilicet amoris, ſeu dilectionis, ideſt, corda fidelium &c. Vide gloſam. Eſt igitur magna virtus caritatis: Et ideo *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ* ideſt. Si reliquerit omnia, pro amore iſto gratuito habendo: *Quaſi nihil deſpiciet eam*, ideſt, Quidquid dederit vel reliquerit, quaſi nihil reputabit, ſecundum gloſam. Vel aliter *ſi homo* ideſt, Chriſtus *dederit omnem ſubſtantiam domus ſuæ*. Sicut de facto fecit, *pro dilectione*. Ideſt, ſi ſibi impendatur dilectio, *quaſi nihil deſpiciet eam*, ideſt purè gratis dabit, ſine commutatione congrua vel condigna.

QVAR-

QVARTA PARS.

S*Oror nostra* Hæc est vox sponsi ad Synagogam, & loquitur de Ecclesiâ de gentibus adhuc nouella: *soror nostra* per naturam & gratiam, *paruula est* paucitate populorum, & infirmitate conuersorum; *& vbera non habet* idest, Doctores & consolatores, *quid faciemus sorori nostræ in die* idest, in toto tempore vitæ huius *quando alloquenda est*, idest, pascenda & nutrienda spiritualibus documentis, & allocutionibus sacris ad incrementum prouehenda.

QVINTA PARS.

S*I murus est*, Hæc est vox sponsi sibimet respondentis: vnde Synagogæ tacenti, & expectanti quid ipse sponsus facere velit, ipsemet aperit, dicens: *si murus est*, idest, si in Ecclesia sit aliquis aptus, vt sit murus contra Hæreticos *ædificemus super eum propugnacula argentea* idest, inuincibiles sententias diuino eloquio lucidas: sunt enim in scripturis propugnacula in triplici differentia; *primo* namque sunt quædam terrea, scilicet, scientiæ Phisicæ & naturales; *secundo* quædam lignea, scilicet scientiæ practicæ idest, morales; *tertio* quædam argentea, scilicet scientiæ diuinæ & spirituales. *Si hostium est*, idest, si in Ecclesia sit aliquis aptus vt sit hostium, ad introducendum in viam salutis fideles, & Catholicos, *compingamus illud tabulis*

bulis cedrenis, ideſt, ornemus eum virtutibus & exemplis bonis; vt ſit in eo pulchritudo vitæ, & odor bonæ famæ: quia vitia fugat &c. Vide gloſam. *Ego murus*, Hæc eſt vox Eccleſiæ reſpondentis, ad id, quod ſupra ſponſus dixerat: quod vellet ædificare, ſi murus eſſet; quaſi diceret, tu dixiſti. *Si murus eſt ædificemus* & *ego ſum murus*, Super te petra fundatus, ex lapidibus charitatis ædificatus, & ex glutino dilectionis compactus; *& vbera mea* ideſt, Apoſtoli, Doctores & Prælati, *ſicut turris* exponatur vt ſupra quarto capitulo. Et quaſi diceret, quod talis ſum, non ex me habeo, ſed ex gratuito Dei dono: ideo dicit, *ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens* ideſt, poſtquam ego conuerſa ſum coram eo, & ipſe mihi ſuæ pacis donum per verbum reconciliationis largitus, iuxta illud. *Gloria in excelſis &c*, Sed fortè quia aliquis diceret, ad quid es tu murus, & vbera tua turris? Et ipſa reſpondet, quod hoc eſt & fuit ad pacificè protegendam vineam pacifici Chriſti. Ideo ſubdit. *Vinea fuit*, ſcilicet tota Eccleſia *pacifico* Chriſto, quam ipſe acquiſiuit in ea pace, quam Eccleſia reperit coram eo; *qua* pax *habet populos* ſcilicet Iudæorum & gentium in vno ritu collectos. *Tradidit eam cuſtodibus*, ideſt, Prælatis cuſtodiendam & colendam; *vir* ideſt, quilibet verè virtuoſus *affert mille argenteas* ideſt, vniuerſitatem temporalium ſuorum *affert, pro fructu eius* ideſt, pro fructu æternæ beatitudinis ſecundum gloſam.

SEX-

SEXTA PARS.

V*inea mea*. Hæc est vox sponsi, curam, quam habet ad vineam suam, ostendentis: Quasi dicat, non do obliuioni vineam meam. Quia *vinea mea coram me est*; *Mille tui pacifici*, Scilicet illi, qui filij Dei vocabuntur, Mathei 5. qui sunt *mille*, quia habent perfectionem millenarij idest, æternæ beatitudinis: vel concretam decalogi perfectionem; *& ducenti* quia eis duplex fructus seu duplex merces debetur, scilicet, gaudium essentiale, & accidentale; vel visio & fruitio. *His qui custodiunt fructus eius*, idest, veris Doctoribus, & Prælatis, qui custodiunt fructus vineæ Domini. Et construe. *Mille & ducenti* sunt *de his* idest, de numero &c. Quia igitur tantus est fructus prædictæ vineæ, ideo subdit sponsus, *quæ habitas in ortis* quasi diceret. O sponsa mea, *quæ habitas in hortis*, idest, in cultura spiritualium fructuum, quæ prius habitabas in campis siluæ: *amici auscultant te*, idest, Angeli, quos adiutores tibi dedi, & spiritus iustorum, qui iam cum Deo sunt & pro fratribus orant: *auscultant te*, idest, orationes tuas audiunt, & Deo porrigunt, vt prædictum fructum consequi valeas; Igitur *fac me audire vocem tuam* idest, ita age vitam, vt quidquid voce vel opere oraueris, a me dignum sit exaudiri. Vide glosam.

SEP-

SEPTIMA PARS.

F*Vge dilecte mi*. Hæc est vox sponsi ad prædicta respondentis, vnde quia sponsus dixerat, *fac me audire vocem tuam*, in quo sponsus notabat se sponsam suam quærere: Ideo respondet Ecclesia innuendo, quod conuenientiùs est ipsam, sponsum quærere, quam quæri ab eo, vnde dicit. *Fuge dilecte mi super montes aromatum* idest, inter sanctos & Angelos, vt ibi insequar &c. Vide glosam.

Explicit expositio Magistri Petri de Allyaco super Cantica.

TRA-

TRACTATVS PETRI DE ALLIACO EPISCOPI CAMERACENSIS DE DVODECIM honoribus sancti Ioseph.

SI colligimus in vnum, quæ sparsim de sancto Ioseph Euangelica scriptura commemorat; inueniemus profecto, cum multis priuilegijs, magnisque laudum præconijs commendatum: Propter quæ sancta mater Ecclesia solemne festiuitatis gaudium de eo merito celebrare credenda est. Igitur iam aggrediamur sancti huius veneranda bonorum insignia, & ea, quibus possumus, laudibus prosequamur.

PRIMVS EIVS HONOR EST. *Quod ex nobilissima stirpe regia propagatur*. Testatur hoc Euangelista Mattheus qui librum generationis Iesu Christi Filij Dauid ab Abraham inchoans, in cuius semine omnium gentium benedictio promissa est, per intermedias Patriarcharum Prophetarum ac Regum generationes, vsque ad Ioseph, progrediendo, describit, ita concludens: *Iacob autem genuit Ioseph, Virum Mariæ de qua natus est Iesus qui vocatur Christus.*

O vera, & virtuosa, non vana, & ventosa nobilitas. Nascitur Ioseph, ex nobili semine: non quocunque, sed ex alto semine Regis; non cuiuscunque, sed ex benedicto semine Dauid; illius nobilissimi filij, Patriarcharum præcipui, & eximij Prophetarum sanctissimi, ac beatissimi Regum.

SECVNDVS sancti huius honor est, quod non solum *Matris Dei*, sed etiam *filij Dei verus consanguineus* appellatur. Cur hoc diximus? Quia nascitur Ioseph ex semine Dauid, ex quo nascitur Maria Mater Dei, Regina Cœlorum; Domina Angelorum; Ex quo etiam de Maria nascitur Christus, filius Dei, Rex Regum, ac Dominus dominantium. Ideoque Christus Filius Dauid dicitur, quia filius Mariæ, quæ ex semine Dauid nascitur: in quo Christus Maria & Ioseph vera consanguinitate iunguntur. Vnde cum Lucas Euangelista dixisset, *missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro. Cui nomen erat Ioseph*. Subiunxit *de domo Dauid*. Quod non tantum ad Ioseph, sed ad Mariam pertinet: quia, iuxta legis præceptum, Ioseph Mariam vxorem de domo sua & familia duxerat. Ideo Christus veraciter ex semine & consanguinitate Dauid natus est: quia incorrupta mater eius veram de stirpe Dauid originem traxit.

TERTIVS honor est quod sacratissimæ *Virgini Matri Dei matrimonialiter desponsatur*. Nam (vt iam commemorauimus) Ioseph, *virum Mariæ*, & Mariam *Sponsam Ioseph* sancti Euangelistæ fuisse confirmant. Quod ideo dictum est, non quia Ioseph, virili more huic sponsæ carnaliter

carnaliter copulatus: sed quia virtuoso amore sibi sacramentaliter iunctus fuerit. Fuitque inter eos verè sacrum matrimonium, licet non extiterit carnali copula consummatum. O priuilegium singulare! Solus Ioseph, in domo Dauid, tantaque familia, ad tam sanctum coniugium dignus eligitur: solus Deo approbante idoneus iudicatur. Sed quo signo quoue miraculo, de diuina ipsius electione constiterit? Hic tacendum esse arbitramur, cum & hoc ab Euangelistis taceatur. Nos autem non apocripha, sed sola hic Euangelica testimonia prosequimur.

QVARTVS honor est, quod sanctus hic sponsus *virginitatis* titulo decoratur. Sane iam desponsata fuerat Maria Ioseph, quando, Euangelista teste, missus est Angelus ad Virginem: Cui cum ille diceret, *Ecce concipies, & paries filium*; respondisse legitur, *quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Idest, nunquam cognoscere propono. Igitur & Sponsa erat, & Virgo: Et consentiente sponso perpetuæ Virginitatis propositum obseruabat. Vnde vera sanctorum patrum tradit auctoritas, non solum Mariam, sed etiam Ioseph, apud se disposuisse virginitatem seruare, nisi Deus aliter iuberet: eosque sic consensisse in coniugalem societatem, vt vterque de altero reuelante spiritu sancto intelligeret, quod virginitatem seruare vellet, nisi Deus aliter inspiraret. Sicut ergo diuino consilio in coniugalem societatem consenserant: Sic virginitatem suam ordinationi diuinæ commiserant. Et hoc secretum voti virginalis propositum, sibi mutuo verbis postea

stea expresserunt: & ambo in virginitate diuinæ inspirationi obediendo permanserunt. O igitur sancta, & Deo grata virginalis coniugum societas. O quam venerandus est sanctus iste sponsus, & Virgo qui sponsam Virginem à Deo sibi commendatam intemeratam seruauit! Quam postea, eo, vt creditur, mortuo, filius in cruce moriendo Virgo, Matrem Virginem Discipulo Virgini commendauit. Quia in re Christus, quantum Ioseph dilexerit, patenter edocuit: Dum ad specialem curam custodiamque Matris suæ, ei Discipulum quem plurimum diligebat, in mortis suæ testamento constituens, subrogauit.

QVINTVS honor est, quod non solum ad *Virginis Matris* sed etiam ad *filij eius obsequia singulariter deputatur*. Hæc enim vna ratio est, quare desponsatur Maria Ioseph. Nam prout sanctorum Patrum traditione docemur, vltra generales causas coniugij, huius desponsationis quædam causæ speciale fuisse dicuntur: videlicet, vt Diabolo partus virgineus celaretur, vt Ioseph esset testis castitatis, defendens eam ab infamia suspitionis, ne vt adultera, iuxta legem Mosaycam, damnaretur. Postremo quantum ad hoc pertinet, quod loquimur, vt non solum Mater sed etiam Filius, eiusdem Matris & Virginis, huius sponsi solario sustentaretur, & obsequio foueretur. O mira res! Ioseph suo sustentat & fouet auxilio, eum, qui sustentans & fouens omnia, vniuerso præsidet mundo! Quod vtique factum est, non solum dum puer Iesus ministerio Ioseph, siue in Egiptum eundo, siue inde redeundo transfertur: sed dum

toto

toto infantiæ ac pueritiæ decursu. Ab eo paternaliter educatur. Vnde Iesus, Euangelio teste, putabatur filius Ioseph: Non ideo solum, quia sponsus erat Mariæ; sed etiam, quia sibi omnia paterni amoris signa & obsequia videbatur præbere. Quamobrem absque vlla temeritate, pia fide credendum est, sanctum Ioseph Christum puerum sæpenumero suis tractasse manibus, gestasse brachijs, & nutricis more inter suaues amplexus dulcia oscula sacris eius labijs impressisse. Vnde si in Ioanne Baptista veneramur, quod Christum digito monstrauit: aut in Iordane lauit; si in Ioanne Euangelista quod in cœna supra pectus Domini recubuit: valde in Ioseph venerandum est, quod Christum corporaliter tam sæpe, tamque familiariter, & obsequiosè tractauit.

SEXTVS honor est, quod ei, tanquam cœlesti secretario, secretum *incarnationis Christi mysterium à Deo per Angelum reuelatur*. Hoc enim priùs missus Gabriel Angelus iam desponsatæ Virgini nunciauit: *Ecce* inquit, *Concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*. Non solum humanæ sed etiam diuinæ generationis arcanum patefecit dicens: *Hic erit magnus & filius Dei vocabitur*. Modum quoque, quo ex ea Deus, & Dei filius, non humanitùs sed diuinitùs fieret homo, subiunxit: *Spiritus sanctus* inquit, *superueniet in te, & virtus Altißimi obumbrabit tibi. Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei*. Sed hoc magnum multiplexque secretum diuinumque mysterium sponso suo Virgo celauerat: Et quod Angelo humiliter responderat, *ecce ancilla Domini fiat mihi secundum*

cundum verbum tuum, etiam omnia quæ circa hoc ſpiritus ſanctus facere diſpoſuerat, humiliter expectabat. Poſtea ergo ipſi ſponſo, ab eodem, vt creditur Angelo, Chriſti incarnatio reuelatur: quod Euangeliſta Mattheus ita proſequitur, *Ieſu Chriſti* inquit, *generatio ſic erat. Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto*. Hic autem ait, *antequam conuenirent*: Lucas Euangeliſta manifeſtans aperit, dicens, *quod poſtquam diſceſſiſſet ab ea Angelus, exurgens Maria abijt in Montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda. Et intrauit in domum Zachariæ*. Hoc eſt eundo ad opidum, in quo ipſe Zacharias dicitur habitaſſe, quarto miliario à Hieruſalem, per illam ciuitatem veriſimiliter tranſiſſe creditur: quæ ciuitas Iuda dicitur, non ratione tribus, cum eſſet de tribu Beniamin, ſed ratione Regni, cuius ipſa caput fuiſſe perhibetur. In illa ergo domo Maria ſalutauit Elizabeth matrem Ioannis: *& exultauit infans in vtero eius*. Ipſa quoque Mariam magno cum honore ſuſcipiens, eam Matrem Domini ſui, & beatam veraciter propherauit, & tunc edidit Maria Canticum dicens, *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus*. O benedicta & verè beata ſocietas! non vtique ocioſa, ſed obſequioſa, in Dei laudibus, & bonis operibus occupata. Miniſtraſſe enim creditur Maria cognatæ ſuæ, vſquequo pareret. Vnde & in libro iuſtorum legitur, eam, primo de terra natum Ioannem ſableuaſſe. Poſtea verò reuerſa eſt Maria in

domum suam, in ciuitatem Nazareth. Hoc est ergo quod Mattheus prædictis omissis breuiter ait. *Antequam conuenirent, idest, postquam Maria cum Elizabeth manserat.* Postquam in domum suam redierat, antequam ipsa & Ioseph, (qui Iudæorum more desponsati fuerant) per aliquot dies, ante cohabitationem assiduam, antequam ipsi conuentu matrimoniali pariter habitarent, antequam simul coniugalem societatem haberent: Vel, si placet exponere, *antequam conuenirent*; idest, per carnalem copulam cohabitarent. Non sic intelligendum est, quasi postea hoc modo conuenerint; sed simili locutione, qua de aliquo dici solet, antequam pœnituerit, morte præuentus est. Vel intelligi potest *antequam conuenirent*, idest, ante proximum tempus, quo nuptiarum solemnia celebrarent, *inuenta est à viro suo de Spiritu sancto in vtero habens.* Sed quia hoc de Spiritu sancto esse nondum ipse nouerat: Ideo Mattheus subiunxit, *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere*, idest, in coniugem accipere: quasi ad sua transducere; vel eam publicare, detegere, seu diffamare: *Voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante Ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei dicens. Ioseph Fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est* (idest, iam conceptum: & in proximo nasciturum) *de Spiritu sancto est.* Hoc est, non humano, sed diuino opere: non virili semine, sed virtuoso Spiritus sancti spiramine, incarnatum. Nec ei Angelus solum incarnationis, sed etiam futuræ per eam humanæ salutis mysterium nunciauit: *Pariet*, inquit, *filium*,

lium, & vocabis nomen eius Iesum; causam vero & interpretationem nominis subiunxit, *ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quod cum solius Dei proprium sit, in hoc breui verbo magnum diuinitatis Sacramentum, Iesum videlicet, non purum hominem, sed & Deum verum esse notauit.

SEPTIMVS sancti huius honor est, quod *ipse iustus Euangelico testimonio comprobatur. Ioseph*, inquit, *vir eius, cum esset iustus.* Venerandum sane de viro Mariæ testimonium. Nihil tale de Ioachim, nihil tale de Anna parentibus eius, Euangelium loquitur: licet & quod hij iusti, & sancti fuerint; à quibus omnis iustitiæ & sanctitatis radix. origoque processit, pia fide credendum sit. Nec parum æstimes, quod ait, *Cum esset iustus*. Hoc est enim, cum esset fide & charitate, omnique bonorum morum virtute, ac omni virtutum honestate probatus. In scripturis enim *iustitiæ* nomine, virtuosæ vitæ sanctitas generaliter accipitur. Hic tamen specialiter ex eo *iustus* dicitur, quia, antequam Angelo reuelante. Mariam de spiritu sancto concepisse cognosceret, noluit eam traducere, idest in coniugem ducere: vel, vt græca littera habet, noluit eam propalare; sed voluit occulte dimittere eam: qui locus expositione indiget. *Cum esset*, inquit, *iustus* quare iustus? Quia fide iustificatus. Quomodo fide iustificatus? Sicut antiquus pater eius, pater multarum gentium Abraham, de quo ait Apostolus, *credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*. Ioseph ergo iustus fuit, quia fideliter credidit. Sed quid credidit? Non vtique vanas, & hu-

manas superstitiones: Sed veras & diuinas promissiones, quæ factæ fuerant patri suo Dauid. Ideo etiam Angelus vocauit eum *filium Dauid*: Vt cognosceret, quod promissum fuerat domui Patris sui Dauid. Quid promissum? Sane quod de domo sua *promissus in lege Messias* nasceretur. Quomodo nasceretur? Non de virili semine, sed de fæmina Virgine. Cur hoc credidit? Quia Deo credidit: Cui cum Patre suo Dauid dicere potuit, *Adhæsi testimonijs tuis Domine*. Adhæsit quippe diuinis testimonijs, adhæsit testibus Propheticis, adhæsit & credidit Isaiæ Prophetæ: Immò veriùs, Deo per Prophetam dicenti. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum nobiscum Deus*. Idest, inter homines homo Deus. Credidit ergo Ioseph Christum Deum & hominem, de domo Dauid, & de Virgine nasciturum, qua fide iustificatus verè iustus vocatus est. Eadem enim fide iustificamur credentes esse factum, quod ille credidit esse fiendum. Sed quid est, *cum esset iustus, & nollet eam propalare, voluit occultè dimittere eam?* Sane, cum ipse iustus per iustitiam fidei, crediderit Christum nasciturum de Virgine: Quod tamen de ea Virgine nasceretur non plene credidit: nec tamen penitùs discredidit; sed inter vtrumque dubius, ne peccaret temeritate leuitatis, in hac certitudine diu prudenter deliberans cogitauit. Quid cogitauit? Cogitauit, Mariam de domo Dauid ortum traxisse; Cogitauit se de eadem domo eam Virginem accepisse; & à se intactam, etiam inter suos, iustos vtique & sanctos eam sanctam &

imma-

immaculatam seruasse. Non ergo temerariè præsumebat cogitare, eam esse adulterij culpabilem: quam sic seruauerat innocentem; sed hanc rem admirans, quid hoc esset, & vnde in vtero haberet, aut qualiter super hoc Deus disponeret, dubius ignorabat. Ideoque inter hæc, quasi mediam eligens vitam, tanquam iustus, ***eam voluit dimittere***, ne rei incognitæ consentiendo coram Deo se reum faceret, tanquam, priùs eam ***noluit propalare***, idest, hoc noluit palam, sed occultè facere, ne innocentem coram hominibus proderet: &, si palam fieret, vt adultera puniretur. Quia ergo Ioseph hæc iustè & piè cogitabat: Ideo apparitione Angelica consolatur, & propositum suum meliori consilio commutatur. Quia omni suspitione adulterij, omnique dubietate relicta, ipse Angelo reuelante Mariam de Spiritu sancto concepisse statim credidit, eamque in coniugem, Euangelista teste, sine cunctatione recepit. ***Exurgens***, inquit, ***Ioseph à somnos facit sicut præcepit ei Angelus Domini; & accepit coniugem suam***, Idest, eam quæ priùs sponsa fuerat, in vxorem duxit. Sicut ergo in Ioseph, ante reuelationem Angeli, fuit pia iustitia, & iusta pietas: Sic postea in eo non defuit humilis obedientia, & obediens humilitas. O igitur sancte & iuste Ioseph! Quomodo de re tanta, tam noua, tam inaudita, tam cito firmiter credis, & vnico somnio tam certitudinaliter acquiescis? Non credo, inquis somnio sed Angelo: Nec tantum Angelo exteriùs dicenti, sed magis Deo interiùs docenti, & cordi meo interna reuelatione huius rei certitudinem confirmanti. Tu ergo exemplo

suo nos confirma: tu oratione tua nos adiuua; confirma in nobis certitudinis firmitatem, adiuua in nobis nostræ credulitatis infirmitatem.

OCTAVVS honor est: quod *Christo nato hoc nomen Iesus. à Deo sibi æternaliter impositum & ab Angelo temporaliter reuelatum, à sancto Ioseph hominibus solemniter publicatur*. Audiamus quid de Christo nato Mattheus loquitur. Postquam enim dixerat, quod Ioseph accepit eam coniugem suam: Statim, ne coniux eius per carnalem copulum crederetur, subdit, *Et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum: Et vocauit nomen eius Iesum.* Vbi & natiuitatem eius de Virgine, & publicationem nominis eius in circumcisione, breuiter insinuat: per hoc quod ait, *& non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum*, non quasi postea eam Ioseph cognouerit, aut quasi alium filiũ postea Maria peperit: Sed primogenitus dicitur, id est, ante quem nullus prior: Sed non post quem alius posterior. Nam & ante, & post talem ac tantum partum, decuit vt sponsus Virgo cum sponsa Virgine permaneret. Per hoc verò quod de Christo nato subiungitur: *Et vocauit nomen eius Iesum*, huius nominis impositio seu præcedentis iam impositionis publicatio, non statim post Natiuitatem pueri, facta esse credenda est: Sed octauo die, quo Circumcisio fieri lege Mosaica mandabatur Hæc autem, quæ Mattheus commemorat breuiter: apertiùs Lucas exponit. *Ascendit* inquit *& Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem eo*

quod

quod esset de domo Dauid, ut profiteretur cum Maria uxore sua pregnante. Id est, vt iuxta edictum Cæsaris soluendo tributum se subditum Romano Imperio fateretur. *Factum est autem cum essent ibi: Impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum* idest, vnigenitum; in lege enim *primogenitum*, dicitur omne quod primo aperit vuluam, etiamsi nihil aliud subsequatur. Tum ergo *Pannis inuoluit & reclinauit in præsepio: Quia non erat ei locus in diuersorio.* Cum enim pauperes essent, propter frequentiam multitudinis, quæ ibi conuenerat, nec propriam domum habebant, nec in communi loco habitaculum, nisi præsepium, vbi sese recipientes diuerterunt. O mira Christi & parentum eius paupertas! Et tamen veneranda huius paupertatis humilitas! Quæ ab Angelis veneratur, à pastoribus Angelo docente visitatur, à Regibus stella ducente adoratur. Sed hijs omissis veniamus ad id, quod de impositione nominis Lucas prosequitur *Postquam* inquit, consummati sunt *dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur*: Prius enim, ante conceptionem ipsi Mariæ: Deinde ante natiuitatem, ipsi Ioseph ab Angelo dictum est, *vocabis nomen eius Iesum*. Postea verò in circumcisione hoc nomen fuit à parentibus publicè & solemniter declaratum. O salutare nomen! O nomen gaudiosum! in quo magnum salutis gaudium nunciatur. Quorum gaudium? Sane Mariæ & Ioseph gaudium singulare; qui hoc ab Angelo meruerunt audire; qui hoc primi mundo meruerunt publicare.

Sed tamen non solum eorum fuit hoc gaudium: non solum huius aut illius hominis; sed totius humani generis: nec solum hominum, sed etiam Angelorum; dicente Angelo ad pastores, *Ecce euangilso vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus*. Et quia Saluator, ideo Iesus, quia Iesus Saluator interpretatur. Nec solum de hoc gaudio exultauit Angelus vnus, sed Angelorum multitudo, laudantium Deum & dicentium, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Gloria in cœlis, pax in terris. Gloria in cœlis Deo patri, qui glorificatur per filium: pax in terris hominibus, non omnibus, sed hominibus *bonæ voluntatis*, quia talibus pax facta est cum Deo Patre per filium. Hoc igitur gaudium magnum, quod Angelus euangelizauit pastoribus; sanctus Ioseph publicè & solemniter omnibus euangelizauit hominibus: Vnde non immeritò eum proto Euangelistam possumus nominare, quia inter homines primus nomen Euangelistæ meruit obtinere.

NONVS honor eius est, quod *ipso præsente multa & magna ac mira nostræ fidei mysteria declarantur*. Præsens erat Ioseph, quando Christus nascebatur, quando à pastoribus mira de eo dicebantur: Nam cum ipsi postquam Angelorum claritatem viderant, postquam Angelorum vocem audierant, venissent in Bethleem, sicut Lucas refert, *inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio, & mirati sunt de hijs quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos*. Cur non mirarentur, quando eis miranda Dei miracula narra-

narrabantur? Mirabantur, & ideo propter admirari cæperunt philosophari, & diuinitùs contemplari. Nam *Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo*. Et si hoc de Maria dicitur: quia hæc omnia contemplabatur profundius; Ioseph tamen eadem per cordis contemplationem fideliter conseruasse creditur. Presens etiam erat Ioseph, quando Christus circumcidebatur, quando innocens sanguis eius fundebatur. Tunc propter nos Christi passio, tunc propter Christum Iosephi compassio inchoabatur. Præsens erat quando Christus à magis adorabatur: quando ei mystica munera offerebantur: In quibus trium magorum muneribus sanctæ Trinitatis fides præfigurabatur. Præsens erat quando Christus in Templo præsentabatur; quando in eo cuncta, quæ secundum legem Moysi fieri debuerant, implebantur. Nam, sicut Lucas ait, *postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt eum parentes eius in Ierusalem, vt sisterent eum Domino*. Idest, offerendo præsentarent. *Et dederunt hostias pro eo, par turturum aut duos pullos columbarum.* Insuper redemerunt eum quinque siclis argenti. O ingens humilitas Christi! A parentibus innocens redimitur: qui pro parentum, & omnium redemptione, mundo nascitur: Et qui legis Dominus est, consuetudinis legis seruitutem subire non veretur.

DECIMVS honor est, quod hic sanctus Ioseph, non solum *veterum, sed etiam nouorum Prophetarum oraculis de ijs qui de Christo futura erant edocetur*. Refert enim Lucas, quod, *cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent*

 secun-

secundum consuetudinem legis pro eo: erat homo in Ierusalem, cui nomen Simeon, qui cum senex esset, acceperat tamen à Spiritu sancto, *non visurum se mortem nisi prius videret Christum Domini* Vnde eodem spiritu venit in Templum, & accipiens puerum in vlnas, diuinitus cognoscens eum esse Christum, canticum edidit, dicens. *Nunc dimittis seruum tuum Domine. Secundum verbum tuum in pace*. Et prophetans de Christi Passione, ait ad Mariam, *& tuam ipsius animam pertransibit gladius*, idest, Passio ipsius. *Eadem hora superuenit & anna prophetissa, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël, & erant pater eius & mater*, Ioseph scilicet pater eius putatiuus,& vera mater eius Maria, *mirantes super hijs quæ dicebantur de illo*: per ea tamen quæ mirabantur, per ea miranda quæ dicebantur, plus & plus continuè docebantur.

VNDECIMVS honor est, quod sanctus iste, non solum Prophetica, sed etiam *Angelica allocutione sæpe familiariter consolatur*. Nam quatuor vicibus Angelum verba consolationis locutum fuisse Euangelio Matthei referente legimus. PRIMO, cum de imprægnatione vteri Virginalis dubiùs hæsitaret, ad eius consolationem Angelus ei in somnis aparuit, dicens, *noli timere accipere coningem tuam*. DEINDE cum ob persecutionem Hærodis Angelus eum consolans. iterum in sompnis apparens, ait, *surge accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægiptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi: futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum*. O mira res! Christus fugit; non timoris est, sed

significa-

significationis: vt membris suis exemplum fugiendi daret, sicut eos in Euangelio doces; *si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* TERTIO cum ad monitionem Angeli Ioseph fugisset in Ægiptum, & ibi per septennium remansisset; rursum in somnis ei ab Angelo dictum est: *Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti enim sunt qui quærebant animam pueri.* POSTREMO, cum defuncto Hærode de Ægipto venisset in terram Israel, audiens quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Hærode patre suo, timuit illo ire: Et *admonitus in somnis, secessit in partes Galileæ: Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth.* Ex quibus liquet, quantus amoris zelus, quantaque prouisionis ac diligentiæ cura erat huic sancto Ioseph erga puerum Iesum: Cuius ei custodia sic diuinitus specialiter commissa est, vt de hijs, quæ erga eum gerenda erant, non ad Mariam, sed ad Ioseph Deus per Angelum toties loqueretur. Sed quare Angelus, qui Mariæ vigilando apparuit: Ipsi Ioseph semper in somnis apparuisse legitur? Sane hoc conuenienter fieri potuit, & decuit: Vt quia Ioseph circa imprægnationem Virginis quadam dubietate animi velut somno quodam spirituali oppressus fuerat priùs, ideo non manifesta & diurna, sed occulta & nocturna visione ei Angelus appareret. Vbi etiam potestas Angeli apparentis ostenditur, qui quando, & quomodo voluit, se videndum exhibuit.

DVODECIMVS honor est. Quod *non solum Dei Mater,* non solum Regina cœlorum, & Domina Angelorum: *Sed etiam Dei filius Rex &*

Dominus omnium; Cui omne genu flectitur cœlestium terrestrium & infernorum, huic sancto Ioseph humiliter obediendo subijcitur. De qua subiectionis obedientia, & obedientiæ humilitate, Lucas Euangelista ita scribit. *Puer* inquit *crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo.* O res noua! Iam erat in puero sapientiæ plenitudo. Cur ita? Quia gratia Dei, immo Deus, qui charitas est, & gratia, per superabundantem & singularem plenitudinem erat cum illo. *Et ibant*, inquit, *Parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Pascha. Et cum factus esset Iesus annorum duodecim ascendentibus illis Ierosolimam dum inde redirent, remansit ibi puer Iesus & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum in comitatu esse.* Quia eos tanquam eis humiliter obediens & subditus sequi consueuerat: *venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos: & non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem.* Vbi post triduum inuenerunt illum in medio Doctorum audientem illos & interrogantem. Quid mirum, si puer Iesus, vt doctor sapientiæ, in medio Doctorum sedebat: qui iam sapientia plenus erat? *Stupebant tamen omnes qui eum audiebant. Super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt & dixit mater eius ad illum: Fili quid fecisti nobis sic. Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Vbi Dei mater se subditam esse Ioseph, humiliter insinuauit, dum eum honorando Patrem Christi nominauit, eumque nominando sibi reuerenter prætulit. *Ecce*, inquit, *Pater tuus & ego.* Cui respondens Iesus: Non eam solum, sed etiam Ioseph alloquitur dicens:

dicens: *Nesciebatis, quia in hijs, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Cuius patris? Non vtique patris terreni: sed eius, cui dicitur, *pater noster qui es in cælis*: Cuius Christus filius erat, non per temporalem creationem, sicut homines singuli; nec solum per specialem adoptionem, sicut homines sancti: Sed per æternalem generationem, qualiter nulli alij, sed solus Christus singulariter dicitur filius Dei; de quo ait, *nescitis quia in hijs quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Non vtique Patris mei Ioseph, qui non est Pater meus verus, sed putatiuus: Sed in hijs, quæ sunt Dei Patris; qui est solus, & verus Pater meus. O altum mysterium! Et nondum tunc plene hominibus explicatum! Ideo sequitur. *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos.* Quod verbum? Illud sane, quod iam præmisimus: In quo, vt tetigimus, Christus diuinæ suæ generationis, & æternæ emanationis, & per consequens sanctæ Trinitatis arcanum verbo suo, licet obscuro, voluit innuere. Hoc tantum verbum, sicut & alia verba hæc, conferens in corde suo: Conferebat verba vocalia, quæ dicta erant de verbo æterno. Conferebat verba, quæ audierat de suo & æterni Patris filio. De hoc ergo tam excelso, & tam excelsi Patris filio audiamus quid sequitur: *Et descendit*, inquit *cum illis, & venit Nazareth, & erat subditus eis.* Quid est hoc? Quis quibus erat subditus, Deus & Dei filius: vtique Ioseph & Mariæ, parentibus eius: Et principaliter ipsi sancto Ioseph. Cui etiam Maria, tanquam vxor humilis, subdebatur. Verè humiliter viro suo subdita & obediens fuit: quæ omnibus vxoribus, imò

Virginibus, exemplum humilitatis præbuit: quæ omnes vtriusque status mulieres humilitate præcessit; quæ Deo humilitate, magis quam virginitate, aut alia virtute placuit, ipsa dicente, & humiliter omnibus profitente, *quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Non solum ergo Maria, sed etiam Iesus filius eius, sancto Ioseph humiliter subditur. O mira & stupenda nouitas! O noua & miranda humilitas! Subditur seruo Dominus; humiliatur homini Deus; subditur & humiliatur seruo paruo, & humili, magnus Dominus & Deus omnipotens: Non tamen in forma Dei, sed in forma hominis, pro seruis suis, vt Apostolus ait, formam serui accipiens. Et meritò iure naturæ Christus secundum hominem ipsi Ioseph subditur: à quo Christus homo pascitur, à quo sibi humanæ vitæ necessaria ministrantur. Sed vnde ministrantur? Profectò de labore manuum Ioseph. Credimus Mariam & Ioseph pauperes fuisse, non tamen legimus eos aliquando mendicasse. Ideo concludimus, suam & Christi pauperem vitam, proprio labore manuum sustentasse, vt illam Patris sui Dauid Propheticam beatitudinem mererentur, *labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* O mirandum prodigium! Ex labore Ioseph, ille pascitur, qui sua virtute esurientes reficit: Ex labore Ioseph ille terreno pane reficitur, qui in cœlo sine esuriè semper viuens ait, *Ego sum panis qui de cœlo descendit.* Et ideo, quia de cœlo descendit, ideo in terra pascitur, & à sancto Ioseph terreno labore sustentatur. Sed

quo

quo labore? Hoc ſane in Euangelio expreſsè non legitur: Sed ex hoc innuitur, quia Mattheus recitat, quod cum veniſſet Ieſus in patriam, & doceret in Synagogis, Iudæi admirantes, dicebant: *Vnde huic ſapientia & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius?* Vel, vt Lucas narrat; *Nonne hic eſt faber, & filius Mariæ?* Ex quo datur intelligi, Ioſeph fabrum fuiſſe: & fabrili opere laboraſſe. Ac ideo Iudæos Chriſtum *fabrum* ſicut & patrem ſuum putatiuum æſtimaſſe. Vnde & propter hoc ſcandalizabantur in eo. *Ieſus autem dixit eis non eſt Propheta ſine honore. Niſi in patria ſua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* O peruerſa Iudæorum incredulitas! O magna incredulitatis cæcitas! Quem verbis & factis, quem virtutibus & miraculis, Chriſtum eſſe cognoſcunt: Ob generis notitiam, & parentalis originis paupertatem, contemnunt: Et eum vocantes fabrum, & fabri filium, ſuperbè deſpiciunt. Non tamen abſque myſterio Chriſtus faber, & fabri filius dici voluit, & hoc ab Euangeliſtis recitari: Non vtique illius fabri, quem putabant illi: Sed Dei fabricatoris omnium, cuius diuinæ propagationis ſpiritualem originem carnales Iudæi ignorabant. Ideo humanæ generationis carnalem proſapiam ſolum cogitantes, nec tamen ſatis, vt dignum erat, conſiderantes, Chriſtum ignobilem reputabant. Non ſic autem nos: Sed in Chriſto diuinæ & humanæ originis nobilitatem cognoſcentes, & in eo parentes eius, & eum in ſuis parentibus, veneramur. Ad Chriſti ergo venerationem, & ſacratiſsimæ Virginis Matris eius, ſimulque ſanctiſsimi Ioſeph,

seph, qui ei (vt præmisimus) fuit in hac mortali vita multiplici familiaritate & familiari societate coniunctus: Et nunc in vita æterna est eis mirabili iocunditate, & iocunda fælicitate consocius: Nos prædicta laudum honorumque præconia, eorum adiuti meritis, prosecuti sumus: & ex hijs, quæ de eo sparsim in Euangelijs scripta sunt, prænotatos duodecim honorum titulos collegimus. Ex quibus sanctus iste quasi corona stellarum duodecim, seu totidem pretiosorum lapidum, honoratus fulget in terris: Et in cælis rutilat coronatus. Vnde, quia scriptum est, hoc honore dignus est, quem Rex voluerit honorare: Dignum arbitramur eum ab hominibus valde honorandum, & magna veneratione, venerandaque celebritate, ac celebri festiuitate colendum: quem Rex Regum tot honorum insignijs voluit extollere. Sed cur iste sanctus tantum meruit honorari? Sane, quia multum voluit humiliari. Sic enim in eo impletum est illud, quod Christus ait: *Qui se humiliat exaltabitur*. Et illud, quod mater eius Maria cecinit. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*. Hoc namque beata illa Virgo, non solum de seipsa, sed etiam de beato sponso suo specialiter dixisse credenda est, quem Deus cum ea, licet non æque singulariter, tamen valde sublimiter, exaltauit. Vnde secundum illud canticum, meritò decantare potuit: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*; sed etiam serui sui. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Dominus magna*, quomodo magna? Quia, inquit,

inquit, me mirificè magnificauit, & magnificè augmentauit: Et ideo nomen Ioseph interpretatur *augmentum.* Quia ipse paruus & humilis de magna & sublimi domo Dauid, de paruo magnus, de humili sublimis fieri meruit. Et per humilitatem, quæ est virtutum omnium fundamentum, augmentum gratiæ & gloriæ consequi, dignus fuit. O magna sanctæ humilitatis merita! O magna diuinæ largitatis munera! O quam verè dicere potuit sanctus Ioseph, *quia fecit mihi Dominus magna!* Sed quare fecit? *Quia,* inquit *potens est: Et sanctum nomen eius.* Ac si diceret. Non ex me sed ex se fecit. Non ex mea, sed ex sua potestate. Non ex mea, sed ex sua pietate, hæc magnalia fecit. Nec aliunde fecit, nisi quia potuit & voluit. *Potuit* summa potestate, quia, inquit, *potens est.* Et ideo singulariter potens; quia solus omnipotens: *Voluit* summa pietate; *quia sanctum nomen eius:* Cuius eius? Illius de quo dicitur, *vocatum est nomen eius Iesus.* Et quia Iesus, ideo pius. Sola enim & summa pietate fieri voluit nobis Iesus. O igitur sanctum nomen eius! Quia inter plurima sancta Dei nomina, verè specialiter sanctum est nomen Iesus. Nomen in se sanctum, & in nobis sanctificatum: Nomen, de quo dicere possumus, *sanctificetur nomen tuum.* Nomen de quo ipsemet ait, *quidquid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis!* Quia ergo in te, & per te, ô potentissime, & piissime Iesu, fecit Dominus magna sancto suo Ioseph: Ideo te magnificare decet, & ad laudem tui nominis hunc tractatum in huius orationis verba finire.

ORATIO

DOmine Iesu Christe, æternaliter Deus de Deo, & ineffabili humilitate temporaliter homo factus de Virgine: qui sanctum Ioseph, beatæ Mariæ matri tuæ, Virginem virgini desponsari, & humilem humili sociari voluisti; & eum de paruo magnum, de humili excelsum, multis virtutibus, & magnis honoribus augmentatum mirabiliter sublimasti: Da nobis, quæsumus, eius exemplo, meritis, & precibus, cum mentis & corporis munditia, veram humilitatis virtutem; nobisque in humilitate fundatis, da fidei spei, & charitatis, omniumque virtutum augmentum: vt per virtuosa merita gloriosa secum primaria consequi valeamus. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

INDEX

INDEX GENERALIS IN OPVSCVLA SPIRITVALIA D. PETRI DE ALLIACO.

§. 3. *De*

Quæ-

XV. ME-

INDEX.

FINIS.